23 d.3
B

INSTITUTIONES
THEOLOGICÆ
AD USUM SEMINARIORUM.

TOMUS I.

PROPRIÉTÉ DE L'ÉDITEUR.

BESANÇON. — IMPRIMERIE D'OUTHENIN CHALANDRE FILS.

INSTITUTIONES
THEOLOGICÆ
AD USUM SEMINARIORUM,

AUCTORE J. B. BOUVIER,
EPISCOPO CENOMANENSI.

DUODECIMA EDITIO
PROMOVENTE ET APPROBANTE ILL. AC REV. DD. C. FILLION.
APUD SEMINARIUM CENOMANENSE REVISA ET EMENDATA.

TOMUS PRIMUS.
DE VERA RELIGIONE. — DE VERA ECCLESIA.

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

ALMA COLLEGE
208.9
LIBRARY
B669
Alma, California

PARISIIS,
APUD MEQUIGNON JUNIOREM,
NUNC A. JOUBY, SUCCESSOREM,
Facultatis theologiæ bibliopolam,
VIA MAJORUM AUGUSTINIANORUM, 7.
M DCCC LXV

791

THEOLOGIÆ PROLEGOMENA.

DE DEFINITIONE ET DIVISIONE THEOLOGIÆ.

I. Definitur theologia. Theologia, a verbis græcis Θεος et λόγος veniens, idem significat ac *sermo de Deo*, et lato sensu definiri potest : *Scientia de Deo et rebus ad Deum pertinentibus.*

Dicitur *scientia* quia conclusiones ex principiis certis deducit et corpus doctrinæ efformat.

Dicitur *de Deo et rebus ad Deum pertinentibus*, quæ verba assignant objectum scientiæ theologicæ, sive per rationem, sive per revelationem cognoscatur.

II. Dividitur theologia. Sub quadruplici respectu theologia considerari potest, nempe : ratione medii cognitionis, ratione materiæ seu objecti, ratione fontium, et ratione methodi.

1° Theologia ratione medii spectata dividitur in *naturalem* et *supernaturalem.*

Theologia naturalis ea est quæ ex principiis naturalibus deducitur, seu quæ spectat ad Deum et res ad Deum pertinentes quatenus sola ratione cognoscuntur, id est independenter a revelatione secundariâ aut quatenus sola ratione deprehenduntur in naturâ rerum fundatæ. De hujusmodi theologia in Metaphysica et Ethica sufficienter disseruimus.

Theologia *supernaturalis* illa est quæ, licet humano modo acquisita, et sub hoc respectu naturalis, ex principiis supernaturalibus deducitur. De hujusmodi theologia

in hoc opere nobis agendum est, et cum juxta vulgarem usum ea solummodo dicatur *theologia*, fusius de ejus definitione et natura dicemus.

Theologia supernaturalis, post Wirceburgenses theologos sic recte definiri potest : *Disciplina sacra quæ fidei morumque dogmata ac veritates illis affines, aut eò ordinatas, ex principiis sacræ scientiæ deducit, rite disponit, stabilit et propugnat.*

Dicitur — a) *Disciplina* seu *scientia*, quia ex principiis et consectariis inter sese connexis corpus perfectum doctrinæ efficitur.

Dicitur — b) *Sacra*, tum ex objecto quod est Deus et quodcumque ordinatur ad Deum; tum ex fine, scilicet ascensione hominis ad Deum; tum ex fontibus seu principiis a quibus deducitur, id est verbo Dei scripto et tradito.

Dicitur — c) *Quæ fidei morumque dogmata*..... Hæc verba quidem designant objectum primarium theologiæ; veritates quas credendas docet, et officia adimplenda.

Dicitur— d) *Ac veritates illis affines aut eò ordinatas*... Theologia enim amplectitur, quasi objectum secundarium, quæ ad fidem et præceptum directe aut indirecte respiciunt.

Dicitur — e) *Ex principiis sacræ scientiæ deducit*, quia primum est theologiæ munus, suam eruere doctrinam ex fontibus sacris revelationis, scilicet ex Scriptura sacra, et divina traditione.

Dicitur — f) *Rite disponit*... Corpus doctrinæ apte ordinatum et congruo ordine distributum conficere secundum est theologiæ munus.

Dicitur — g) *Stabilit*... Adstruere enim dogmata præceptaque moralia, et ea optimis fulcire argumentis, tertium est munus theologiæ.

Dicitur — h) *Propugnat*, quia veritates sacras et regulam morum ab infidelium, hæreticorum et cæterorum doctrinæ cœlestis inimicorum calumniis, difficultatibus vindicare quartum est theologiæ munus.

Huic definitioni accedere videtur S. Augustinus, L. 14,

de Trin. c. I., cum dicit theologiam esse : « Sapientiam... » quâ fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, » gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. »

2° Theologia ratione materiæ considerata, dividitur in *dogmaticam et moralem. Dogmatica* tradit, explicat et defendit credenda. *Moralis* vero disserit de agendis et ad mores pertinentibus. Prior etiam dicitur *speculativa*, posterior vero *practica*. Ad theologiam dogmaticam pertinet theologia *polemica* quæ bellum cum novatoribus aliisque adversariis iniens, de controversis agit.

Theologia moralis subdividitur in theologiam *theoreticam* quæ leges ac regulas morum exponit, et in theologiam *casuisticam* quæ leges ac regulas applicat ad casus occurrentes. — Ad theologiam moralem reducuntur theologia *ascetica* et theologia *mystica*. Utraque hominem ad sublimes perfectionis gradus elevare nititur. Mystica tamen videtur ad sublimiora tendere, et arcana commercii intimi inter Deum et animam fidelem initi detegere.

3° Ratione fontium considerata, theologia dividitur in theologiam *exegeticam*, si verum sensum scripturæ investiget; in *patristicam*, si argumenta sua ex scriptis SS. Patrum præcipue eruat; in *symbolicam et synodicam*, si ex symbolis et synodorum decretis deducat conclusiones.

4° Ratione tandem methodi spectata, theologia dividitur in theologiam *positivam* et *scolasticam*, in theologiam *homiliticam*, *catechiticam*, *historicam*. Theologia *positiva* ea est quæ, ad argumenta quæ dicuntur theologica paululum attendit, sed dogma et præceptum explicat, adstruit præcipue locis sacræ scripturæ, sanctorum patrum et conciliorum per longam seriem expositis, et modo quasi oratorio seu discursivo. Dicitur *positiva* sive quia ponit fundamenta totius religionis, sive quia ejus instrumenta ex revelatione positiva desumuntur. Talis fuit theologia SS. Patrum, et præsertim quorumdam Theologorum qui XVII et XVIII sæculo viguerunt. (P. Petavius, Thomassinus, etc...) Theologia *scolastica* e contrario

nequidem attendit ad loca scripturæ sacræ, SS. Patrum testimonia vel conciliorum definitiones, sed quasi exclusive ad argumenta ex theologica ratione deprompta operam præstat; præterea sive totam materiem theologicam, sive qualemcumque quæstionem systematice et logice ordinat, formasque dialecticas adhibet. Dicitur *scolastica* quia in scolis usurpatur, et a doctoribus in scolis docentibus fuit introducta, in octavo sæculo apud Græcos a S. Joanne Damasceno, et undecimo sæculo apud Latinos a S. Anselmo, Cantuariensi episcopo, quem secuti sunt Petrus Lombardus, episcopus Parisiensis, vocatus Magister sententiarum, S. Thomas, cui cognomen doctor Angelicus, etc.

Attamen, pro quibusdam aliis, theologia *positiva* modo diverso intellecta, ea est quæ, stans intra limites revelationis, veritates fidei, ex principiis revelatis erutas, tantum exponit. *Scolastica* autem theologia limites revelationis excedit, subtiliores etiam quæstiones solvere conatur.

Theologia *homilitica* veritates fidei explanat in sermone oratorio et composito, qualis in congressu fidelium adhibetur.

Theologia *catechitica* aptatur captui infantium et ignorantium, materiis vel maximi momenti, vel intellectu facilioribus intendit, et per crebas interrogationes et responsa procedit.

Theologia *historica*, sive unam, sive plures, sive omnes theologiæ veritates explicat, logico ordine præterito, sed eo modo quo lapsu temporum evolutæ sunt.

DE NECESSITATE ET NOBILITATE THEOLOGIÆ,

I. De necessitate Theologiæ. — In hac brevi dissertatione de necessitate Theologiæ dicemus an, et qualis, et quibus theologia sit necessaria; — qualis vero sit solummodo utilis.

Novatores sæculi decimi sexti, et eis adhærentes in

diversis locis et temporibus effinxerunt scripturam sacram totam religionis scientiam continere, ac per se claram et evidentem esse; porro qualemcumque theologiam esse inutilem et perniciosam esse contenderunt.

Contra quos asseratur : Theologia generatim spectata necessaria est ecclesiæ; corpus enim sacræ doctrinæ continet et servat, tradit dogmata, ea probat, confirmat, elucidat, defendit, quacumque utatur via; morum præcepta assignat, explicat, a falsis interpretationibus vindicat, etc...; at talis scientia omnino necessaria est in ecclesia, alioquin vera et integra Christi doctrina non transmitteretur, vel mox evanesceret.

Diximus: — a) *Theologia generatim sumpta,* id est prout eam definimus juxta sensum generalem in quo S. Augustinus dixit theologiam esse *scientiam qua fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur et roboratur.* Itaque non contendimus ullam speciem theologiæ aut methodum esse essentialem.

Diximus : — b) *necessaria est ecclesiæ*; quia scientia theologica necessaria est ecclesiæ velut corpori vel societati religiosæ consideratæ; item necessaria est iis qui munere docendi funguntur; non autem singulis fidelibus quibus credere sufficit.

Variæ species theologiæ, prout superius sunt explicatæ, sunt utiles secundum scopum qui attenditur; et inter eas, Theologia scolastica, licet, nec privatis nec Ecclesiæ absolute necessaria, perutilis est præsertim illis qui in scolis et in militia cleri sive docent sive discunt. Wiclefistæ, Lutherani, Calvinistæ aliique Ecclesiæ hostes contra hanc argumentandi methodum debacchati sunt, quia hujusmodi argumentis pressi, se expedire non poterant; sed, nonnisi temerarie, eis ullus assentire potest; nam utilitas theologiæ scolasticæ ex his patet : — a) Concilium Constantiense, sess. 9, hanc Wiclefi damnavit proposit. n. 29 : *Universitates, studia, collegia, graduationes et magisteria in iisdem, sunt vana gentilitate introducta, et tantum prosunt Ecclesiæ sicut diabolus :* porro tunc in Universitatibus, collegiis et studiis sola

vigebat methodus scholastica. — b) Facultas Parisiensis plures propositiones Lutheri, philosophiæ et theologiæ scholasticæ detrahentis, reprobavit, die 15 april. an. 1521, ut falsas, temerarias, sanæ doctrinæ contrarias, etc. — c) Sine magna temeritate damnari non potest quod episcoporum, summorum Pontificum et universæ Ecclesiæ consensu ac praxi firmatum est : atqui talis est methodus scholastica, *ut patet.* — d) Illa methodus in eo consistit ut veræ notiones vocum et rerum exhibeantur, status quæstionis accurate exponatur, propositio asseratur, probetur, ab objectis vindicetur, et inter omnes partes naturalis ordo instituatur : atqui manifestum est talem methodum nihil habere vitii, sed, e contra, valde utilem esse ad adversarios in linea incepta continendos premendos et vincendos. Ergo.

II. De Nobilitate Theologiæ. — Theologia est omnibus scientiis nobilior et excellentior quia habet nobilius objectum, excellentiorem finem, firmius certitudinis motivum.

1° *Habet nobilius objectum,* nempe Deum, ipsius attributa, mysteria, gratiam, sacramenta, leges divinas, finem hominis, etc... De Deo etiam disserit philosophia, at vix ultra hujus scientiæ vestibulum procedere valet. dum Theologia, lumine et auxilio cœlesti adjuta, ingreditur in penetralia.

2° *Excellentiorem finem.* Theologia hominem ad Deum ducit per *fidem* et *charitatem*; per *fidem,* intellectum illuminando, per *charitatem,* flammam divini amoris in corde hominis accendendo.

3° *Firmius motivum certitudinis...* Agitur enim de veritatibus sive ordinis naturalis, sive ordinis supernaturalis. In priori casu theologia habet idem motivum certitudinis ac ratio humana ; in posteriori casu certitudo theologiæ nititur infallibilitate ac summa veracitate Dei.

Itaque concludendum est primum locum inter omnes alias scientias tenere theologiam. Quoddam imperium in eas hæc prestantissima scientia exercet, scilicet earum progressus dirigit ne forte in errorem labantur. Ex sua

parte aliæ scientiæ ei præbent auxilium, ac præsertim philosophia; modo quidem præcedit ad parandam viam, modo vero post terguni a longinquo graditur, humilis pedisequa et famula theologiæ.

DE LOCIS THEOLOGICIS.

Nomine locorum theologicorum intelliguntur promptuaria seu fontes e quibus theologia tum decreta fidei et morum, tum argumenta quibus astruuntur, depromit. In quibusdam enim locis theologicis, ut sequentibus patebit, jacet objectum directum theologiæ, et insuper ejus probatio, in aliis vero probatio et explicatio tantum. In minorem vel majorem numerum loca theologica a diversis rediguntur, nos vero undecim numeramus : sunt Scriptura sacra, Traditio, Praxis ecclesiæ, decreta conciliorum, constitutiones summorum pontificum, auctoritas S. Patrum, consensus theologorum, jus canonicum seu ecclesiasticum, ratio naturalis, auctoritas philosophorum, et demum historia tum ecclesiastica tum profana.— Ex his fontibus theologiæ non ejusdem roboris eruuntur argumenta; alii certa et inconcussa præbent, alii vero probabilia; item, ut patet, ex uno simul hauriri possunt et certa et minus firmiora. — De præcipuis locis theologicis infra, in diversis tractatibus, ac præsertim in tractatibus *de fide* et *de Ecclesia* disserendum est, hic autem prævias notiones præmittimus quibus egent tyrones in limine theologiæ stantes.

I. De Scriptura Sacra. — Per scripturam sacram intelligitur verbum Dei divinitus, seu auxiliante spiritus sancti inspiratione, scriptum. Dicitur per excellentiam simpliciter *Scriptura*, vel *Biblia*, vel *Litteræ sacræ*. Vocatur etiam *Testamentum*, quia sicut voluntas hominis *testamento* declaratur, sic Deus in scriptura sacra contineri partim suæ voluntatis manifestationem voluit. Dicendum duximus *partim* quia etiam per traditionem, de qua infra, divina voluntas nobis innotescit.

Scriptura sacra, in qua libri septuaginta duo numerantur, in duas partes dividitur, *Testamentum vetus* et *novum Testamentum*. Prius quadraginta quinque libros continet, novum vero viginti septem.

Cum scriptura sacra non sit per se in omnibus clara, sed e contra in multis obscura, necesse est ut ab aliquo interprete *auctoritative* ejus sensus aperiatur. Porro suum interpretem habet tum in Ecclesia *cujus est judicare*, ait S. Synodus tridentina, *de vero sensu et interpretatione, scipturarum sanctarum*, tum etiam juxta idem concilium in unanimi consensu Patrum.

Neminem fugit quantam esse scripturæ sacræ auctoritatem : in sacra scriptura enim invenitur objectum theologiæ revelatum, non equidem totum; et præterea ex ea eruimus validas argumentationes quæ verbo Dei et Ecclesiæ interpretatione roboratæ sunt ineluctabiles.

II. De Traditione. Per *Traditionem* intelligitur verbum Dei in libris sacris non scriptum, sed viva voce transmissum. Traditio dividitur ratione originis in traditionem *divinam* et traditionem *humanam*. — a) Traditio divina ea est quæ Deum habet auctorem; — b) Traditio humana ea quæ venit ab hominibus. Idcirco non ejusdem ponderis sunt rationes in hoc vel alio fonte exhaustæ. Prior traditio, dummodo constet, sicut et sacra scriptura valet; posterior autem, plus minusve valet, iis attentis e quibus derivatur. Notandum est quod vox traditio etiam sumatur pro via qua doctrina tradita usque ad nos pervenit; nec dubium est quod qualiscumque traditionis legitima via sit locus theologicus e quo momenta quædam theologiæ erui possunt.

III. De praxi vel consuetudine Ecclesiæ. — Per praxim Ecclesiæ intelligitur ipsius agendi ratio in quæstionibus fidei, morum et disciplinæ, in administratione sacramentorum, etc... Cum juvetur assistentia S. spiritus, et quæ sunt contra fidem aut bonos mores nec approbet, nec taceat, nec faciat, ad ejus praxim et agendi modum sedulo et tuto attendendum est quasi ad veritatis indicia et argumenta tutissima.

IV. De decretis conciliorum. — Concilium generatim est cœtus episcoporum ad tractandas quæstiones fidei, morum vel disciplinæ coadunatorum. Concilium est generale seu œcumenicum quando cœtus episcoporum universam repræsentat ecclesiam; particulare, quando unam aut plures provincias ecclesiæ repræsentat. In celebratione et operibus variis conciliorum uberrimum fontem obvium habet theologia sacra. Hic enim modo invenit decisiones fidei, vel sententias de quibus non jam appellatio fieri potest; quod fit in conciliis œcumenicis seu generalibus rite convocatis, celebratis et approbatis; modo notiones, applicationes et doctrinam quibus instruuntur diversæ rationes. Maximi ponderis hæc considerentur, tum ex assistentia spiritus sanctis hujusmodi cœtibus promissa et concessa, tum ex hoc quod ibi quasi totius Ecclesiæ traditio et sapientia loquantur. Quod asserendum est primario de conciliis generalibus, sed item intra certos limites de conciliis particularibus.

V. De constitutionibus SS. Pontificum. — S. Pontifex est doctor, pastor, legislator, judexque universalis Ecclesiæ, quia accepit a Christo Domino in personâ B. Petri *summam potestatem pascendi, regendi ac gubernandi*, ut fert decretum conc. Florentini. Illâ amplitudine potestatis gaudentes fere innumeras constitutiones in lucem, lapsu temporum, ediderunt SS. pontifices; in quibus reperiuntur plures fidei decisiones, cum infallibilitas in dirimendis fidei controversiis eos penes sit; ac certo multa alia e quibus conficitur maximi momenti locus theologicus.

VI. De auctoritate SS. Patrum.—Nomine SS. Patrum intelliguntur pii illi ac docti viri qui, præsertim usque ad duodecimum sæculum, res divinas suis scriptis illustarunt, quorum opera ab Ecclesia fuerunt approbata, et ex magna parte ad nos pervenerunt. Patres Ecclesiæ, qui doctrina præstant cæteris, *Doctores* cognominati sunt. In duas classes dividuntur. Octo numerantur doctores primæ classis; quatuor ex his octo pertinent ad Ecclesiam orientalem; scilicet S. Anathasius, S. Basilius, S. Gregorius Nazianzenus, S. Joannes Chrysostomus. Quatuor pariter

in Ecclesia Occidentali floruerunt, nimirum S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Hieronymus, S. Gregorius Magnus. Secunda classis decem complectitur, videlicet S. Leonem Magnum, S. Petrum Chrysologum, S. Isidorum Hispalensem, S. Ildefonsum Toletanum, S. Anselmum Cantuariensem, qui in sacrâ liturgiâ a longo ævo hunc titulum sortiti sunt. Idem titulus, recentiore ætate, fuit concessus S. Thomæ Aquinati a S. Pio V, S. Bonaventuræ a Sixto V, S. Petro Damiano a Leone XII, S. Bernardo a Pio VIII, et tandem S. Hilario Pictaviensi a Pio IX.

Unanimis Patrum consensus in materia fidei aut morum est infallibilis, nam in eo casu eorum consensus nihil aliud est quam doctrina Ecclesiæ cui falsum subesse non potest. Auctoritas etiam paucorum Patrum, qui, ut testes veritatis, de praxi vel disciplina suo tempore usitata, loquuntur, magni est momenti. Unius autem aut alterius sententia haberi non potest ut certa, maxime si alii dissentiant.

Attamen, ut sapienter observat *Dens*, si aliquis Pater in certa materia agnoscatur ab Ecclesia et proponatur ut suam exponens doctrinam, sola ejus auctoritas certam facit sententiam : talis est auctoritas S. Aug. in materia gratiæ et prædestinationis ; S. Athanasii et S. Hilarii, in mysterio SS. Trinitatis ; S. Leonis Magni, in mysterio Incarnationis, etc.

Nihilominus, « quia et ipsa doctrina catholicorum doc» torum ab Ecclesia auctoritatem habet, magis standum » est auctoritati Ecclesiæ quam auctoritati vel Augustini » vel Hieronymi, vel cujuscumque doctoris ; » S. Th. 22, q. 10, art. 12. Hinc Alexander VIII sequentem damnavit propositionem : *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis bullam.*

VII. Consensus theologorum. — Notandum est illos docere posse aliquid esse vel decretum, id est de fide, hæreticum, erroneum, a catholicis amplectendum, etc. ; vel opinionem. Si omnes scholastici, moraliter loquendo, sibi sint concordes in docendo aliquid tanquam de fide, hæ-

reticum, etc., hæc universalitas facit propositionem certam : impossibile est enim ut Ecclesia, Spiritu sancto semper directa, permittat aliquid hæreticum, erroneum, etc., in omnibus scholis catholicis publice doceri. Si vero scholastici aliquid doceant velut opinionem, illorum concordantia grave quidem subministrat motivum veritatis, sed non infallibile, quia, etsi hæc opinio esset falsa, non ideo Ecclesia censeretur docere aut approbare errorem. Ita specialiter, inter alios, *Bossuet*, t. XXXIII.

VIII. De Jure canonico seu ecclesiastico. — Jus canonicum corpus est vel complexio legum quæ ab auctoritate Ecclesiæ latæ fuerunt circa personas aut res ecclesiasticas. Fructuose et sæpe necessario ad illud recurrit theologus, et ibi invenit leges et decisiones certissimas, cum emanent ex summa legislativa auctoritate in Ecclesiâ, et ibidem documenta quorum auxilio multæ questiones elucidantur.

IX. De Ratione naturali. — Quæ ad cognoscendum verum a Deo nobis fuit concessa, sæpe inservire potest ad elucidandas, probandas et ab objectionibus expediendas propositiones ad Deum aut res divinas spectantes. Verum in his rebus regnare non debet ut domina, sed servire ut humilis fidei pedisequa ; ejus maxime necessarius est usus contra eos qui, ex ratione argumentantes, fidem et religionem subvertere conantur. In hoc excelluit S. Thomas qui auctoritatem non negligit et rationum momenta nunquam omittit.

X. De Philosophia, vel potius philosophorum auctoritate qua nonnisi probabile subministrat motivum ; sic S. Th, sæpe citat Aristotelem. Inter eos annumerantur dialectici, metaphysici, morales et legisperiti.

XI. De historia, sive profana, sive ecclesiastica : utraque enim theologum non parum adjuvat in quæstionibus tractandis, ostendendo prophetias esse impletas, colligendo facta ex quibus dogma fidei, punctum disciplinæ, regulæ morum confirmantur, transmittendo ad remotissimas generationes miracula patrata, Ecclesiæ decreta, hæreticorum damnationem, etc.

DE HISTORIA THEOLOGICÆ.

Ex Genesi constat Deum primos parentes nostros creasse loquentes, seipsum eis manifestasse, atque ostendisse quo cultu honorari vellet : parentes hæc filiis narrabant, et sic de generatione in generationem transmittebant : Deus per Noe, Abraham, Isaac, Jacob, nova revelavit vel antiquam revelationem iteravit, v. g., promissionem Redemptoris; deinde, per ministerium Moysis, legem suam in monte Sinai promulgavit, aliaque multa divinitus instituit : et tunc alius non existebat modus scientiam religionis docendi ac transmittendi; nullæ existebant publicæ scholæ.

Serius in Scriptura sæpe fit mentio de filiis seu discipulis Prophetarum, v. g., IV Reg. II, 3 et 7, etc. Samuel creditur primus instituisse hujusmodi scholas Prophetarum. Præterea sacerdotibus incumbebat munus legem interpretandi et populum docendi. Unde Malachias propheta, II, 7 : *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus,*

Post captivitatem Babylonis fere ubique erectæ sunt synagogæ, in quibus per omne sabbatum libri Legis et Prophetarum legebantur, addita interpretatione et exhortatione; et ita populus seu multitudo erudiebatur. Insuper plures institutæ sunt non solum Hierosolymis, sed in aliis civitatibus scholæ, quibus præficiebantur magistri qui suos habebant discipulos et cum illis vel coram illis disserebant, ut patet ex his verbis Act. XIX, 8,9 : *Introgressus autem synagogam, cum fiducia loquebatur per tres menses, disputans et suadens de regno Dei. Cum autem quidam indurarentur et non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine, discedens ab eis segregavit discipulos, quotidie disputans in schola Tyranni cujusdam.*

Natæ sunt apud Judæos, paulo post captivitatem, quædam sectæ, Pharisæorum, Sadducæorum, Essenorum, quæ suas habebant scholas : omnes de Deo de rebusque

divinis suo modo agebant, discipulos erudiebant. Multi ergo ante Christum jam fuerunt theologi ; id est viri scientia Dei et religionis revelatæ imbuti et ad alios erudiendos idonei.

Christus veniens in mundum ut illum illuminaret et sanctificaret, *incipiens quasi annorum triginta*, populum evangelizavit, discipulos habuit, eosque per universum orbem misit, jubendo ut omnes docerent quæcumque mandaverat eis, promittens se cum illis docentibus adfuturum esse omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Hinc nova exorta est methodus clara et lucida docendi, quæ sine ulla interruptione usque ad nos pervenit, et semper duratura est. Episcopi, Apostolorum successores, res sacras ad salutem necessarias populum publice docebant, et in domibus suis habebant discipulos quos erudiebant, virtutibus ornabant, disciplinis informabant, clero suo ascribebant; et ipsorum successores inter eos communiter eligebantur. Sic S. Athanasius fuit discipulus S. Alexandri, S. Joannes Chrysostomus S. Meletii, S. Cyrillus Alexandrinus Theophili patrui sui. S. Aug., S. Fulgentius, S. Martinus, juxta se habebant clericorum scholas e quibus plurimi prodierunt episcopi doctrina et sanctitate conspicui.

In quibusdam magnis urbibus exstiterunt, etiam in primis sæculis, publicæ scholæ pro catechumenis erudiendis erectæ, quibus non raro præfuerunt viri exculissimi, v. g., celeberrimæ scholæ Alexandrinæ, S. Pantenus, Clemens, Origenes ingenio et eruditione tam præclarus, etc.

In monasteriis perpluribus floruerunt studia litterarum præsertim sacrarum, ut patet exemplo monachorum et abbatum non minus scientia quam pietate illustrium, v. g., Cassiani et Vincentii Lirinensis in quinto sæculo, venerabilis Bedæ in sexto, Rabani Mauri et Walafridi Strabonis ejus discipuli in nono, Lanfranci et S. Anselmi in undecimo, etc.

S. Anselmus, Lanfranci discipulus, deinde successor tum in regimine abbatiæ Beccensis, tum in Archiepisco-

patu Cantuariensi, introduxit formam quæ vocata est scholastica. Eum secuti sunt Hugo a S. Victore, Hildebertus, Cenomanensis episcopus, qui ad archiepiscopatum Turonensem, anno 1125, fuit translatus; Otho, Frisingensis episcopus; Petrus Lombardus, Magister sententiarum, cujus opus tam evasit famosum ut per plura sæcula celebriores doctores illud commentare studuerint.

In decimo tertio sæculo institutæ sunt Universitates, et notanter domus Sorbonica, Parisiis, a Roberto de Sorbona, ejus fundatore, sic dicta, quæ inter cæteras eminentiorem tenuit locum. In ea docuerunt Alexander de Hales, franciscanus; Albertus, dominicanus; S. Thomas, ejus discipulus, ejusdem ordinis; Joannes *Duns*, cognomine Scotus, et S. Bonaventura, ex ordine S. Francisci, qui cognominati fuerunt: primus, *Doctor irrefragabilis*; secundus, *Magnus*; tertius, *Doctor Angelicus*; quartus, *Doctor subtilis*; quintus, *Doctor seraphicus*.

Doctor angelicus, id est S. Thomas, præ cæteris excelluit, et *Summa* ejus, in tres partes divisa, Sententiis Petri Lombardi in scholis fuit substituta: pene omnes theologi ejus methodum et rationem secuti sunt. Cum Scotus opiniones opinionibus S. Th. contradictorias pluribus in punctis defendisset, natæ sunt, maxime apud Dominicanos et Franciscanos, scholæ *Thomistarum* et *Scotistarum*.

Verum nimia æmulatio ex arte disputandi inter doctores exsurgens, multos generavit abusus, quæstiones vanas ac futiles induxit, in infinitas argumentationes ex subtili ratione petitas abiit, et sanam religionis doctrinam sæpe deturpavit. Hinc prodierunt exercitationes veris theologis indignæ, a vera eruditione theologica alienæ: hinc errores Petri *Abeilard* aliorumque plurimorum qui, juxta testimonium S. Bernardi, de *Abeilard* loquentis, novarum vocum et novorum sensuum volebant esse inventores.

Contra hujusmodi abusus merito insurrexerunt S. Bernardus, Joannes Salisburiensis, Carnutensis episcopus, Petrus Blesensis, *Gerson*, etc. Gregorius IX, anno 1228, scripsit ad doctores Parisienses, hortans eos ut profanas

novitates abjicerent et ad antiquam Patrum traditionem redirent; *Fleury*, l. 80, n. 3, Eodem sensu locuti sunt Joannes XX, anno 1277; Joannes XXII, anno 1322, etc.

Ab eo autem tempore Theologia a nugis scholasticis de die in diem purgata est, licet plures adhuc identidem agitatæ fuerint otiosæ disputationes, v. g., inter *Nominales* et *Realistas* sub Ludovico XI. Plures conspicuos doctores habuit, ut videre est, sive in historia ecclesiastica, sive in libris de scriptoribus ecclesiasticis tractantibus, puta apud D. *Ceillier*. Consule etiam *Histoire abrégée de la Théologie*, ad calcem Dict. Theol. mor. a D. *Pierrot*.

Non parum autem inserviit ad excitandam pro vera scientia æmulationem, multorum eruditorum Græcorum in Europam migratio, quando Constantinopolis, prius ab iis qui dicti sunt *Croisés*, et maxime quando a Mahumetanis, anno 1453, capta est.

Falsum est igitur Protestantes primos ostendisse vitia scholasticæ, et sacrorum studiorum reformationem induxisse : plura quidem juste carpserunt, sed quæ a catholicis jam didicerant carpenda; alia vero protulerunt falsa, et in hoc merito reprobati sunt.

Interea concilium Tridentinum, circa medium sæculi decimi sexti conclusum, non tantum multos reformavit abusus, sed insuper solidioris Theologiæ jecit fundamenta : voluit ut ubique erigerentur seminaria quibus præficerentur sacerdotes juventuti erudiendæ idonei. Ex hoc tempore magis ac magis cessaverunt vanæ disputationes : in Universitatibus, præsertim in Parisiensi, in ordinibus religiosis, insignes fuerunt magistri de rebus multo magis occupati quam de verbis, qui toti fuerunt ut hæreticos debellarent, incredulos convincerent, sanæ moralis regulas ac disciplinæ ecclesiasticæ leges traderent. In exemplum citari possunt *Bellarminus, Suarez de Lugo, Petavius, Natalis, Alexander, Tournely*, etc.

INSTITUTIONES

THEOLOGICÆ

AD USUM SEMINARIORUM.

TRACTATUS

DE VERA RELIGIONE.

I. De Religione notio generalis. — Religio, cujus vox a *religando*, juxta plures, oritur, considerari potest ut virtus, vel ut scientia. In priori sensu, est virtus moralis nos ad cultum Deo exhibendum inclinans; in posteriori vero sensu, est corpus doctrinæ officia nostra erga Deum complectens. Inter illa autem officia, alia spectant ad intellectum : sunt veritates credendæ; et alia ad voluntatem : suntque præcepta implenda.

Duplicis generis religionem distinguunt Theologi; unam dicunt *naturalem*, alteram *revelatam* seu *supernaturalem*. Religio naturalis ea est cujus necessitas et objectum ex principiis naturalibus seu mere philosophicis deducitur. Vocatur etiam naturalis quia homo eam in sua constitutione et in tota natura quasi scriptam invenit. In hoc sensu B. Paulus Romanos docet Deum cognosci posse a visibilibus mundi, et gentes legem religiosam habuisse; licet eam non sint secuti. *Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Rom. I. 28. — *Qui ostendunt opus legis scriptum in*

cordibus, testimonium reddente illis conscientia ipsorum. Ibid. II, 15.

Circa religionem naturalem, plurima alibi jam mature examinata, hic supponimus ut certa, videlicet: Dei existentiam, naturam ejus perfectissimam, miranda illius attributa, mentis nostræ spiritualitatem, libertatem et immortalitatem, essentiale discrimen inter bonum et malum morale; necessitatem cultus interni, externi et solemnis; absurditatem indifferentiæ circa varias religiones existentes: hæc enim in Philosophia tractantur, ubi unusquisque ea relegere potest.

Religio revelata est complexio dogmatum et officiorum ad Dei cultum spectantium, quæ per revelationem divinam veritatibus et officiis naturalibus superaddita sunt. De Religione hoc posteriori modo accepta in præsenti tractatu agendum est.

II. TRACTATUS DISTRIBUTIO. — Primum, Revelatione in se et generatim spectata, ejus patebunt et possibilitas et necessitas et noscibilitas; — postea, probabimus Deum de facto revelasse quamdam religionis formam, quæ præ Moyse vel populo cui aptata est, religio mosaica aut judaica nuncupatur; — postremo ostendemus hanc legem judaicam, cum esset solummodo quædam præparatio, locum dedisse huic perfectiori et sanctiori religioni, quam ex auctore Jesu Christo, Dei filio, religionem Christianam dicimus.

Idcirco hunc maximi momenti tractatum in tres distribuimus partes, quarum 1ª erit de religione revelata in genere, 2ª de religione judaica, et 3ª de religione christiana.

PARS PRIMA.

DE RELIGIONE REVELATA IN GENERE.

De Revelatione notio generalis — Revelatio est manifestatio dogmatum et præceptorum, lapsu temporum, a Deo extraordinarie facta cum extrinsecis fidei motivis.

Dicitur — a), *Revelatio*, quod idem sonat ac manifestatio.

Dicitur — b), *Dogmatum et præceptorum.* Hæc verba designant objectum revelationis, quod idem est ac religionis; scilicet Deus per revelationem, intellectum hominis et voluntatem dirigit.

Dicitur — c), *Lapsu temporum.* Præmittitur hoc verbum, quia hic non agimus de primæva revelatione protoparentibus facta.

Dicitur — d), *a Deo*, Deus enim solus fidem dogmatum et præsertim mysteriorum imponere potest.

Dicitur — e), *extraordinarie*. Abstrahimus hoc verbo revelationem de qua agimus de revelationibus quæ fiunt in intima mente quorumdam hominum et sine apparatu, vel quæ eo non spectant ad totam religionem.

Dicitur — f), *cum extrinsecis fidei motivis...* Extrinseca fidei motiva sunt notæ, ac præsertim positivæ, v. g., miracula et prophetiæ, quibus innotescunt ea quæ revelantur, et a pravis et falsis revelationibus secernuntur.

Notandum est quod vox *revelatio* ordinarie etiam sumatur pro ipsa doctrina revelata; sic dicitur revelatio mosaica, revelatio christiana pro religione Mosaica, religione christiana. Nobis agendum est de revelatione generatim spectata, prout eam definimus, in quatuor capiti-

bus ; scilicet : in 1° De Revelationis possibilitate ; in 2° de ejus necessitate ; in 3° de methodo illam inquirendi ; in 4° de characteribus quibus existentia ejus certo dignoscitur.

CAPUT PRIMUM.

DE REVELATIONIS POSSIBILITATE.

Errores circa revelationis possibilitatem. — Inter eos qui circa revelationem errores disseminarunt, alii erraverunt circa possibilitatem revelationis, alii circa ejus modum, alii tandem circa ejus objectum

1° Ex eis qui circa possibilitatem revelationis in errorem prolapsi sunt, quidam contendunt absolute Deum homines alloqui non posse ; sic multi qui in XVIII sæculo nomen *Philosophorum* furtim adepti sunt. Quidam quoque, admissa etiam possibilitate commercii inter Deum et hominem, docent tamen illud esse impossibile tanquam prorsus inutile. Ita sentiunt hodierni Rationalistæ, qui existimant homines per progressus semper crescentes ab inferioribus ad superiora, vi suæ naturæ, ascendere. Gratia hujus progressus indefiniti homines jam successive coluerunt judaismum, postea christianismum quos ut naturales tenent isti Rationalistæ ; ac sperant christianismum mox *Philosophiæ* puræ locum cessum fore. — De hoc errore tractandum est infra, ubi de utilitate et necessitate revelationis.

2° Alii errantes quoad modum revelationis docuerunt Deum ex hypothesi quod aliquid revelare velit omnibus et singulis hominibus immediate loqui deberet ; sic *Rousseau* in *Emile*, lib. 4.

3° Tandem qui circa revelationis objectum a via recta declinaverunt, dicunt Deum revelare non posse veritates captum mentis nostræ superantes, seu myste-

ria, nec facere posse præcepta legi naturali superaddita Sic idem *Rousseau*, *Tindall*, de *Prades* in famosissima thesi anni 1751, et hodie multi Rationalistæ.

Contra illos errores instituimus tres articulos subsequentes : in 1° tractabitur de possibilitate revelationis in genere : in 2° de ejus modo; 3° de ejus objecto.

ARTICULUS PRIMUS.

DE POSSIBILITATE REVELATIONIS IN GENERE.

In hoc articulo unum aggredimur, scilicet Deum cum hominibus commercium habere posse ita ut eis suas voluntates patefacere valeat. De modo vero quo istud commercium fieri debeat, an per loquelam, an per angelos, an per inspirationem, hic non curamus; id solum attendimus esse possibile istud commercium quod nihil aliud est nisi revelatio. Igitur hæc possibilitas in genere attenditur et probatur in sequenti propositione.

PROPOSITIO.

Revelatio est possibilis.

Prob. 1° *Ex consensu hominum.* Unanimis consensus hominum et persuasio indicium est et ineluctabile veritatis argumentum : porro, unanimi consensu omnes populi crediderunt revelationem esse possibilem.

— A) Etenim omnes populi ex revelationibus sive veris sive falsis suas condiderunt religiones.

— B) Omnes pariter pro certo habuerunt commercium Dei cum hominibus esse possibile, et quidem frequens et quasi hodiernum ; inde oracula, auguria, divinationes cujusque generis...

— C) Plures legislatores, apud antiquiores populos, contenderunt se in condendis legibus speciali Divinitatis seu genii cujusdam inspiratione illuminatos fuisse ; et subjecti, quibus imperabant, hanc inspirationem non negarunt; ergo habuerunt ut possibile commercium Dei cum hominibus : ergo possibilis est revelatio.

Prob. 2° *Ratione.* — A) *Nemo dat quod non habet;* porro Deus impertivit homini facultatem suas ideas, cogitationes, voluntates aliis hominibus manifestandi, et quidem pluribus modis, scilicet per loquelam, scripturam, gestus, etc.; ergo a fortiori Deus suas voluntates manifestare potest nempe sive *interius* per somnum, somnium, aut inspirationem; *sive exterius* per visiones, angelos aut per alium modum suo fini aptum.

—B) Si revelatio esset impossibilis, esset vel quia Deus nihil sciret quod objectum revelationis fieri posset, vel quia hominem de suis voluntatibus certiorem facere nequiret; vel quia repugnaret hominem hac via erudiri; atqui nihil horum dici potest :

Non *primum;* Deus in scientia infinitus multa noscit, quæ nec scimus, nec scire possumus.

Non *secundum,* ut nuper probavimus.

Non *tertium.* A Deo enim suscipere possumus absque ulla repugnantia, quod ab aliis hominibus quotidie accipimus, atqui quotidie ab hominibus aliis erudimur, v. g. in theologia, philosophia, historia, scientiis naturalibus. Ergo a Deo erudiri possumus; ergo revelatio possibilis est.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° *adversus prius argumentum.* Populi variis modis circa revelationum existentiam in particularibus casibus erraverunt; ergo illorum consensus circa possibilitatem nihil probat.

R. Nego conseq. et consequent. Error populorum circa quasdam revelationes in particulari non fuit universalis, constans et invincibilis, nec proinde divino auctori naturæ tribuendus est. Talis error, supposita persuasione Deum homines alloqui posse, facile explicatur. Sed persuasio cunctis hominibus ingenita, qua universaliter et constanter et invincibiliter impelluntur ad judicandum Deum homines alloqui posse, ipsi Deo auctori naturæ humanæ tribuenda esset.

Obj. 2° *adversus posterius argumentum.* Deus organa vocis non habet : ergo loqui non potest.

R. Nego conseq. Nulla enim est connexio necessaria inter motus oris ac linguæ hominis, et sensationem internam quæ auditio vocatur, quia motus corporis agere non possunt in mentem omnino simplicem. Igitur sensatio ista ex sola Dei institutione arbitraria provenit. Deus autem absque hujusmodi motibus efficere potest ut eodem modo interne afficiamur, ac si quis externe loqueretur. Ergo.

Præterea Deus clare ac distincte per evidentiam interne nobis in rebus naturalibus loquitur : atqui non repugnat illum veritates supernaturales eadem via aperte nobis manifestare, *ut patet.* Ergo.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE MODO REVELATIONIS.

De Revelatione mediata aut immediata. In tuto reposita revelationis possibilitate ad modum devenimus. Hic non agitur de mediis, v. g., loquela, inspiratione quibus Deus uti potest ut aliquid hominibus revelet; sed de iis hominibus, quos in hypothesi revelationis directe alloqui debeat. Juxta unum modum posset singulos homines alloqui, et, ut jam diximus, quidam impudentes philosophi, hunc modum revelationis a Deo exigere non erubescunt; juxta alium, Deus potest aliquos eligere viros, eisque objectum revelationis detegere, cujus erunt præcones coram aliis hominibus, adhibitis momentis sufficientibus ut eorum divina missio pateat. In hoc sensu stabilimus sequentem propositionem.

PROPOSITIO.

Deus, ex hypothesi quod aliquid revelare velit, singulis hominibus loqui non tenetur, sed potest illud manifestare quibusdam electis, quorum ope alios doceat.

Prob. ex ratione. 1° Ex hypothesi quod Deus aliquid revelare velit, etiam cum intentione omnes obligandi sufficit ut tutissima illis subministret media quibus hanc revelationem certo cognoscere possint : atqui licet Deus singulis hominibus immediate non loquatur, tutissima ipsis subministrare potest media quibus revelationem certo cognoscere possunt : infra enim probabimus certissima dari posse media quibus existentia revelationis constare valeat, nempe miracula et prophetias. Ergo.

Prob. 2° Deus in detegenda revelatione, hanc sequi potest viam quæ apprime congruit tum ipsius sapientiæ, tum indoli hominum ; atqui talis est modus in propositione nostra expositus.

— A) Hic modus congruit summæ sapientiæ. Si enim Deus teneatur singulis hominibus immediate loqui, debet, ad præcavendas falsas imaginationes quæ pro veris revelationibus sumerentur, et ad impediendum ne impostores suos persuaderent errores ut veritates revelatas, omnes illustrare mentes per evidentiam aut alio modo, sicque totum naturalem ordinem nunc exstantem subvertere. Porro dici non potest Deum ad id teneri : valde convenientius est ut suas ideas ac voluntates clare manifestet et apertissima præbeat media quibus omnes hanc revelationem certo cognoscere possint. Ergo.

— B) Congruit pariter hominis indoli. Etenim nativo instinctu ferimur ad quærendum apud cæteros homines lumen et cogitationes quibus indigemus ; ergo non repugnat ut ab aliis etiam quoad religionem erudiamur. — Aliunde necessitas in qua constituimur alios adeundi homines ut ab illis doctrinam religiosam accipiamus nos cum illis vinculis fraternitatis et caritatis

arctius devincit. — Demum conveniens est ut via qua pervenimus ad cognitionem officiorum nostrorum, tum erga principem temporalem, tum erga concives nostros, nos pariter ducat ad acquisitionem scientiæ religiosæ; atqui ab aliis hominibus officia nostra discimus, nemoque exigit ut rex voluntates suas legesque omnibus subditis immediate manifestet. — Ergo modus revelandi veritates et præcepta per quosdam electos præcones congruit tum indoli hominis, tum infinitæ Dei sapientiæ, insuper probavimus hanc viam, modo sint signa missionis, esse certam et infallibilem : ergo Deus ex hypothesi quod aliquid revelare velit, singulis hominibus immediate loqui non tenetur.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Tam facile singulis hominibus quam nonnullis tantum loqueretur Deus : ergo nulla est ratio cur omnibus non loquatur.

R. Nego conseq. Deus enim non tenetur ad id quod facile operari potest, alioquin debuisset peccatum impedire, nos sicut angelos efficere, etc. Præterea, Deus perfecte liber est in bonorum suorum distributione, et ea omnino indebita pro beneplacito suo nobis largiri potest : sola ergo ipsius voluntas ratio est sufficiens cur uni potius quam aliis immediate loquatur, sicut rex mandata sua per ministros cunctis subditis manifestat.

Obj. 2° Modus revelationis hic commendatus reddit revelationem imperviam, scitu difficillimam, fraudi et errori obnoxiam, ergo Deum dedecet.

Resp. Disting, anteced. Si absint media certa secernendi missionem quibusdam electis a Deo datam, *concedo;* si vero adsint, nego. Atqui supposuimus cum missione suis electis Deum dare media externa eam probandi, et veram revelationem a falsis separandi; *ergo* hic modus revelandi minime Deum dedecet.

ARTICULUS TERTIUS.

DE POSSIBILITATE REVELATIONIS QUOAD OBJECTUM.

I. De mysteriis notio genuina. — Supra exposuimus objectum revelationis idem esse ac religionis, scilicet dogmata fide tenenda et officia in ratione agendi implenda. Inter dogmata sunt quædam veritates intellectui nostro accomodatæ et perviæ, quædam vero captum mentis nostræ superant. Posteriores illæ veritates vocantur generatim *mysteria*. Per *mysteria*, latiori sensu, intelliguntur *res obscuræ, partim saltem ignotæ, quas humana ratio vel scientia penitus elucidare nequeunt*. Hujusmodi mysteria ubique reperiuntur, scilicet in philosophia, in historia, in omnibus scientiis naturalibus, v, g. *in physica, in geometria, in astronomia*.

Mysteria, strictiori sensu intellecta, *sunt quædam dogmata, captum mentis humanæ superantia, quæ proinde ratio hominis, sibimet derelicta, detegere non potuisset, nec etiam intelligere seu comprehendere potest, postquam ipsi sunt revelata*. Ea tamen profiteri tenemur propter summam veracitatem Dei ea revelantis. Talia sunt pariter mysteria S. S. Trinitatis, Incarnationis, etc... De mysteriis in hoc posteriori sensu intellectis hic tantummodo agitur.

Item inter officia quæ ab hominibus impleri possunt quædam sunt naturalia, v. g. amor Dei, respectus parentum; quædam vero sicut legi naturali superaddita considerari valent, ex gr., honor Deo reddendus sabbato vel die dominica.

II. Vindicatur mysteriorum et præceptorum supernaturalium possibilitas. Itaque seorsim infra probabimus in duplici propositione 1° Deum posse revelare veritates captum mentis nostræ superantes seu miracula, — 2° Deum posse nova præcepta legi naturali addere.

PROPOSITIO PRIMA.

Deus potest revelare veritates captum mentis nostræ superantes seu mysteria.

Prob. 1° Si hujusmodi veritates Deus revelare non posset, id esset vel quia nullas cognosceret, vel quia eas nobis manifestare non posset, vel quia repugnaret nos eas credere teneri : atqui nihil horum dici potest.

— A) Dici non potest Deum nullas cognoscere veritates captum mentis nostræ superantes; Deus enim in scientia est infinitus, nos vero valde finiti; in rebus naturalibus innumera, respectu nostri, existunt mysteria : ergo *a fortiori* et in rebus divinis. Ergo.

— B) Deus illas veritates nobis manifestare potest : *id sequitur ex prima propositione.*

— C) Non repugnat veritates captum mentis nostræ superantes nos credere teneri. Id enim a nobis Deus exigere potest quod libenter hominibus præstamus : atqui libenter ex verbis hominum credimus veritates captum mentis nostræ superantes : innumeræ enim sunt veritates in ordine naturali, v. g., in physica, in astromonia, etc., quas maxima pars hominum penitus ignorat : atqui tamen libenter eas ex verbis doctorum credimus, quamvis illas non percipiamus : ergo multo magis credere debemus veritates quas Deus nobis manifestat.

Prob. 2° Revelatio mysteriorum infinitæ Dei sapientiæ congruit, ergo, saltem possibilis est.

Congruit quidem sapientiæ divinæ : — A) Fide mysteriorum sibimet inscrutabilium mens humana, labe originali fœdata, superbiaque tumens, mirifice sanatur.

— B) Cum totum ens nostrum a Deo oriatur, conveniens est ut illud ens totum, ac præcipue illius nobilior pars, scilicet intellectus, Deo submittatur; atqui perfecte Deo non submittitur nisi tales credendo veritates.

— C) Revelatione et fide mysteriorum adhæsio hominis religioni revelatæ fit simul rationalis et meritoria :

rationabilis quidem, quia magna lux, ex signis ejus divinitatem testantibus, oritur; *meritoria*, quia umbram quamdam in eam expandunt mysteria. — Ergo revelatio mysteriorum divinæ sapientiæ optime convenit. Quædam ex his dictis oratorie attingit D Frayssinous, *Conf. de la Religion considérée dans ses mystères* : « Les mys» tères sont incompréhensibles; eh bien! c'est par là » même qu'ils sont plus dignes de la sagesse de Dieu. » Jésus-Christ est venu pour guérir l'homme tout entier, » remédier à la plaie profonde faite à son esprit par l'or» gueil, comme à son cœur par la volupté. Une curiosité » superbe l'avait précipité dans les plus monstrueuses » erreurs, comme l'amour des choses sensibles l'avait » plongé dans les plus brutales et les plus honteuses pas» sions; il fallait que son cœur fût purifié par une loi » sainte, et son esprit humilié par des vérités incompré» hensibles. C'est du Père des lumières que nous tenons » la raison qui nous éclaire : or, si, par un indigne » abus, elle s'est soulevée contre son auteur, que peut» elle faire de mieux, pour expier sa révolte, que de » s'immoler elle-même à la raison suprême, et de plier » sous le joug de l'incompréhensible, mais infaillible vé» rité de Dieu? » Ergo.

Prob. 3° Religio revelata non solum potest, sed debet complecti mysteria. — A) Deus est, testante *scriptura*. *Deus absconditus, Incomprehensibilis totus*, ergo seipsum vel suas operationes nobis manifestare nequit, quin simul nobis revelet mysteria.

— B) Insuper, religio revelata non secus ac cætera Dei opera sigillo magnitudinis et infinitatis muniri debet, alioquin nobis posset esse suspecta, porro mysteria hunc characterem *magnitudinis, infinitatis* et *divinitatis* ei tribuunt. Nam, ut ait, P. *Ventura : l'homme ne saurait inventer ce qu'il ne comprend pas, ou bien s'il invente l'Incompréhensible, l'Incompréhensible est absurde.* Ergo mysteria quæ sunt incomprehensibilia, sed minime absurda, divinitatem religionis revelatæ adstruunt.

Prob. 4° *Consensu populorum*. Omnes populi admiserunt,

in ordine religionis, veritates captum humanum superantes, et incredulos, mysteria quælibet rejicientes, habuerunt velut impios. Ergo, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Deus sibi contradicere non potest : atqui Deus sibi contradiceret, si veritates captum mentis nostræ superantes revelaret, earumque fidem exigeret : ergo.

R. Nego min. Nam si in eo casu Deus sibi contradiceret, certe, ut asserit *Rousseau* in *Emile*, lib. 4, quia ex una parte rationem nobis concessit, et ex altera parte illius submissionem veritatibus non perceptis exigeret. At in ea hypothesi nulla est contradictio : in tantum enim esset contradictio, in quantum rationem nobis ad percipiendas in se hujusmodi veritates concessisset, et illas tamen supra captum rationis posuisset : atqui non ita agit Deus, sed tantum jubet ut, ipso revelante ipsiusque revelatione certo nobis innotescente, ratio credat veritates quas in se non percipit : in hoc autem nulla est contradictio, *ut patet* : ergo.

Inst. 1° Prædictæ veritates seu mysteria rationem offendunt : ergo, si Deus jubeat ut eas credamus, sibi contradicit.

R. Nego ant. Illa enim mysteria rationem non offendunt, quæ manifestam repugnantiam non involvunt : atqui mysteria captum mentis nostræ superantia manifestam repugnantiam non involvunt. Sunt quidem supra rationem, ex hypothesi; sed multum est discrimen inter esse supra rationem et esse contra rationem : illud quippe est supra rationem quod ratio non percipit, illud vero solum est contra rationem quod realem involvit repugnantiam, ut, v. g., *Bis duo dant quinque; totum est una parte minus.* Porro mysteria quæ captum mentis nostræ superant talem repugnantiam non eo ipso involvunt : ergo.

Inst. 2°. Mysteria quæ insolubilibus argumentis impugnantur, rationem offendunt : atqui mysteria captum

mentis nostræ superantia insolubilibus impugnantur argumentis : ergo.

R. 1° *Distinguo maj.* Mysteria quæ insolubilibus impugnantur argumentis, ex evidenti repugnantia petitis, rationem offendunt, *conc. :* si hæc argumentorum insolubilitas ex ipsa mysteriorum obscuritate, vel potius ex limitibus intelligentiæ nostræ, oriatur, *nego maj.* Itaque fateor mysteria insolubilibus argumentis ex evidenti repugnantia petitis impugnata, rationem offendere : *id manifeste patet.* At, si hæc insolubilitas ex ipsa mysteriorum altitudine vel ex intelligentiæ nostræ limitibus oriatur, tunc id unum merito concludi potest, scilicet, ea esse supra rationem : porro supra rationem esse possunt, et tamen rationem non offendere : ergo.

Et vero, plurimæ sunt veritates in ordine naturali quæ insolubilibus impugnantur argumentis, quales sunt existentia motus, materiæ divisibilitas vel non divisibilitas in infinitum, etc., et tamen illæ veritates in dubium non revocantur : ergo *a fortiori* mysteria credere debemus, licet, etc.

R. 2° *Nego min.* Plurima quidem contra mysteria instituuntur argumenta quæ directe, id est ex principiis a natura rei petitis, solvi non possunt; sed nulla sunt quæ ex alienis considerationibus solvi nequeant. Cuncta enim argumenta mysteriis opposita indirecte solvuntur, si clare videatur, ex una parte, Deum locutum fuisse, et manifesta, ex altera parte, non demonstretur repugnantia : atqui hæc duo constare possunt ubi de mysteriis agitur. — a) Constare potest Deum locutum fuisse, *ut infra probabimus.* — b) Ex altera parte, clare ostendi potest incredulos manifestam non demonstrare repugnantiam. Ergo. Sic omnia incredulorum argumenta contra singula fidei christianæ mysteria proposita centies soluta sunt. verum fidei objectum enuntiando et ostendendo illud nullam exhibere contradictionem. Ergo.

Inst. 3°. In nonnullis mysteriis quædam apparet repugnantia quæ judicatur evidens : atqui repugnantia quæ judicatur evidens eamdem vim habet respectu nostri ac

si vera esset : ergo tunc ea mysteria credere non possumus.

R. 1°. *Dist. maj.* Hæc apparens repugnantia judicatur evidens immerito et ante sufficiens examen, *concedo*; merito et post maturum examen, *nego maj.* Fateor quidem repugnantiam quæ in nonnullis videtur mysteriis aliquando judicari evidentem, sed immerito et absque sufficienti examine. Illud enim solum merito judicatur evidens quod ex omni parte ita clare perspicitur, ut mens illi assentiat sine ulla errandi formidine ; atqui mens non potest, omnibus sedulo perpensis, affirmare se ita clare prædictam in mysteriis perspicere repugnantiam, ut illi absque ulla errandi formidine assentiat ; ubi enim sedulo advertit quid sint mysteria, multam in eis videt obscuritatem : at eo ipso quod talem videat obscuritatem, affirmare non potest se evidentem perspicere repugnantiam, ita ut illi judicio absque ulla errandi formidine assentiat : ergo.

Et vero in rebus naturalibus sæpissime evidens nobis apparet repugnantia, v. g., in phænomenis fulminis, electricitatis, adamantis, optices, etc., et tamen nemo hæc phænomena in dubium revocat : pariter, quando mirabiles luminis et colorum effectus cæco a nativitate narrantur, incredibiles illi videntur ; si oculi ipsius pro momento aperirentur, et unum inter duo specula videret hominem, tres illi apparerent homines perfecte similes : si statim in eamdem recideret cæcitatem, persuasum haberet non unum sed tres ibi existere homines, et affirmaret hoc evidens esse : ut insanus tamen haberetur, si pertinaciter negaret unicum esse hominem. Ergo *a fortiori* ut insanus habendus est impius qui divina religionis mysteria negat, sub prætextu quod aliqua etiam evidens in eis appareat repugnantia.

R. 2° *Nego min.* Evidentia enim realis eo majori fulget claritate quo strictiori subjicitur examini : dum, e contra, si evidentia quæ tantum est apparens sedulo examinetur, aliqua tamen detegitur obscuritas. Ergo.

Obj. 2°. Deus proponere non potest, ut objectum fidei

nostræ, voces omni idea vacuas : atqui voces quæ mysteria captum mentis nostræ superantia exprimunt, omni idea sunt vacuæ : ergo.

R. Nego min. Illæ enim voces omni idea non sunt vacuæ quæ sic exprimunt objectum, ut illud a quolibet alio secernere possimus : atqui mysteria captum mentis nostræ superantia ita vocibus exprimi possunt, ut ea quolibet alio objecto secernere valeamus. Sit enim vox *Trinitas ;* vox illa exprimit objectum in natura sua quidem valde obscurum, sed tamen ab omni alio distinctum ; si nullum enim exprimeret objectum, illius prolatio mentem non plus afficeret quam vox arabica vel omnino barbara : contrarium autem evidens est : ergo.

Obj. 3°. Revelatio mysteriorum rationi imperviorum est inutilis : ergo repugnat Deum ea revelare.

R. Nego ant. Nam 1° hæc dogmata, intellectum nostrum Deo subjicientia, efficiunt ut reverentiam nostram ei testificemur. 2° Fundamentum sunt præceptorum moralium eorumque sanctio omnino necessaria, ut mors Christi, purgatorium, æternitas pœnarum in inferno, etc. 3° Hæc dogmata sunt inter se concatenata, ita ut quædam sufficienter cognosci non possint quin alia manifestentur : v. g., necessitas gratiæ supponit peccatum originale et mortem Christi ; mors Christi supponit incarnationem, et incarnatio pluralitatem personarum in Deo. 4° Non obscuritatem mysteriorum Deus immediate fidei nostræ proponit, sed veritates supernaturales, quarum notitia nobis necessaria vel saltem maxime utilis est : cum autem illæ veritates aciem mentis nostræ superent, aliquam obscuritatem respectu nostri involvunt, et inde mysteria quæ debilitatem intelligentiæ nostræ arguunt. 5° Revelatio, quæ conterendæ superbiæ mentis humanæ aptissima est, inutilis dici non potest : atqui talis est revelatio et fides mysteriorum captui nostro imperviorum, *ut in probatione ostendimus.* Quod aliunde *Bayle* ipse sic exprimit, *Dict. art.* Pauliciens, *note* F, versus finem : « Il est plus utile qu'on ne pense d'humilier la raison » de l'homme, en lui montrant avec quelle force les hé-

» résies les plus folles, comme sont celles des Manichéens,
» se jouent de ses lumières, pour embrouiller les vérités
» les plus capitales. Cela doit apprendre aux Sociniens
» qui veulent que la raison soit la règle de la foi, qu'ils
» se jettent dans une voie d'égarement qui n'est propre
» qu'à les conduire de degré en degré jusqu'à nier tout,
» ou jusqu'à douter de tout, et qu'ils s'engagent à être
» battus par les gens les plus exécrables. Que faut-il
» donc faire? Il faut captiver son entendement sous l'o-
» béissance de la foi et ne discuter jamais sur certaines
» choses. » Ergo.

PROPOSITIO SECUNDA.

Deus nova præcepta legi naturali addere potest.

Prob. 1°. Deus est supremus dominus noster; sed ut supremus dominus habet facultatem præcipiendi officia quæ in lege naturali non continentur. Principes enim, legislatores et quilibet superiores hujusmodi habent facultatem, eam quotidie exercent, et inferiores eis parere debent, *ut omnes fatentur et alibi probatur*. Ergo *a fortiori* et Deus talia facere potest præcepta quibus parere tenemur.

Prob. 2°. Si Deus talia præcepta facere non posset, maxime quia forent inutilia, vel hominibus injuriæ essent; atqui—A) hujusmodi præcepta non sunt inutilia; nam—*a*) multum inservire possunt ad custodienda legis naturalis præcepta, sicut leges positivæ principis ad servandum ordinem publicum conducunt; — *b*) sensum pietatis in mentibus nostris fovent et excitant; — *c*) uniformitatem cultus divini stabiliunt et conservant, lex enim naturalis dictat aliquem cultum Deo deberi, sed illius formam non determinat : attamen necesse est formam cultus divini positive determinari : alias, tot essent diversi modi Deo serviendi quot capita, et tunc nulla daretur uniformitas in religione, nulla decentia, nulla majestas.

— *B*) Aliunde illæ leges positivæ non sunt homini

injuriæ, dum non sint injustæ, nec impossibiles, atqui a Deo summo domino infinite justo et sapienti provenientes sic se habere non possunt. Ergo.

CAPUT SECUNDUM.

DE NECESSITATE REVELATIONIS.

I. STATUS QUÆSTIONIS. Ut status quæstionis recte dignoscatur sedulo notanda sunt sequentia.

1° Hic non agitur de revelatione relative ad ordinem supernaturalem, nemo enim dubitat quin ad finem et media vitæ supernaturalis ordinandæ revelatio sit absolute necessaria. Idcirco agimus hic tantum de religione naturali, quæ ope rationis deprehenditur in natura rerum fundata, et quæstio est an ratio humana fuerit sufficiens ad hanc religionem detegendam, ac proinde ad Deum recte cognoscendum, rite colendum et vitam bonam informandam, an vero ad id revelatio fuerit necessaria.

2° Concedimus libenter rationem sufficere ad plurima cognoscenda legis naturalis principia, saltem distributive sumpta. Item concedimus rationem sufficere, pro nonnullis hominibus, ad quasdam legis naturalis conclusiones remotas, plus minusve distincte consequendas. B. Paulus, eximius revelationis christianæ præco, id ipse docuit, *Rom.* I, 20, et II, 14, 15; redarguit enim Philosophos, quia *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*. Et quidem plurimi citari possunt auctores antiqui qui sublimem doctrinam circa quædam religionis naturalis officia exposuerunt. Etiamsi multa invenerint in antiquis traditionibus ex revelatione orta, certum est tamen eos opus legis scriptum in cordibus suis detexisse.

3° Nihilominus hæc adeptio religionis naturalis per

viam rationis innumeris hominibus, id est imperitis, fuit omnino impervia; ac ipsis paucissimis peritis fuit semper multum incompleta ac ideo omnino insufficiens. — Fuit incompleta, nam, ut patet ex historiis, multi doctores, ingenio præstantissimi, qui ea methodo usi sunt non pauca de Deo et suis officiis ignoraverunt. — Fuit insufficiens, nam Deus, cum sit essentialiter recti ordinis conservator, debito modo, coli non potest, nec nos ipsimet bonam vitam ordinare non possumus, nisi cuncta nostra officia erga ipsum Deum, proximum et nosmetipsos recte noscamus et impleamus.

4° Itaque nos contendimus rationem in præsenti rerum statu consideratam, fractam et sibi derelictam, non esse sufficientem ad colligendum corpus doctrinæ completum, rectum erga Deum cultum continens, ad illud convenienter docendum et persuadendum et tandem ad rectam vitam instituendam; — et idcirco, ad hoc opus necessariam fuisse revelationem contendimus.

II. Annumerantur impugnatores necessitatis revelationis. — Hoc modo intellectam revelationis necessitatem multis argutiis grassati sunt Philosophi seu Deistæ, qui, præcedenti sæculo, *Voltaire et Rousseau* antesignanos secuti sunt. — Hodierni quoque *Rationalistæ, qui legem progressus indefiniti* adinvenerunt pariter docent minime fuisse, nec esse necessariam divinam revelationem. Si enim eos audias, disces quodvis commercium inter Deum et hominem esse prorsus inutile, quia homo, vel potius *humanitas*, observata lege necessariæ evolutionis, semper a statu inferiori ad superiorem ascendit. Hæc lex ab initio applicata est, et nunquam cessat applicari. Diversæ revelationes quarum fama percrebuit in mundo nihil aliud sunt nisi naturales progressus seu profectus mentis humanæ ad Deum naturaliter ascendentis. Illi progressus revelationes divinæ dicti sunt, quia mens humana præ sua imbecillitate veritatem sine *mythis* capere non valebat; et inter *mythos* præcipuus erat fingere inter Deum et hominem commercium; at mox elucescet dies in qua veritatem sine obnubilatione perspiciemus,

et Deus in sua æternitate, de nostris nihil sollicitus, manebit. Hæc docuerunt olim inter plures *D. Jouffroy* et *D. Cousin*.

III. Proratur necessitas Revelationis. Adversus quotlibet adversantes sequentem firmabimus propositionem.

PROPOSITIO.

Sine revelatione moraliter impossibile erat colligere et convenienter docere corpus religionis quo Deus debito modo honoraretur et mores recte instituerentur.

Prob. Constat propositio nostra si omnes populi quibus non illuxit revelatio, gravissimis laboraverint erroribus circa officia hominis erga Deum, proximum et seipsum, et si ratio ad expellendos hujusmodi errores fuerit insufficiens : atqui hæc duo certa sunt.

1° *Omnes populi quibus*, etc., videlicet — A) *in iis quæ Deum spectant*. Excultissimi enim populi, ut Ægyptii, Chaldæi, Græci, Romani, in densissimis idololatriæ tenebris versabantur; adorabant deos multiplices, sceleribus fœdatos, imbecilles, ex lapidibus, vel lignis confectos, crocodilos, feles, olera, etc. « *On adorait jusqu'aux bêtes et aux reptiles : tout était Dieu, excepté Dieu lui-même*, » inquit *Bossuet, Discours sur l'hist. univ., 2e part., chap.* 3. Hæc deorum monstra ritibus absurdis, impuris et crudelibus celebrantur. Mos fere ubique invaluerat mactandi homines super altaria, ut apud Phœnicios, Syrios, Arabes, Carthaginenses, Thraces, Scythas, Gallos, Germanos, etc., imo apud ipsos Græcos et Romanos ubi aliquod grave imminebat reipublicæ periculum. Eadem barbara consuetudo reperta est apud gentes Americanas, scilicet apud Mexicos, Peruvianos, etc. — B) *In iis quæ spectant proximum*. Pauperes contemnebant, miseros non sublevabant, servos velut jumenta tractabant, et licite, juxta leges, occidebant; liberos onerosos præfocabant vel exponebant, gladiatorum sese jugulantium spectaculo delectabantur, etc. — C) *In iis similiter quæ spectant seipsum*. B. Paulus

sapientes Romanos describens (Rom., I, 29), dicit eos esse *repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia.* Porro si tales fuerint philosophi sapientiæ excultores, quid esse debuerunt populi a regulis sapientiæ alieni, cupiditatibus abrepti, superstitionibus, deorum exemplis et religionis actibus excæcati, ad turpia, crudelia, et quæque flagitia quasi sancte impulsi? Ergo 1°, populi quibus non illuxit revelatio, etc.

2° *Ratio* sibi derelicta *non erat sufficiens* ad præcavendos aut expellendos hujusmodi errores. Si enim sufficiens fuisset, maxime in præstantissimis philosophis qui, ut aiebant, toti erant in inquisitione et manifestatione veritatis : at illi celebres viri hos errores expellere moraliter non potuerunt, ut experientia constat, siquidem nullus accuratum exhibuit corpus doctrinæ. Aliunde, ut populos recte docerent, ipsis deerant scientia sufficiens, bona voluntas, certitudo, auctoritas et methodus apta.

— A) *Scientia sufficiens,* ut jam ostendimus : nullus quippe philosophus omnem tenuit veritatem, nullus in gravissimos non impegit errores. Plato, qui eminentiorem inter eos tenuit locum, mulierum communitatem, barbaramque infantium qui deformes nascuntur vel sunt onerosi expositionem, in sua republica permittit; nudos utriusque sexus homines digladiari jubet. Alii vero aliter erraverunt, ita ut merito dixerit Tullius, de Divinatione, l. 2 : « Nihil tam absurde dici posse quod non dicatur ab aliquo philosophorum. »

— B). *Bonavoluntas* ad expellendas superstitiones populorum requisita ipsis deerat. Secretam enim habebant doctrinam de diis et ritibus sacris, quam palam manifestare nolebant vel non audebant. « Vetus autem illud Catonis » admodum scitum est, inquit Tullius, de Divin., l. 6, » n. 51, qui mirari se aiebat quod non rideret aruspex

» aruspicem cum vidisset ; » et tamen volebat servari aruspicum instituta, propter falsam vulgi æstimationem. Ita similiter alii multi, inter quos Seneca, referente S. Aug., de Civitate Dei, l. 6, c. 10 : « Omnem istam ignobilem » turbam quam longo ævo longa deorum superstitio con- » gessit sic adorabimus, ut meminerimus cultum ejus » magis ad morem quam ad rem pertinere. »

—C) *Certitudo.* Nullum enim circa religionem habebant principium fixum extra omne dubium positum, ex quo procedentes, corpus doctrinæ bene institutum colligerent ac recte docerent : fere in omnibus sibi dissentiebant, etiam in gravissimis punctis ; alii dicebant deos existere ; alii negabant ; alii dubitabant. « Qui vero deos esse dixe- » runt, tanta sunt in varietate ac dissentione constituti, ut » eorum molestum sit numerare sententias, » ait Cicero, de natura deorum, l. 1, n. 2. Eadem erat incertitudo circa mentis humanæ existentiam, naturam et destinationem, ut videre est apud eumdem Ciceronem, Quæst. Tuscul., l. 1, n. 26.

Unde ipse *Rousseau*, *Emile*, t. II, p. 23 : « *Je consultai les philosophes, je feuilletai leurs livres, j'examinai leurs diverses opinions : je les trouvai tous fiers, affirmatifs, dogmatiques, même dans leur scepticisme prétendu, n'ignorant rien, ne prouvant rien, se moquant les uns des autres : et ce point commun à tous me parut le seul sur lequel ils ont tous raison : triomphants quand ils attaquent, ils sont sans vigueur en se défendant. Si vous pesez les raisons, ils n'en ont que pour détruire : si vous comptez les voix, chacun est réduit a la sienne : ils ne s'accordent que pour disputer.* » Ergo, etc.

—D) *Ipsis* pariter *deerat auctoritas.* Supponatur quemdam philosophum cæteros adeo superasse ut corpus sanæ doctrinæ collegisset, numquid illud efficaciter per orbem universum promulgare, convenienter docere et persuadere potuisset? Ipsius ratiocinia fuissent tantum verba hominis, quæ ab unoquoque tam merito rejici quam admitti potuissent. Unde *Locke, Christianisme raisonnable*, l. 8, c. 27 : « *Zénon avait-il le droit de faire des lois au genre humain?*

s'il ne l'avait pas, tout ce que lui ou quelque autre philosophe pouvait dire, n'était compté que pour le sentiment d'un simple homme, que les autres pouvaient recevoir ou rejeter. Ergo, etc.

— *E) Deerat ipsis methodus apta ad docendum.* Procedebant enim ex principiis abstrusis, et præcepta sua per argumenta sæpe intricata inculcare tentabant : at talis methodus captui multitudinis non est accommodata, ut patet. Hinc paucos habebant discipulos, eosque non e vulgo communiter, sed ex adolescentibus liberaliter educatis, quibus suppetebat tempus, ingenium et pecunia sumptibus faciendis proportionata : sicque pauperes, servi et generaliter plebeii documentis sapientiæ erant extranei spernebantur a philosophis, et ipsi spernebant philosophos, ut viros superbos, singulares, societati noxios potius quam utiles.

Concludendum est igitur revelationem esse moraliter necessariam tum ad Deum recte cognoscendum et debite colendum, tum ad plurima legis naturalis præcepta erga proximum et nosmetipsos detegenda atque implenda.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. *cum* Rousseau *aliisque incredulis :* Deus nobis concessit rationem ad eum recte cognoscendum et debite colendum, seu ad explenda omnia religionis naturalis officia : ergo sufficere debet ad, etc.

R. 1° Etiamsi certum esset Deum ab initio concessisse homini rationem ad explenda omnia religionis naturalis officia plene sufficientem, non sequeretur eam nunc sufficere ; nam fieri potest ut homo culpa sua e statu in quo fuerat constitutus deciderit, factus fuerit tenebris involutus, errori obnoxius, etc. Porro sic contigisse constat ex fide, quæ mysterium infirmitatis nostræ mirifice elucidat.

Hinc egregie *Pascal :* « *Si l'homme n'avait jamais été corrompu, il jouirait de la vérité et de la félicite avec assurance : et si l'homme n'avait jamais été que corrompu, il n'aurait aucune idée de la vérité ni de la béatitude ;*

mais, malheureux que nous sommes, et plus que s'il n'y avait aucune grandeur dans notre condition! nous avons une idée du bonheur et ne pouvons y arriver : nous sentons une image de la vérité, et ne possédons que le mensonge : incapables d'ignorer absolument et de savoir certainement, tant il est manifeste que nous avons été créés dans un degré de perfection dont nous sommes malheureusement tombés. » (*Pensées*, édit. de 1754, p. 33).

R. 2° Etiamsi per multa sæcula ratio sufficiens fuisset ad cognoscendum cultum Deo reddendum et præcipua legis naturalis præcepta, cum Deus novas revelare possit veritates supra rationem positas et nova, pro suo arbitrio, imponere officia, nemini licet, absque serio examine, novam revelationem nomine Dei propositam gravibusque evidenter nixam rationibus, rejicere. De hoc iterum et fusius in articulo sequenti.

Inst. 1°. Omnia religionis naturalis officia lege naturali præcipiuntur, seu ad legem naturalem pertinent : atqui lex naturalis semper observari potuit. Ergo, etc.

R. Dist. min. Lex naturalis semper observari potuit quoad primaria ejus præcepta et conclusiones eorum proximas, *conc.;* quoad conclusiones remotas, *subdistinguo* potuit absolute, *transeat;* moraliter ad sensum expositum, *nego min.* Etenim non negamus legem naturalem semper observari potuisse quoad primaria ejus præcepta et conclusiones eorum proximas alioquin homo rationaliter vivere non potuisset. Unde quicumque, ratione præditi, hæc transgrediuntur præcepta etiam in regionibus ubi revelatio christiana non illuxit, a peccato per bonam fidem omnino excusari nequeunt. Non inficiamur pariter legem naturalem absolute observari potuisse ab hominibus distributive sumptis, id est a quibusdam individuis, quoad remotas ejus conclusiones : nam de stricta impossibilitate morali hic tractare consulto abstinuimus. Loquimur tantum de magna difficultate pro individuis et de morali impossibilitate pro omnibus collective sumptis. Porro clare ostendimus homines etiam peritissimos et doctissimos ante revelationis notitiam exstitisse et etiam

nunc versari saltem in magna difficultate, cæteros vero in impossibilitate morali, omnia legis naturalis officia sola ratione cognoscendi. Ergo, etc.

Inst. 2°. Deus semper jussit legem naturalem observari in omnibus præceptis etiam remotis : ergo semper observari potuit, quia Deus impossibilia non jubet.

R. Dist. ant. Deus semper jussit legem naturalem observari, id est nunquam consentire potuit ut violaretur, *conc.;* transgressionem ejus semper imputavit ad peccatum, *nego ant.* Equidem repugnat Deum consentire ut lex naturalis violetur etiam in levissimis punctis, quia consentiret in malum. Unde trangressio illius legis, etiam in remotis ejus conclusionibus, semper est peccatum saltem materiale, atque vera inordinatio coram Deo. Sed Deus hujusmodi transgressionem non semper imputat ad peccatum formale; nam secundaria legis naturalis præcepta invincibiliter ignorari possunt : at Deus certe non imputat ad peccatum transgressionem ex ignorantia invincibili provenientem. Ergo, etc.

Obj. 2°. Salus semper obtineri potuit : atqui revelatio non semper exstitit. Ergo, etc.

R. 1° *Dist. maj.* Salus semper obtineri potuit ab individuis, magna cum difficultate, et plerumque cum cultu Dei valde imperfecto, cujus inordinatio invincibiliter ignota non imputabatur ad peccatum, *conc.;* ab omnibus collective sumptis, vel cum facilitate et recto cultu divino, *nego antec.* Responsio patet ex dictis.

R. 2° *Nego min.* Ex Scriptura enim sacra et traditione novimus Deum ab initio revelationem homini dedisse. Hæc autem revelatio primitiva apud Judæos sæpe renovata et mirabiliter conservata, eos ab universali ignorantia servavit. Apud alias gentes valde deturpata, sed tamen, quoad quædam potiora, per traditionem transmissa, rationem cæcutientem adjuvabat. Ergo falsum est revelationem non semper exstitisse.

Obj. 3°. Non rectius sub revelatione vivunt quam ante revelationem vivebant homines, et quam nunc multi vivunt deistæ revelationem negantes. Ergo, etc.

R. Nego ant. Nam 1° apud populos revelatione carentes adeo communia erant vitia horrenda, ut qui ex aliqua parte morum innocentiam conservabant aut nonnullas colebant virtutes, velut prodigia haberentur. Hinc factum est quod valde laudati fuerint pauci, tum apud Græcos, ut Aristides, Conon, Socrates: tum apud Romanos, ut Cato, Scipio, etc., ob quædam virtutum specimina quæ edidere. Sub revelatione vero notantur crimina, quia communes sunt virtutes. Apud Christianos enim sæpe multo plura sunt virtutis exempla in uno pago quam olim fuere in tota Græcia tantopere celebrata.

2° Si mores sub revelatione corrumpantur, id maxima ex parte rejiciendum est in novos sophistas, qui totis viribus auctoritatem revelationis et ejus efficacitatem tollere conantur. Quo vividior enim est fides in revelationem, eo majora et numerosiora perspiciuntur virtutis exempla: et e contra, quo magis grassatur incredulitas, eo magis atrocissima cujuscumque generis multiplicantur crimina, ut experientia docet.

3° Virtutes infidelium ordinarie non erant puræ et sinceræ: communius ex superbia et vana gloria procedebant; sæpe cum turpissimis vitiis erant conjunctæ, ut legitur de Socrate.

4° Recentiores increduli in ipsa revelatione quam blasphemando rejiciunt, hauserunt sana morum principia quæ retinent. Si enim apud Indos et Sinenses vixissent, et nihil de veritatibus revelatis audiissent, numquid meliores forent quam philosophi in his regionibus celebrati?

5° Si revelatio rationi superaddita ad bonos mores informandos non sit efficax, quanto minus sola ratio sufficeret! Qui enim revelatione destituuntur, ex ignorantia et ex perversitate cordis ad malum rapiuntur; qui vero revelationis luce donati sunt, eo ipso non in tanta versantur ignorantia, siquidem, præter lumen rationis quod servant, supernaturali auxilio illuminantur et adjuvantur. Si ergo causæ peccati per revelationem non tollantur, saltem minuuntur, et remedia malis proportionata præparantur. Ergo, etc.

Obj, 4°. Si necessaria esset revelatio, Deus tanto tempore eam non distulisset, nec tot populis eam nunc denegaret. Ergo, etc.

R. Deus, ut docet ratio, ea tantum debet homini quæ ipsi necessaria sunt ad salutem : porro non demonstratur hominem, ante revelationem, in impossibilitate, saltem absoluta, constitutum fuisse salutem suam operandi. Attamen constat, ex dictis de gravi et universali corruptione, altum existere mysterium rationi sibi derelictæ impervium : solus Deus mysterium istud aperire potuit, et illud optime aperuit per ea quæ docet fides de supernaturali nostra destinatione, de lapsu primi hominis, de peccati originalis labe in cunctis hominibus existente, de Redemptore promisso, de ejus adventu et superabundantibus gratiis ex illo profluentibus, etc.

Deus autem pro suo divino arbitrio differre potuit reparationem lapsus sibi non imputabilis, et quem nunquam reparare potuisset. Similiter intelligitur quomodo nonnullis revelatio concedatur et aliis adhuc vel denegetur, vel differatur. Quod enim non debetur, uni concedi et alteri negari potest ex sola voluntate tribuentis. Neque in hac agendi ratione redarguenda est personarum acceptio ; nam personarum acceptio in eo consistit quod facies personæ et ejus qualitates respiciantur : at Deus bona sua distribuendo, neque faciem neque qualitates personæ respicit, sed tantum voluntatis suæ beneplacitum, *ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.* I. Cor., I,'29.

Communiter tamen docent theologi Deum ita paratum esse revelationem hominibus concedere, ut nemo rationis compos ea privetur nisi ex propria culpa. Deus enim, inquiunt, vult omnes homines salvos fieri : salvari nequeunt absque fide et gratia ; fides et gratia obtineri non possunt sine revelatione : ergo unicuique suppeditare debet media quibus si bene utatur, fidem et gratiam ad salutem necessarias, proindeque saltem sufficientem revelationem, obtinebit. Unde, juxta S. Thomæ doctrinam (de veritate, q. 14, art. 2, ad. 1), si gentiles ratione sua recte uterentur, et legis naturalis præcepta fideliter servarent, in

quantum ea cognoscere possunt, revelationem sufficientem Deus illis concederet sive per ministerium Angeli, sive immediate per vocem internam, sive alio modo nobis incognito : consilia enim Dei altissima sæpe nos latent, et semitæ ejus nobis sunt inscrutabiles. Quidquid sit, certum est Deum esse justissimum, atque homines ultra peccata nunquam esse plecturum.

Ex his autem sequitur minime labefactari necessitatem revelationis ad sensum a nobis expositum.

Obj. 5°. Sub prætextu religionis revelatæ, innumeræ propagatæ sunt superstitiones, ortum habuerunt dissidia et bella : ergo, nedum revelatio sit necessaria, est, e contra, societati noxia. Ita *Rousseau, Emile,* t. II, p. 79.

R. Nego conseq. Homines enim optimis rebus et institutionibus sæpe abutuntur : sic in ordine physico, abutuntur medicina ad se aliosve occidendos, vino ad se inebriandos, alimentis ad se ingurgitandos; in ordine morali, abutuntur facultate loquendi ad detractiones, contumelias, blasphemias, turpiloquia; facultate legendi et scribendi, ad discendam et docendam perversam doctrinam, ad componendos pessimos libros : sic subditi sapientioribus abutuntur legibus ut seditiones foveant : sic et principes aliique superiores sua nonnunquam abutuntur legitima potestate ut inferiores tyrannice opprimant. Numquid hæc ideo sunt rejicienda tanquam mala? Nemo certe id dixerit. Ergo a pari, licet sub prætextu revelationis, etc., valde immerito diceretur revelationem societati noxiam esse ; quod recte sic notat *Montesquieu, Esprit des lois,* l. 1, chap. 2 :

« *C'est mal raisonner contre la religion, que de rassembler dans un grand ouvrage une longue énumération des maux qu'elle a produits, si on ne fait de même celle des biens qu'elle a faits. Si je voulais raconter tous les maux qu'ont produits dans le monde les lois civiles, la monarchie, le gouvernement républicain, je dirais des choses effroyables.* »

CAPUT TERTIUM.

DE METHODO ADHIBENDA IN INQUISITIONE REVELATIONIS.

I. Status quæstionis. Ut quæstio recte explanetur, notentur sequentia :

1° Duplex est via qua veritates extra nos positas cognoscere possumus, nempe ratio et auctoritas : per methodum rationis rem in sua natura intrinseca expendimus, v. gr., ratione scimus radios circuli esse æquales inter se. Hoc modo procedentes admittimus aut rejicimus quod assensui nostro imponitur per vim demonstrationis. Per methodum auctoritatis non rem ipsam, juxta proprietates suas, sed motiva credibilitatis externa, quibus existentia ejus adstruitur, requirimus. Sic auctoritate novimus Alexandrum olim exstitisse.

2° Pseudo-philosophi, *Rousseau* et ejus asseclæ, nunc valde numerosi, omnes scilicet *Rationalistæ*, cum velint Deum nihil revelare posse quod sit supra rationem, contendunt in revelatione acquirenda incipiendum esse a ratione, nihilque ut revelatum admitti posse, nisi prius rationi consentaneum deprehendatur. Itaque inter dogmata, quæ ut revelata proponuntur, ea eligunt et ut vera tenent quæ scientifice probare valent, quemadmodum probant veritates philosophicas, aut theoremata geometriæ et astronomiæ; et tandem ea credunt, non equidem quia Deus ea revelavit, sed quia per demonstrationem ratio sibimet ea imponit.

3° Nos vero, licet abhorreamus ab hac superbia, qua Deus prohibetur revelare veritates captum mentis nostræ superantes, in inquisitione revelationis aliquod adhiberi posse rationis examen concedimus. Etenim attendere possumus an doctrina, quæ ut ex revelatione orta propo-

nitur sit absurda, contradictionibus plena, ad turpia ducens; nam si ita se haberet, pronuntiandum esset ex Deo verissimo, sapientissimo sanctissimoque non provenire. Sic communiter SS. Patres et Missionarii paganismum refellunt. Revera hoc examen vix meretur nomen methodi rationis, quia contradictio et scurrilitas, quasi absque examine præ oculis scaturiunt. Nihilominus hoc prævio examine caute utendum est et præcavendum ne pro absurdis aut contradictionibus veritates tantum supra rationem positæ habeantur.

Item nos quandoque methodum rationis jure applicantes, expendimus an doctrina, quæ ut revelata datur, præ se ferat divinæ originis indicia, fulgeatque tali excellentia et sublimitate, ut ab hominibus oriri nequeat. Hoc examen licet legitimum, difficile est, multis impervium, et causa nostræ ignorantiæ multum insufficiens. Multo melius, jam detecta revelatione per methodum auctoritatis, ut quædam confirmatio, adhiberetur.

II. METHODUS AUCTORITATIS ARGUMENTIS PROBATUR. His omnibus perpensis in unica sequenti propositione stabiliemus methodum rationis in sensu rationalistarum intellectam nullo modo adhibendam esse cum de revelationis indagatione agitur; methodum auctoritatis vero solam generatim loquendo admittendam esse. Dicimus *generatim loquendo*, ut non absolute prohibeatur examen prævium, ut supra expositum est.

PROPOSITIO.

In inquisitione Revelationis rejicienda est methodus rationis, sensu Rationalistarum intellecta, et via auctoritatis, generatim loquendo, admittenda.

Prob. prima pars. Illa via admitti non potest quæ plena est temeritatis, superbiæ et impietatis, fereque omnibus impervia, atqui talis est via discussionis.

1° *Plena est temeritatis.* Nihil enim magis temerarium est quam mysteria et res supernaturales velle ponderare

ad trutinam rationis, quæ sæpissime in rebus etiam naturalibus cæca est; naturam Entis infiniti, ejus attributa, ejusque æterna decreta velle perscrutari et comprehendere : verumtamen ita se gerit qui sola via discussionis in inquirenda revelationis existentia utitur : ergo.

2° Hæc via *plena est superbiæ et impietatis;* summæ enim superbiæ et impietatis est humanam rationem ita extollere ut nihil cognoscat Deus, nihil saltem revelare possit quod mentis nostræ captum superet : atqui via quam hic impugnamus hoc supponit : ergo.

3° *Omnibus fere est impervia.* Omnes ad notitiam revelationis pervenire debent, atqui sola via discussionis omnes certo cognoscere nequeunt revelationis existentiam. In ea enim hypothesi, unusquisque res revelatas sola ratione expendere, attingere et a non revelatis tuto secernere debet : omnes igitur difficultates quæ ab incredulis proponuntur, omnesque responsiones quas afferunt catholici notas habere, omnes Scripturas, sanctorum Patrum opera, auctores ecclesiasticos, imo et profanos percallere, quidquid in gratiam religionis et contra eam scriptum est, non solum in versionibus et in interpretationibus, sed etiam in ipsa lingua qua scripti sunt libri, addiscere debet : atqui maxima pars hominum, ne plus dicamus, tanti studii et examinis omnino est incapax : ergo.

Prob. secunda pars. Illa via admittenda est quæ convenit tum Deo revelanti, tum veritati revelatæ, tum hominibus eam indagantibus, atqui hæc tria certa sunt.

1° *Via auctoritatis Deo convenit.* Etenim Deus nec falli nec fallere potest : ergo, ubi de revelatione agitur, hoc unum expendendum est, nempe an revera locutus fuerit necne proindeque ad sola credibilitatis motiva recurrendum est.

2° *Convenit naturæ veritatis revelatæ.* Revelatio enim est factum contingens; atqui facta contingentia ex ratione cognosci non possunt, sed ex sola auctoritate et hominum testimonio.

3° *Hæc via convenit hominibus veritatem revelatam in-*

quærentibus. Quia hæc via simul est facilis, brevis et secura omnibusque apta. *Facilis est*, præsertim si methodo rationis eam conferas, nam de testimoniis externis circa factum externum et sensibile agitur; est *brevis*, siquidem facto revelationis in tutum redacto, omnes simul veritates, objectum revelationis, in tuto reponuntur; *secura* est, nam probata per viam auctoritatis revelatione, adhærendum juvat veritatibus revelatis, absque timore errandi, testante Deo ipso: tandem *omnibus apta*, quod ex dictis patet, et aliunde neminem fugit quod supra captum omnium non sit expendere an factum externum factum fuerit, necne. Ergo convenit via auctoritatis in inquirenda revelatione tum hominibus eam indagantibus, tum veritati revelatæ, tum Deo revelanti; ergo admittenda.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Motiva credibilitatis sufficienter non expenduntur nisi expendantur etiam omnia momenta quæ in gratiam singularum religionum proferuntur, nisi cunctæ perpendantur difficultates quæ circa illa motiva solent agitari : atqui maxima pars hominum id præstare non potest : ergo via auctoritatis non facilior est quam via discussionis.

R. 1° Ex illo argumento sequeretur maximam hominum partem nullo modo veram religionem cognoscere posse, illique prudenter adhærere : hoc autem summæ providentiæ et bonitati Dei repugnat : ergo.

R. 2° *Nego maj.* Nam, ut quis prudenter judicet religionem suam esse veram, sufficit quod aperte videat illam solidissimis innixam esse fundamentis : at clare videre potest eam sic esse innixam, sine ullo respectu ad alias religiones; hinc naturaliter concludere, absque ulla hæsitatione, cæteras religiones esse falsas.

R. 3° In decursu hujus Tractatus demonstrabimus tanta et tam splendida esse credibilitatis motiva in favorem religionis christianæ, ut fere primo intuitu appareat

rusticis et imperitis nullam esse aliam quæ talibus veritatis argumentis gaudeat; unicuique enim manifestum est nullam esse aliam tot prophetiis annuntiatam, tot miraculis confirmatam, tot martyrum sanguine signatam, tam mirifice et tam celeriter diffusam, contra tyrannorum et cupiditatum conatus. Unde sic ratiocinari possunt etiam simplicissimi homines : Vel religio christiana vera est, vel nulla : at certum est unam esse veram; ergo, etc. Non necesse est igitur ut singula momenta quæ in gratiam aliarum religionum proferuntur ab unoquoque expendantur, nec ut omnes difficultates quæ circa motiva credibilitatis agitari possent perpendantur.

R. 4° Quilibet homo, etiam imperitus, absque ulla errandi formidine credit corpora existere, licet omnes difficultates quæ circa illorum existentiam fuerunt excogitatæ nec cognoscat, nec solvere queat : sic unusquisque certo cognoscere potest imperium Romanum olim exstitisse, Alexandrum victorias reportasse, quamvis cavillationibus Pyrrhoniorum respondere non possit : ergo *a pari* unusquisque infallibiliter cognoscere potest motiva credibilitatis religionis, licet non solverit nec solvere valeat difficultates quæ circa illam proponuntur.

Inst. 1°. Omnes plebeii et imperiti homines credibilitatis motiva cognoscere non possunt nisi per aliorum explicationes; at semper timendum est ne ab aliis decipiantur : ergo.

R. Nego min. Plebeii enim et imperiti homines non nisi per aliorum explicationes cognoscunt facta præterita, v. g., existentiam imperii Romani, victorias Alexandri vel Julii Cæsaris : attamen de illis factis non dubitant. Cum enim videant quoscumque doctos ea unanimiter asserentes, facile comperiunt inter eos nullam esse collusionem, ac proinde de hujusmodi factorum veritate minime dubitant. Porro eadem certitudine cognoscere possunt motiva credibilitatis religionis nostræ, nempe miracula et prophetias; quotidie namque audiunt parochos aliosque doctos ea facta supernaturalia constanter et unanimiter docentes, asserentes et ab objectis incredulorum

vindicantes: atqui, hoc posito, ea ut certa habere debent; clare enim percipere possunt parochos et alios doctos illa asserentes non esse impostores, impossibile esse illos inter se ad decipiendum collusisse. Præterea, si quid falsi dicerent, hæretici, schismatici, mali sacerdotes, innumeri fideles qui etiam sunt docti, totis viribus statim reclamarent. Ergo.

Inst. 2°. Absurdum est credere objecta ab aliis tantum intellecta : at in hac hypothesi plebeii et imperiti crederent objecta ab aliis tantum intellecta : ergo.

R. Dist. maj. Si de veritate illorum objectorum aliunde non constet, *concedo*; si de veritate illorum aliunde infallibiliter constet, *nego maj.* Etenim nulla est absurditas credere objecta in seipsis non intellecta, si aliunde de illorum veritate nullum moveri possit dubium; verum de veritate objectorum quæ revelata sunt ita per motiva credibilitatis constare potest, ut circa illa nullum dubium moveri queat : ergo.

Inst. 3°. Absurdum est objecta per alienos oculos videre : ergo *a pari*, etc.

R. Dist. ant. Absurdum est, etc. si oculi nostri sint sani et objecta præsentia, *concedo*; si oculi sint vitiati vel si objecta sint a longe posita, *nego ant.* Equidem absurdum esset objecta per alienos oculos videre, si oculi nostri essent sani et objecta præsentia : at si oculi nostri sint vitiati, non absurdum est objecta per alienos oculos videre : imo absurdum esset ea negare, quamvis testes oculati assererent illa existere et esse talia vel talia : at in rebus religionis, circa quas cæci sumus, non minus absurde Deo loquenti denegaretur assensus. Ergo.

Inst. 4°. Pagani et Mahumetani non magis dubitare debent de sacerdotum suorum sinceritate quam apud nos plebeii et imperiti : si ergo sola via auctoritatis admittenda sit, nullo modo a tenebris errorum suorum exire poterunt.

R. Nego ant. Nam facta quæ in favorem religionis christianæ narrantur, tam sensibilia, clara et splendida sunt, doctrina illius tam sapiens, pura et sancta est, ut

omnes facile percipiant sacerdotes non esse deceptos nec deceptores : atqui tales veritatis characteres non reperiuntur in paganismo nec in mahumetismo, ut unicuique etiam leviter attendenti patebit; undique enim et in dogmatibus et in factis evidens manifestatur absurditas. Ergo nulla est paritas.

CAPUT TERTIUM.

DE CHARACTERIBUS QUIBUS EXISTENTIA REVELATIONIS CERTO CONSTARE POTEST.

Quid et quotuplex nota revelationis. — Respectu illius cui immediate Deus loquitur, nullum requiritur signum externum : eodem modo enim Deus veritates supernaturales nobis manifestare potest, quo nobis communicat veritates naturales, v.g., omnes circuli radios esse æquales : id est, efficere potest ut tam infallibiliter judicemus ipsum nobis loqui interne, quam certo percipimus veritates evidentes.

At non tenemur fidem iis omnibus adhibere qui prætendunt se a Deo fuisse missos et nomine ejus loqui; requiruntur notæ quibus prudenter judicemus eos non esse deceptos aut deceptores; notæ autem illæ duplicis sunt generis; aliæ sunt negativæ et aliæ positivæ.

1° *Notæ negativæ* sunt quædam conditiones sine quibus revelatio existere non potest, quamvis iis positis non constet illam existere, ideoque vocantur negativæ.

Illæ vero conditiones sunt : — a) ut doctrina quæ tanquam revelata profertur non sit evidenter absurda; nam quod est absurdum falsum est, et a Deo revelari non potest. — b) Requiritur ut præcedenti revelationi certæ non sit opposita, quia repugnat Deum sibi contradicere : attamen quasdam leges positivas ad tempus duraturas concedere, alias eis substituere, et revelationem

obscure factam clarius deinceps manifestare potest. — c) Requiritur, saltem ordinarie, ut ii quibus revelatio facta dicitur, sint probi, pii et virtutibus conspicui; licet enim impios ad declarationem veritatis Deus cogere possit, repugnat tamen illum, ad revelandam instituendamque religionem sanctam, eorum uti ministerio qui tanquam peccatores publice habentur. — d) Requiritur ut doctrina quæ velut revelata exhibetur, ad Dei gloriam et hominis felicitatem conducat; si enim ad finem perversum tenderet, vel cupiditatibus faveret, a Deo venire non posset.

2° *Notæ positivæ* sunt signa quædam extrinseca et velut litteræ testimoniales, digito Dei subscriptæ ipsiusque sigillo munitæ, quibus infallibiliter judicatur præcones revelationis ab eo missos fuisse et nomine ipsius loqui. Signa hæc vocantur credibilitatis motiva. Necesse est ut sint: — a) sensibilia, et quædam saltem omnium captui accommodata; alioquin simplices et imperiti revelationem prudenter cognoscere non possent: — b) certa et inconcussa, ut omnem tollant dubitationem et ad fidem proxime disponant.

Plurima autem numerantur signa externa, nempe miracula, prophetiæ, martyres, mira religionis propagatio, etc. Primum et præcipuum locum tenent miracula et prophetiæ, de quibus valde litigant cuncti revelationis hostes. Nobis igitur de illis paulo fusius in duplici articulo disserendum est.

ARTICULUS PRIMUS.

DE MIRACULIS.

Hanc gravis momenti quæstionem sub uno tantum respectu investigaturi sumus, quatenus scilicet miraculum exhiberi potest ut veræ religionis demonstratio relative ad nos, itaque in paragraphis sequentibus examinaturi sumus: 1° Quid sit miraculum, vel de definitione miraculi, et an sit multiplex, seu de divisione miraculi; 2° An sit possibile, vel de possibilitate; 3° An certo co-

gnosci possit, vel de ejus noscibilitate; 4° De ejus auctoribus seu de miraculi origine; 5° An vim habeat probandi veram esse doctrinam in cujus gratiam patratur, seu de vi ejus probativa.

§ I. — De definitione et divisione miraculi.

I. De definitione miraculi. Miraculum a *mirando* sic dicitur, quia, juxta omnes, est factum aliquod insolitum et mirandum. Certum est tamen omnia facta quæ mirationem movent et excitant, non ideo esse miracula : nam multa quasi inviti miramur quæ sunt naturalia, qualia sunt stupendi effectus electricitatis et magnetis, apparitiones cometarum, auroræ boreales, subtilitates nonnullorum ludentium, etc.

Philosophi autem et theologi non sibi concordant in assignando legitimam et accuratam miraculi definitionem : præcipuas eorum opiniones referemus, deinde nostram statuemus.

1° *Locke*, philosophus Anglus, in opere gallice inscripto *Christianisme raisonnable*, definit miraculum : *Opus sensibile quod cursui naturæ contrarium et divinum judicat spectator*. At illa definitio admitti non potest; ex ea enim sequeretur idem opus fore simul miraculum et non miraculum, prout judicaretur ab adstantibus.

2° *Houtteville* in suo tractatu dicto : *La religion chrétienne prouvée par les faits*, definit miraculum : Miraculum est factum naturale, id est productum quibusdam naturæ legibus, sed particularibus, occultis et ignotis quas Deus ab initio condidit, et in ordine legum generalium, quibus mundus physicus regitur, miro artificio inseruit. Hanc miraculi definitionem sic explicat auctor. Deus condendo leges naturales attendit non tantum ad ordinem physicum naturamque corpoream, sed etiam ad ordinem tum moralem, tum supernaturalem; et simul ad seriem eventuum seu factorem quibus vera religio propaganda confirmandaque esset inter homines, v. gr., ad missionem Moysis, Prophetarum, Christi, Apostolorum.

Vi hujus prævisionis instituit præter leges naturales quibus regitur orbis quasdam leges occultas et singulares, quæ in determinatis circumstantiis naturaliter producunt omnes effectus ad tuendum ordinem religiosum seu supernaturalem necessarios. Atqui ad hunc ordinem miracula, ut patet, pertinent, cum manifestius signum divinæ voluntatis dari non posset. Ergo leges naturales et occultæ, de quibus supra, in circumstantiis prævisis et determinatis naturaliter et quasi spontanea miracula producunt; ac proinde miracula sunt tandem vere ac realiter facta naturalia, nullamque suspensionem legum naturæ, nullam iis legibus derogationem supponunt. Hæc hypothesis, pergit auctor præfatus, minime repugnat, nam Deus qui leges generales libere condidit leges particulares iis sociare potuit. Insuper, hac suppositione admissa, manifestum est decreta divina non mutari, ut *Spinosa* contendit, quando fiunt miracula. Cum ea ab æterno previderit et voluerit Deus, condideritque leges quarum vi eveniunt, cum fiunt, divina decreta non mutantur, sed potius observantur. Attamen miracula, sic intellecta vi probandi non carent cum enim sint eventus extraordinarii; licet naturalium consectaria, voluntatem Dei evidenter manifestant, quia casu fortuito cum circumstantiis in quibus patrantur coincidere non possunt : quis dicere vellet solo casu v. g., fortuito fieri posse ut ad vocem cujusdam hominis cæci videant, surdi audiant, muti loquantur, claudi ambulent, morbi pellantur, mortui resurgant, etc., etiamsi effectus isti ex legibus ab initio conditis orirentur? Revera igitur dicendum est cum magis Pharaonis : *Digitus Dei est hic*, Exod. VIII, 19. Ergo.

In opere dicto *Palingénésie philosophique*, Carolus *Bonnet* sententiam profert quæ ad hanc accedit quoad substantiam.

Ad hanc hypothesim *Houtteville*. quam ipse non admittit nisi ut possibilem, recurrere non necesse est ut Spinosæ argumentum funditus evertatur. Ideo enim, juxta Spinosam, Deus patrare non potest miracula, quia, ex una parte, leges naturæ sunt ipsius decreta, et ex al-

tera parte decreta sua mutare non potest; sed admissis duabus his præmissis, nihilhominus Deus patrare potest miracula leges naturæ suspendendo; ab initio enim decernere potuit quod in tali circumstatia has suspenderet leges : atqui tunc, eas suspendendo, sua non mutat decreta, sed e contra ea perficit et absolvit, ut manifestum est.

Præterea hypothesis ab *Houteville* excogitata — a) nullo innititur fundamento, siquidem nihil in illius gratiam affertur, præter meram possibilitatem; — b) adversatur vulgari hominum opinioni, qui omnes persuasum habent miracula universalibus naturæ legibus derogari; — c) verbis actibusque Christi et Apostolorum consentanea non videtur : dicitur enim de illis quod miracula operarentur, ventis et mari imperando, infirmos curando, mortuos suscitando, opera faciendo; — d) sunt miracula quæ in hypothesi *Houteville* explicari nequeunt, nempe creatio alicujus entis proprie dicta, resurrectio mortuorum, nisi eam curationem voces. Ergo istius auctoris rejicienda est hypothesis et miraculi definitio.

3° Miraculum juxta nos recte definiri potest : *Opus externum consuetis naturæ legibus contrarium viresque humanas superans.*

Dicitur — a) *opus externum,* quia debet esse sensibile; alioquin clara et evidens revelationis nota non esset.

Dicitur — b) consuetis naturæ legibus contrarium : his verbis naturam miraculi attingimus; porro ista contrarietate miracula sunt sive supra, sive contra, sive præter leges naturales. Alia enim consistunt in suscitatione cujusdam substantiæ, et in communicatione cujusdam formæ, et sunt proinde opera circa quæ nulla existit lex naturalis; v. g., creatio alicujus materiæ. Omnes sciunt nullam esse legem naturalem quæ præsit operibus hujus generis. Itaque dicimus hæc opera vel miracula esse *supra leges naturales.* Alia fiunt contra naturæ leges, cum effectus productus inclinationi contrariæ et constanti naturæ opponatur; sint in exemplum, sol stans in suo cursu

ad vocem Josue, transitus maris Rubri et Jordanis, pede sicco, etc. Alia tandem patrantur neque *supra, neque contra, sed præter* leges naturæ, quia effectus productus nec transcendit potestatem naturæ, nec legibus ejusdem contradicit, sed diverso modo patratur, talis est curatio *subita*, et nullo *adhibito remedio*, febricitantis, qui etiam usu medicamentorum sanari potest, sed diversimode.

Dicitur — c) *vires humanas superans*, ut excludatur homo tanquam causa efficiens miraculorum. His autem verbis non excluduntur angeli nec dæmones, qui certi generis de quo mox dicetur miracula operari possunt.

II. De divisione inter miracula proponenda. — Ratione causæ seu originis considerata miracula dividuntur in miracula *proprie dicta* et miracula *improprie dicta*. Miracula *proprie dicta* ea sunt quæ summa Dei potestas operatur sive per se, directe et immediate, sive per ministerium hominum, angelorum vel etiam dæmonum. Itaque recte definirentur mutando novissima verba præcedentis definitionis per hos sequentes terminos... *Vires totius naturæ creatæ* superans. Per miracula improprie dicta, vel per miracula *quoad nos*, ut ait D. Thomas intelliguntur stupendi effectus quos angeli aut dæmones patrant, *virtute sibi propriâ*, cujus homo non est particeps. Virtus enim eminens penes est angelos et etiam dæmones, licet ea virtus quoad exercitium, apud eos ligata sit, et non mirum si aliquid agere valeant quod nos ad imitandum impares simus, ut mox videbitur. Theologi auctores aliquando miracula proprie dicta vocant primi ordinis, secundi ordinis vero ea quæ hic vocamus improprie dicta.

§ II. — De possibilitate miraculi.

PROPOSITIO.

Miraculum est possibile.

Prob. ratione. Si miraculum esset impossibile, illud foret, vel quia Deus leges naturæ suspendere non posset,

nec eisdem derogare, nec extra eas agere, vel quia miraculum supponeret mutationem in decretis divinis, vel quia hoc opus repugnaret Dei sapientiæ; atqui nihil horum dici potest :

Non primum; Deus enim auctor legum naturæ quas libere condidit evidenter potest eas suspendere eisque derogare, vel etiam extra eas agere, sive per se, sive per delegatos.

Non secundum; decreta divina, cum fit miraculum, non mutantur, modo Deus ab æterno voluerit et statuerit miracula hujusmodi; atqui res ita se habet, ergo...

Non tertium; sapientia divina quæ relucet in ordine mundi non læditur per miraculum, nam suspensio unius legis naturalis in casu particulari non impedit quin prædictus ordo semper ordinarie et ubique servetur. — Neque etiam divinæ sapientiæ repugnaret, et si ordo præfatus mundi pœnitus rueret. Hunc enim ordinem contingentem, et a sua libera voluntate pendentem Deus posset turbare, et etiam eum funditus evertere, quod revera fiet in consummatione sæculi; ergo miraculum non repugnat divinæ sapientiæ; aliunde probatum est modo illud nec repugnare æternæ ejus immutabilitati nec supremæ potestati, ergo miraculum est possibile. Unde sic ipse civis genevensis, omnis religionis revelatæ infensissimus hostis, *Lettres de la Montagne* :

« Dieu peut-il faire des miracles? c'est-à-dire peut-il » déroger aux lois qu'il a établies? Cette question, sérieu- » sement traitée, serait impie, si elle n'était absurde : ce » serait faire trop d'honneur à celui qui la résoudrait né- » gativement, que de le punir; il suffirait de l'enfermer : » mais aussi quel homme a jamais nié que Dieu pût faire » des miracles? »

Obj. Deus non potest turbare ordinem hujus mundi, quem sapienter instituit : at operando miracula turbaret ordinem hujus mundi : ergo.

R. Nego maj. Deus enim pro libitu illum perturbare potest ordinem quem libere instituit, quem potuisset

non instituere, quem mutare et destruere posset : porro certum est Deum ordinem hujus aspectabilis mundi libere instituisse, illum nunc mutare et etiam destruere posse : ergo 1°

R. 2° *Nego min.* Si enim Deus patrando miracula ordinem mundi turbaret, certe quia leges naturæ suspenderet : atqui ordinem mundi non ideo perturbat, quia leges naturæ aliquando suspendit; lex enim contra quam peragitur miraculum in eo tantum casu particulari suspenditur, in cæteris vero casibus consuetos habet effectus : v. g.. si ignis in fornace Babylonis tribus pueris pepercit, non ideo cessavit in aliis mundi partibus et in cæteris casibus objecta sibi exposita, juxta morem suum, comburere. Ergo.

§ III. — De noscibilitate seu de certitudine miraculi.

Antequam aggrediamur hanc quæstionem, an miraculum certo cognoscit possit, fatemur libenter nos in quibusdam casibus non sine magna difficultate miracula vera ab effectibus naturalibus secernere posse. Omnes enim effectus stupendi non sunt ideo miracula, et quandoque leges naturales viis ignotis stupenda efficiunt. Sed id ad finem nostrum non attingit, nec requiritur, sufficit enim ut miraculum in genere cognosci possit, vel aliis terminis ut non sit impossibile cognoscere verum miraculum, quod ex probata sequenti propositione constat.

PROPOSITIO.

Miraculum certo cognosci potest.

Prob. Ratione. Duplici modo miraculum considerari potest nempe ut factum sensibile, et ut factum supernaturale, atqui sub utroque respectu constare potest..... Ergo.

1° Ut factum sensibile eodem modo cognoscitur a

alia facta hujus generis, scilicet relatione sensuum, hominum testimoniis, etc.....

2° Ut factum *supernaturale* facillime etiam cognosci potest. Ad hoc enim duo requiruntur et sufficiunt, ut nimirum cognoscamus leges naturales circa quosdam effectus, et aliunde clare videamus effectum productum iis legibus derogare. Porro hæc duo constare possunt. Constat *prius*, scilicet sive ex Providentia mundum gubernante, sive ex affirmatione peritorum, et scientiæ demonstrationibus, sive ex quotidiana experientia nos cognoscere quasdam leges quibus regitur mundus physicus et moralis; v. g., constat experientia omnium sæculorum, solem quotidie ab oriente ad occasum declinare videri; nunquam pati eclipsim nisi luna ipsum inter et terram fuerit posita, ac proinde tempore novilunii; morbos pertinaces subito et absque remediis physice applicatis non sanari, mortuos non resurgere. — *Constare* potest et *posterius*, scilicet effectum productum esse contrarium iis legibus; si enim videamus solem in medio cursus sui sistere, in tempore plenilunii eclipsim pati; ad solum hominis jussum conspiciamus morbos expelli, infirmitates curari, mortuos resurgere, nonne videmus aperte hæc extraordinaria facta consuetis naturæ legibus nobis bene notis esse contraria? Ergo, etc.

Dices cum rationalistis: Totam naturæ *energiam* omnesque leges ejus non cognoscimus: ergo temere affirmamus extraordinaria facta, quæ vocantur miracula, non esse effectus causarum naturalium nobis ignotarum.

R. Nego conseq. — 1° Quamvis enim totam naturæ *energiam* cunctasque illius leges non cognoscamus, affirmare possumus, absque ullo errandi periculo, tales aut tales effectus non esse consectaria alicujus legis naturalis nobis ignotæ; v. g., licet non percipiamus quid industria humana in sanandis morbis valeat, infallibiliter affirmamus pertinaces morbos ad jussum hominis expelli non posse. 2° Leges occultæ ex solis viribus naturæ agentes, effectus suos stupendos arbitrariis hominis verbis aut factis apprime conformes non producerent. — 3° Leges naturæ de-

bent esse constantes, uniformes, et eosdem producere effectus in iisdem circumstantiis : at tales non essent illæ fictitiæ leges quæ in sinu naturæ delitescere supponuntur, siquidem, postquam per multa sæcula otiosæ exstitissent, in effectum subito erumperent, et statim in eamdem relaberentur inertiam. — 4° Repugnat Deum, auctorem naturæ, nos inducere in errorem : at, si facta supra descripta naturales essent effectus *energiæ* naturæ, seu quarumdam legum occultarum, Deus nos induceret in errorem; siquidem omnes homines, stupenda hujusmodi videntes facta, invincibili feruntur propensione ad judicandum quidquid ipsis objiciatur, talia facta naturæ vires superare. Ergo.

§ IV. — De causâ efficiente miraculorum.

I. De Deo, causa efficiente miraculi. — Diximus in initio hujus articuli, miracula fieri posse vel supra, vel contra, vel præter leges naturales. Inconcussum videtur solum Deum sive per se, sive per ministros posse efficere miraculum *supra* leges naturales. Istius generis opus extra quamcumque legem operatum a sola potestate *creativa* oritur, ac proinde a sola potestate divina. — Talis est creatio cujusque etiam minimæ substantiæ. Ea dicta sunt miracula proprie dicta, seu primi ordinis, et ad eorum definitionem attendit D. Thomas cum dicit miraculum proprie dictum, *illud est quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ.*

II. De angelorum potestate circa miracula. — Inconcussum item videtur spiritus superiores, scilicet angelos tanquam ministros Dei quæcumque operari posse miracula, et in hoc casu nihil sunt nisi causa instrumentalis. Sed petitur utrum angeli vi sua nativa possint etiam efficere quædam miracula. Certum est miracula *primi* ordinis, ut jam dictum est, omnino supra potestatem angelicam sita esse. Probabilius, aut potius certum videtur angelos potestate sibi naturali vera operari posse prodigia vires humanas superantia. Nam angeli, licet spiritus

puri, naturalem habere possunt potestatem in materiam, quemadmodum Deus, Spiritus etiam perfectus, agit in eamdem materiam, et mens humana quamdam ex virtute sibi naturali exercet potestatem in proprium corpus, cui alligata est. At hæc potestas angelis propria sufficit ut angeli quædam operari possent prodigia, scilicet effectus qui perspiciantur contra leges naturæ operati, vel præter easdem leges. Illa prodigia erunt miracula quoad nos, quia vel eorum rationem ignorabimus, vel quia ad ea pariter efficienda impares erimus. Sed in se sæpissime non fient *præter* vel *contra* leges naturales, sed per applicationem subtilem, promptissimam et efficacissimam illarum legum naturalium. Hæc vero tamen applicatio quoad nos est etiam miraculosa. Certum est etiam quod, licet angeli maxima potestate naturaliter in materiam et in substantias intellectuales polleant, non eam exerceant absque nutu divino; ad divinam voluntatem semper intenti, agunt et abstinent, cum Deo placuerit.

III. De dæmonum potestate circa miracula. — Quæritur an dæmones seu *angeli* mali edere possint miracula. Apud omnes docetur dæmones per *culpam* et *pœnam* mutationem naturæ non esse passos, ac proinde *virtutem angelicam*, nec imminutam quidem substantialiter, apud eos remanere; quoad autem exercitium fuit ligata, ita ut ea uti nequeant, nisi Deus permittat, ipsisque non fas sit licentiæ limites prætergredi. Possunt etiam in usu potestatis hujus ab angelis fidelibus coerceri. In hyopthesi quod a Deo aliquam licentiam accipiant, non possunt dæmones efficere quotquot maleficia eis suggerat prava eorum malitia; sic non possunt, virtute propria, ordinem mundi generalem turbare. Certum est etiam eos, si agant, eadem uti potestate ac boni angeli; videlicet, ad patranda prodigia, dæmones elementis naturalibus (*agents naturels*) utuntur, quorum plura nobis ignota sunt, eaque applicant modo insolito et extraordinario. Illa elementa a substantiis spiritualibus multum nobis superioribus sic applicata miram efficaciam seu energiam ab hac circumstantia mutuantur et stupendos producunt ef-

fectus, qui miracula improprie dicta seu quoad nos nuncupari possunt. Illi etiam vigent potestate ita sensus nostros tam internos quam externos turbandi, ut firmiter credamus objecta videre quæ tamen non existunt, vel præ oculis nostris non sunt præsentia.

Circa hanc quæstionem de diabolica potestate a nobis manet inquirendum an revera, Deo permittente, dæmones possint miracula improprie dicta in gratiam erroris patrare; et quibus notis, si quæ sint, miracula divina a pravis tuto secerni possint.

PROPOSITIO.

Dæmones patrare possunt miracula improprie dicta in gratiam erroris.

Prob. 1° Ex unanimi SS. Patrum et Theologorum consensu qui explicare non possunt nisi operatione dæmonis multa facta quæ referuntur in libris tum sacris, tum profanis. In exemplum adducunt facta ab incantatoribus Pharaonis peracta.

Prob. 2° *Ex ratione.* Deus permittere potest ut dæmones operentur miracula etiam in gratiam erroris, modo præbeat media certa et infallibilia diaboli operationes a miraculis divinis secernendi; atqui ita se res habet, scilicet Deus licentiam præfatam dæmonibus committere potest, ut homines tententur, et fides eorum magis reluceat et magis sit meritoria; aliunde semper notæ adhibentur certæ quibus dignoscitur bonum a pravo miraculum; alioquin Deus ipse homines in errorem induceret, cum eis dederit ineluctabilem propensionem ad credendum iis qui doctrinam suam miraculis confirmant. Ergo Dæmones possunt patrare miracula improprie dicta etiam in gratiam erroris.

IV. De notis divinorum miraculorum. Per notas divinorum miraculorum intelliguntur quidam characteres quibus a miraculis diabolicis secernuntur divina miracula. Duplicis sunt generis sicut notæ revelationis de

quibus supra; aliæ sunt *positivæ*, aliæ *negativæ*. Omnes tamen desumuntur ex iisdem fontibus nempe ex natura et fine miraculi, ex modo quo patratur, ex persona ejus qui illud operatur.

1° *Notæ negativæ*. Miraculum divinum esse non potest: — a) Si miraculis præcedentibus numero, splendore præstantibus sit oppositum; Deus vinci nequit in exercitio suæ potestatis in naturam; ergo miracula præcedentia certo sunt divina; aliunde cum Deus sibi non possit contradicere, miracula recentiora præcedentibus opposita non sunt divina sed diabolica. — b) Si in prophetia certo divina ut diabolicum annuntietur. Ita erunt, juxta Evangelium, miracula Antichristi. — c) Si auctorem habeat hominem impium aut libidini inservientem. Licet absolute, et in casu particulari talem ministrum Deus adhibere possit, attamen ordinarie delegatos suos inter viros pios religiososque eligit. Ergo miraculum ab impio patratum saltem ut suspectum haberi debet. — d) Si quid obscœni aut ridiculi in eo deprehendatur, quod per se patet. — e) Si in gratiam religionis evidenter absurdæ, falsæ aut moribus contrariæ peragatur. — f) Tandem si patretur superstitioso modo. Excipiunt auctores *probationes* seu justificationes, *Judicia Dei* nuncupatas, saltem quoad plures et singulares casus. In gratiam enim virtutis et innocentiæ, simulque bonæ fidei litigantium, aut saltem unius partis, Deus potentiam suam manifestare potest.

2° *Notæ positivæ*. Miraculum e contra ut divinum habeatur: — a) si potestatem dæmonis manifeste excedat. Sit in exemplum creatio alicujus substantiæ, aut resurrectio mortui. — b) Si Deus permittere non potuit ut diabolus tale miraculum patraret, licet ipsius potestatem non excedat. Hoc ex adjunctis dijudicatur. — c) Si vita ejus qui miraculum operatur quotidie illustretur, ut ita dicam, stupendis variisque miraculis. Hoc est præjudicium admodum grave in favorem miraculi. — d) Si Thaumaturgus plura miracula certo divina jam operatus fuerit. Hoc est saltem grave etiam præjudicium; repugnat enim eumdem hominem simul esse ministrum Dei

et diaboli. — 6° Si annuntietur ut divinum in prophetia certo divina. Sint in exemplum miracula Christi quæ a sanctis vatibus V. Testamenti prænuntiata fuerant.

§ V. — De vi probante miraculorum.

PROPOSITIO.

Miracula certa existentia vim habent probandi verum esse doctrinam in cujus gratiam patrantur.

Prob. Etenim 1° miraculum est effectus consuetis naturæ legibus derogans et speciali Dei auctoris naturæ actu productus vel permissus : at talis effectus evidenter probat veram esse doctrinam in cujus gratiam producitur quia haberi debet velut testimonium Dei eam confirmantis : supponatur enim homo qui annuntiet aliquam doctrinam ut divinam et polliceatur se, in illius confirmationem, mortuum suscitaturum aut quoddam aliud portentum operaturum, si effectus promissionem sequatur, nonne universorum oculis clare patebit Deum hanc prædicationem sigillo suo munire? Errorem enim sic obfirmare non potest : ergo. Unde civis Genevensis, *Emile*, lib. 4 : « Qu'un homme vienne nous tenir ce langage : Mortels, je vous annonce la volonté du Très-Haut ; reconnaissez à ma voix celui qui m'envoie. J'ordonne au soleil de changer sa course, aux étoiles de former un autre arrangement, aux montagnes de s'aplanir, aux flots de s'élever, à la terre de prendre un autre aspect : à ces merveilles, qui ne reconnaîtra pas à l'instant le Maître de la nature? elle n'obéit point aux imposteurs. » Ergo.

Et vere negari non potest Deum voluntates suas hominibus per ministerium legatorum manifestare posse. Quemadmodum autem principes litteras commendatitias appositione sigilli regii authenticas faciunt, ita Deus missionem legatorum suorum aliquo signo certam facere debet : at nullum excogitari potest signum magis divinum et sensibile quam miraculum. Itaque, vel miracula vim

habent, etc., vel dicendum est Deum voluntates suas per ministerium legatorum certo manifestare non posse : hoc autem posterius admitti nequit : ergo.

2° Propensio universalis, constans et invincibilis ut firmum veritatis argumentum haberi debet : at propensione universali, constanti et invincibili ferimur ad judicandum miracula divinæ voluntatis esse signa splendidissima : cum enim sciamus Deum esse mundi rectorem et legum quibus regitur conditorem, ubi videmus eas interrumpi vel suspendi, v. g., morbos ad vocem hominis fugere, cæcos videre, claudos ambulare, mortuos resurgere, etc., invincibili propensione ferimur ad judicandum ea divina virtute fieri, et dicimus sicut incantatores Pharaonis : *Digitus Dei est hic.* Hinc omnes populi persuasum semper habuerunt præcipua religionis momenta esse divina miracula ; hinc confessio philosophi Genevensis, qui in sua impietate dicebat se nolle videre miraculum, ne insanus præ stupore fieret. Hæc sunt ipsius verba de extraordinariis sanationibus loquentis, 3e *Lettre de la Montagne, Mélanges :* « Il y a pourtant, je l'avoue, des » choses qui m'étonneroient fort, si j'en étais le témoin.., » Au reste, quelque frappant que pût me paraître un pa» reil spectacle, je ne voudrais pour rien au monde en être » témoin ; car que sais-je ce qu'il pourrait en arriver? Au » lieu de me rendre crédule, j'aurais grand'peur qu'il ne » me rendît que fou. » Ergo.

3° Divina Providentia, omnia in ordine morali sicut et in ordine physico gubernans, permittere non potest piissimos homines in errorem invincibilem induci : at si miracula vim non haberent probandi, etc. Deus permitteret piissimos homines in errorem invincibilem induci. Etenim quid Deo magis placeat attente observantes, si advertant miracula in gratiam alicujus doctrinæ patrari, invincibili propensione feruntur ad judicandum eam a Deo venire, et adversus conscientiæ dictamen se ire arbitrarentur, nisi corde et animo ei subscriberent : ita ut cum Hugone a Sancto-Victore, lib. *De Trinitate,* dicere possent : « Do» mine, si error est, a teipso decepti sumus; ista enim in

» nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt et tali» bus, quæ nonnisi per te fieri possunt: » ergo 3° etc.; aliunde, etc. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Multi non experiuntur propensionem qua contendimus impelli homines ad judicandum miracula divinæ voluntatis esse signa. Ergo.

R. 1° *Nego ant.* Quod enim omnium populorum consensu firmatur, ut vox naturæ haberi debet : atqui consensus omnium populorum testatur omnibus inesse propensionem ad judicandum, etc. Ipsi deistæ fatentur religionem esse divinam si tot firmetur miraculis quot in gratiam religionis judaicæ et christianæ facta esse dicuntur : Spinosa solebat dicere, referente *Bayle* in suo Dictionario, fidem christianam se amplexurum esse si resurrectionem Lazari certam existimaret : hæc igitur miracula rejiciunt, non autem negant propensionem qua ferimur ad judicandum, etc.

R. 2° *Nego conseq.* Plures enim negaverunt ex relatione sensuum demonstrari posse corpora existere; alii dixerunt nullum amorem erga parentes esse præscriptum: attamen inde concludere non licet propensionem qua ferimur ad judicandum corpora existere, vel amorem parentibus debitum, non esse naturalem : ergo pariter etiamsi plures miraculis non moverentur, non ideo inferendum foret naturalem in nobis non esse propensionem ad judicandum ea divinæ voluntatis esse signa. Ratio autem cur increduli miraculis non moveantur, est quia doctrina iis confirmata cupiditatibus adversatur.

Obj. 2° Illi miraculis credere non tenentur qui propriis oculis ea non conspexerunt : ergo vim probandi non habent miracula nisi ad summum respectu testium oculatorum.

R. Nego ant. Tenemur enim fidem eis adhibere miraculis quæ in dubium rationabiliter revocare non possumus, at fieri potest ut in dubium rationabiliter revo-

care non possimus miracula quæ tamen propriis non conspeximus oculis : nam multa sunt facta præterita a nobis longe distantia, quæ tamen in dubium nullo modo revocare possumus : talia sunt facta Socratis, juxta ipsum *Rousseau*, ibid. ; atqui miracula sunt facta sensibilia, tam cognitu facilia quam alia quælibet facta historica : non magis enim multi decipi aut decipere possunt, sive loquendo, sive scribendo, circa prodigia non æquivoca, sed manifesta et publice facta, quam circa naturales eventus : ergo.

Et vero, si Deus efficere teneretur ut singuli eum loquentem audiremus, miracula jam non essent miracula; vel enim secundum regulas uniformes contingerent, vel non : si prius, non essent miracula, nec plus ea miraremur quam animalium generationem, granorum, plantarum ac arborum, reproductionem aliaque hujusmodi mirabilia; si posterius, quotidie legibus naturæ diversis modis derogaretur, et nihil esset certum : ergo.

Inst. 1° Fidem adhibere miraculis non tenemur nisi sint certissima : at miracula præterita non possunt esse respectu nostri certissima : ergo.

R. Nego min. propter rationes jam allatas. Tam enim miracula certa esse possunt respectu nostri, quam facta historica : sed quædam facta historica sunt respectu nostri certissima, fatentibus ipsis adversariis : ergo.

Inst. 2° Testimonium unius aut alterius hominis est fallibile : at sæpe miracula præterita testimonio unius aut alterius hominis duntaxat constant, nempe respectu imperitorum apud Christianos, et omnium apud gentiles : ergo.

R. 1° Hæc objectio deistas removere non deberet a credendo; ibi enim de imperitis agitur, et ipsi inter imperitos se annumerandos non putant. Ergo.

R. 2° *Nego min.* Etenim de miraculi essentia non est ut illius existentia testimonio unius aut alterius hominis duntaxat nitatur : factum quippe consuetis naturæ legibus derogans potest esse non solum sensibile, sed coram multis patratum, sed publicum, et talibus veritatis

characteribus vestitum ut in dubium rationabiliter revocari non possit.

Sic qui apud Christianos nascuntur, vix balbutientes, a parentibus vel ab Ecclesiæ ministris ea audiunt facta quibus religio Christi fundatur; eadem quotidie vident in monumentis consignata, videlicet in festis Nativitatis, Epiphaniæ, Passionis, Mortis et Resurrectionis Christi, in solemnitate Pentecostes, in festivitabus sanctorum Martyrum, in templis ubique erectis, in mirifica religionis propagatione et ejus ubique diffusione; multos audiunt doctos sicut et indoctos de iidsem factis tanquam verissimis loquentes. Quo majorem acquirunt ætatem et experientiam, eo magis in cognitionibus istis proficiunt ac confirmantur : sicque tam certo miracula cognoscun quam facta suæ gentis, v. g., bella, victorias, seriem principum qui eam rexerunt. At dici non potest quod imperiti hæc gentis suæ facta testimonio tantum unius aut alterius hominis cognoscant. Ergo *a pari*, etc.

Eamdem ferme vim habet argumentum istud respectu gentilium apud quos Evangelium prædicatur; qui enim fidem christianam amplectuntur, non ideo miracula credunt quia ab uno vel ab altero missionario referuntur, sed quia ex diversis adjunctis prudenter judicant illa eo modo facta esse, quo in Evangelio describuntur : eorum autem motiva deducuntur tum ex numero præconum eorumdemque agendi ratione ac loquendi modo, tum ex testimonio Christianorum qui diversis de causis ad has vel vicinas regiones appellunt; tum ex inspectione librorum Novi Testamenti qui exhibentur, aliorumque librorum religionis in linguam vulgarem conversorum; tum ex auctoritate librorum Veteris Testamenti, qui cum Judæis ubicumque nunc existunt; tum ex mira quæ inter varias utriusque Testamenti partes elucet concordia.

Quando missionarii sacrum ministerium apud ethnicos exercent, primo illis ostendere conantur quam absurda sit eorum religio, deinde unitatem Dei ejusque attributa explicant, cultum ipsi exhibendum esse demonstrant, præcepta moralia evolvunt : ordinarie tam lucida, tam

perfecta hæc præcepta primo intuitu apparent, ut statim judicentur vera. Deinde altissima proponuntur mysteria, in quibus summa Dei benignitas et maxima religionis majestas refulget. Narratur historia præcipuorum miraculorum aliorumque factorum quæ ad religionis christianæ institutionem et propagationem pertinent. Hæc autem ita videntur concatenata ut qui cupiditatibus non captivantur facile ea credant.

Præterea, quamvis testimonium unius aut alterius ex natura sua sit fallibile, non sequitur illud nunquam generare certitudinem; nam fieri potest ut, ex circumstantiis, omnem excludat erroris formidinem. Sic quotidie, absque errandi, formidine nonnulla credimus facta ex relatione unius aut alterius testis, cujus sagacitatem et veracitatem novimus. Porro gentiles judicare possunt divinos Evangelii præcones, qui, nulla spe humana ducti, tanta percurrunt spatia, tantos subeunt labores, tantis et tam frequentibus se exponunt periculis, non esse mendaces, præsertim cum illos videant tantis coruscantes virtutibus.

Insuper, Deus non semel prædicationem Evangelii apud gentes ethnicas evidentibus confirmavit prodigiis : sic vestigia S. Francisci Xaverii illustravit.

Innumeris viis occultis agere potest in mentes, sicut nunc in mentes infantium et imperitorum apud Christianos agit, eas nempe illuminando et pia motione ad credendum inclinando. Inde fit quod illæ simplices animæ videant religionem christianam rationi esse conformem, miseriæ humanæ necessariam, et quodam modo sentiunt eam esse veram. Quod sit exprimit *Pascal*, *Pensées*, ch. 6, *Foi sans raisonnement* : « Ceux que nous voyons » chrétiens sans la connaissance des prophéties et des » preuves, ne laissent pas d'en juger aussi bien que ceux » qui ont cette connaissance : ils en jugent par le cœur, » comme les autres par l'esprit. C'est Dieu lui-même qui » les incline à croire, et ainsi ils sont très-efficacement » persuadés. » Ergo, etc.

Obj. 3° Miracula sunt tantummodo facta consuetis na-

turæ legibus opposita : atqui hujusmodi facta voluntatem Dei per se ipsa non manifestent : ergo.

R. Dist. Min. Voluntatem Dei non manifestant, si considerantur seorsim a circumstantiis in quibus peraguntur, vel ab interpretatione illius cujus ministerio Deus utitur, *concedo;* secus, *nego min.* Equidem, si miracula consideraremus independenter a circumstantiis, v. g., si hodie solem in cursu stare videremus, nihil inde concludere possemus; sed ubi speciales adsunt circumstantiæ, vel interpretatio illius cujus ministerio Deus utitur, miracula aliquid significant, id autem quod significant necessario verum est, alioquin Deus falsum approbaret; quod repugnat. Ergo.

Inst. 1° Fieri potest ut qui profert doctrinam tanquam a Deo revelatam, delusus fuerit, meras imaginationes aut quosdam aeris motus vel sonos pro supernaturali loquela sumens, vel decipere intendat : ergo.

R. Nego conseq. Non quidem impossibile est aliquem, per quædam imaginationis deliramenta aut per nonnullas sensuum turbationes, delusum fuisse; nec etiam repugnat aliquem intendere alios per revelationem suppositum decipere. Verum delusus aut delusor narrationes suas veris non confirmaret miraculis, alioquin error in ipsum Deum refundendus esset. Ergo.

Inst. 2° Deus permittit sacramenti ministrum potestate sibi divinitus concessa abuti : ergo permittere potest ut miraculorum minister eis ad decipiendum abutatur.

R. Nego conseq. et paritatem. Ratio disparitatis est, quod homines naturali propensione impellantur ad credendum Deum per miracula loqui : unde, si Deus vera patraret aut patrari permitteret miracula in gratiam erroris, ipse ad errorem impelleret : contra vero, cum homines naturali et invincibili propensione non ferantur ad credendum ministrum sacramentorum ea semper licite ac valide administrare, error, si quis existat, in Deum reundi non potest. Insuper, miraculum est factum contingens in casu particulari, Deo sic volente, ab aliquo patratum. Sacramentum vero est signum modo perma-

nenti institutum quo quis, sicut re alia, abuti potest. Ergo.

Obj. 4° Ope magnetismi nunc stupendi producuntur effectus qui mirationem excitant et tamen nihil probant: ergo, etc.

R. Nego conseq. Nam — a) plures saltem extraordinarii magnetismi effectus a multis, post longas experientias, rejiciuntur ut falsi; — b) si veri sint, haberi debent ut effectus causarum naturalium nobis ignotarum; nulli enim producuntur absque mediis quibusdam physicis, prius saltem adhibitis. Quot in ordine naturali alii existunt effectus quos explicare non possumus! Nulla est similitudo inter magnetismi prodigia et facta in libris sacris exhibita ut miraculosa. Ergo, etc.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE PROPHETIIS.

Eædem recurrunt quæstiones circa prophetiam ac circa miraculum; quæ in sequentibus paragraphis elucidabuntur. 1^us^ erit de notione prophetiæ; 2^us^ de ejus possibilitate; 3^us^ de ejus noscibilitate seu certitudine; 4^us^ de ejus auctoribus; 5^us^ de ejus vi probante.

§ I. — De notione prophetiæ.

Vox *prophetia* a duobus verbis græcis venit, προ, *ante*, et φημὶ, *dico*: unde formatæ sunt voces latinæ, *prædicere*, *prædictio*. Prophetia autem recte definitur: *Prædictio certa eventus futuri qui in causis naturalibus ab intelligentia humana prævideri non potuit.*

Dicitur — a) *prædictio* quia exterius proferri seu manifestari debet antequam eventus contingat.

Dicitur — b) *certa* ut distinguatur a simplici prævisione quæ est plus minusve probabilis, et a falsis aut saltem temerariis divinationibus quas edunt nonnulli impostores.

Dicitur — c) *eventus futuri*, quia tale est objectum essentiale omnis prophetiæ proprie dictæ.

Dicitur — d) *qui in causis naturalibus prævideri non potuit*. De essentia prophetiæ hæc pariter conditio est. Hinc prædictio *procellæ* vel *eclipsis* non est prophetia, quia illi eventus in causis naturalibus prævidentur; dum prædictio pro objecto habens nativitatem cujusdam hominis, nomen ejus, præcipuaque facta illius vitæ vera est prophetia; ratio est quod hæc omnia in causis naturalibus, quibuscum nullam aut nimis remotam connexionem habent, prævideri nequeant.

Dicitur — e) *ab intelligentia humana*, ut excludatur homo tanquam causa efficiens prophetiæ... Non excluduntur autem angeli et dæmones qui cujusdam generis prophetias edere possunt.

Prophetia non secus ac miraculum, dividitur in proprie dictam et improprie dictam. Prophetia vocatur proprie dicta quando futurus eventus a solo Deo prævideri et prænuntiari potuit. Sint in exemplum omnia facta quæ a libera Dei vel hominum voluntate pendent. Prophetia improprie dicta habet pro objecto futuros eventus qui in causis naturalibus ab intelligentia homini superiori, scilicet ab angelis seu dæmone possunt prævideri. Talis est prædictio *procellæ, terræ motus*.

§ II. — De possibilitate prophetiæ.

PROPOSITIO.

Prophetia est possibilis.

Prob. Prophetia est possibilis si Deus quosdam noscat eventus futuros qui in causis naturalibus prævideri non possint, et si eos hominibus prænuntiare possit : atqui hæc duo certa sunt. 1° Deus quosdam noscit eventus futuros qui, etc., nam, ut pote infinitus in scientia, universa novit, et præterita, et præsentia, et quæcumque futura, etiam contingentia et libera, ut contra deistas in

Philosophia probatur : porro, inter hæc futura, multa sunt quæ in causis naturalibus prævideri non possunt, v. g., nativitas hominis qui circa ducentos annos venturus est, nomen ejus, præcipuæ ipsius vitæ actiones; certum est enim hæc in causis naturalibus prævideri non posse. Ergo. 2° Eventus illos quos perfecte noscit, Deus manifestare potest hominibus; aptissima enim ipsi non desunt media quibus homines alloqui possit : vel per inspirationem internam, certam quarumdam veritatum cogitationem mentibus imprimendo; vel clara voce; vel per visionem, res futuras manifestando prophetæ ut præsentes; vel per somnia, etc. In his casibus signa indubitata locutionis suæ dare potest Deus; id a nemine negari potest, sicut ostendimus supra, ubi de revelatione in genere. Ergo.

§ III. — De certitudine prophetiæ.

PROPOSITIO.

Prophetiarum existentia certo cognosci potest.

Prob. Ad hoc enim tria sunt requisita : videlicet ut futurus eventus certo prænuntiatus fuerit; ut eo modo contigerit quo fuit prædictus, et ut clare videatur illum in causis naturalibus prævideri non potuisse, nec casu fortuito cum prædictione concordari : atqui hæc tria possibilia sunt. — 1° Prædictio futuri eventus est factum ex natura sua sensibile et eodem modo cognoscibile ac alia facta historica. — 2° Idem dicendum est de prædictionis adimpletione; eventus quippe cum suis circumstantiis est factum historicum. — 3° Ex natura eventus et ex adjunctis facile adjudicari potest an ejus prævisio causis naturalibus, vel illius exsecutio casui fortuito tribui possit; v. g., si agatur de futuris liberis longe ante eventum prænuntiatis, quæ tempore statuto cum circumstantiis descriptis apprime contingant : Ergo.

§ IV. — De causa efficiente prophetiarum.

I. De Deo Prophetiarum Auctore. — Deus solus prophetias proprie dictas seu primi ordinis edere potest, sive per se immediate, sive per delegatos, nempe per Angelum, hominem et etiam dæmonem ipsum. Etenim nullus alius præter eum cognoscere potest futura contingentia et libera, vel eventus futuros qui cum naturalibus causis remotissimam habent connexionem.

II. De potestate Angelorum circa prophetias. — Angeli possunt equidem esse ministri, vel præcones Dei in edendis prophetiis etiam proprie dictis. Sed ope mirabilium facultatum quas a Deo acceperunt prophetias improprie dictas aut secundi ordinis possunt et ipsi edere. Multi enim sunt eventus quorum connexionem cum naturalibus causis percipiunt, dum hominibus manent penitus ignoti. Certum est item, prophetias angelicas, si quæ fiant, veras et cum eventu concordes fore ; nam Angeli, non nisi Deo permittente loquuntur : et Deus eos sinere non potest in errorem labi et homines in errorem protrahere.

III. De Dæmonum potestate in edendis prophetiis. — De dæmonibus plura eadem sunt dicenda. Dæmones et ipsi secundi ordinis prophetias possunt edere ; nam — a) sicut et Angeli acutissimo gaudent ingenio ; unde fit ut eventus quos tantummodo suspicamur, (et quam multi sint quos ne suspicamur quidem) sunt pro eis admodum probabiles, vel etiam ad certitudinem accedentes. — b) Rerum eventuumque longissimam adepti sunt experientiam. Innumera facta ordinis tum physici tum moralis aut intellectualis, tum supernaturalis et religiosi coram ipsorum oculis peracta sunt. — c) Omnes eventus quorum fuerunt testes cum maxima sagacitate observaverunt, in eosque totam mentis aciem intenderunt. Itaque hujusmodi eventuum causas, modum juxta quem evolvi consueverunt, eorum tandem consectaria deprehendere potuerunt. His autem observationibus in edendis prophetiis suis multum

utuntur. — d) Memoria eorum, mira fidelitate, et tenacitate conspicua, quædam ex his observatis fugere non sinit; in conspectu, seu præ oculis mentis divitias suas, modo nuper exposito comparatas indesinenter evolvit; indeque, comparationis ope, multas inductiones depromere possunt. — e) Tandem in ictu oculi de loco ac locum transire possunt, eventusque diversos consociantes, qui, licet loco distincti, sibi ipsis tamen connectuntur, prævidere et prænuntiare possunt, dum ista prævisio omnino homini impossibilis est.

Illæ prædictiones sunt plus minusve certæ, non autem certæ *absolute*, nisi Deus interveniat. Etenim eventus qui prænuntiantur, prævidentur, ut diximus, in causis naturalibus; porro hujusmodi causæ mutari possunt tum a Deo, tum ab hominibus, hisque mutatis, aut eventus non contingit, aut contingit aliter. Quapropter dæmones qui sunt temerarii, et aliunde mendacium non formidant in errorem sæpissime labuntur.

Stabilita potestate quam habent dæmones in radice faciendi prophetias, nunc videndum est an possint hoc modo prophetizare in gratiam erroris, ad quod respondendum est per hanc propositionem affirmativam.

PROPOSITIO.

Dæmones possunt edere prophetias improprie dictas in gratiam erroris.

Prob. 1°. *Scriptura Sacra.* In libro Actuum B. Paulus ejicit dæmonem e corpore puellæ quæ divinabat. Porro puella ista erat gentilis, gentiles erant pariter ejus domini, et hi omnes qui eam consulebant, ergo a dæmonio oriebatur ejus divinatio.

Prob. 2° *Auct. SS. Patrum et Doctorum.* Multa celebrata sunt oracula apud paganos de quibus tractant SS. Patres et Doctores : plurima quidem fuerunt ficta, alia obscuro et ambigua; sed impossibile videtur contendere omnia fuisse humanas fraudes, idcirco plerique S. S. Patres admiserunt vel supposuerunt ea oracula esse diabolica.

Prob. 3°. *Ratione.* Deus permittere potest ut dœmones aliqua prædicent etiam in favorem erroris, modo subministrentur media certa et tuta, quorum ope, divinis prophetiis diabolica oracula distinguantur. Porro res ita est. Prophetiæ divinæ ab oraculis diabolicis secernuntur per quasdam notas, iis similes de quibus tractavimus in articulo de miraculis. Ergo...

§ V. — De vi probante prophetiæ.

In propositione quam infra tuemur agitur de prophetiis quæ a Deo vel per ministros Dei aguntur; et supponitur ut per applicationem notarum ab oraculis diabolicis sint separatæ.

PROPOSITIO.

Prophetiæ vim habent probandi veram esse doctrinam in cujus confirmationem eduntur.

Prob. 1° Miracula habent vim probandi veram esse doctrinam in cujus gratiam patrantur : sed in omni prophetia verum existit miraculum : cum eventus futurus qui prædicitur, in causis naturalibus prævideri non potuerit, necesse est igitur ut causa supernaturalis interveniat : ergo verum adest miraculum.

2° Vim quam habent miracula probandi veram esse doctrinam in cujus gratiam patrantur, præcipue deducimus ex naturali propensione qua ferimur ad judicandum ea esse divinæ voluntatis signa : atqui eadem propensione ferimur et omnes feruntur ad judicandum prophetias characteribus supra expositis munitas, divinæ voluntatis esse signa; non minus enim inclinamur ad credendum divinam in eis esse operationem quam ad judicandum miracula a Deo patrari : ergo.

Solvitur objectum. Ut prophetiæ aliquid probent requiritur ut idem homo et audierit prophetiam et viderit ejus effectum, et certum sit eventum non potuisse prævideri in causis naturalibus. — Atqui hæc tria nunquam simul

eveniunt, ergo... sic ipse *Rousseau*, *Emile*, 4 : « Et pour-
» quoi les prophéties ne font-elles pas autorité pour vous ?
» Parce que, pour qu'elles le fissent, il faudrait trois
» choses dont le concours est impossible ; savoir, que
» j'eusse été témoin de la prophétie, que je fusse témoin
» de l'événement et qu'il me fût démontré que cet événe-
» ment n'a pu cadrer fortuitement avec la prophétie.

Resp. 1° *Nego min.* Etenim hæc tria simul adesse possunt. — a) Fieri potest ut iidem homines sint testes oculati et prophetiæ et ejus eventus, quod pluries revera contigit, ut narratur in libris sacris. Sic Moyses annuntiabat Pharaoni horam qua plagæ Ægypti incipere et desinere debebant : Elias, Eliseus pluresque alii regibus Juda et Israel prædixerunt eventus quorum futuri erant et revera fuerunt testes : sic Apostoli et innumeri Judæi qui audierant Christum passionem suam, mortem, resurrectionem et ascensionem prænuntiantem, hæc propriis oculis viderunt completa : sic generatio de qua Christus dixerat : *Non præteribit, donec omnia fiant*, testis fuit excidii Hierosolymitani et omnium calamitatum quas obventuras tam graphice prædixerat, ut legitur apud Matth. XXIV.

— b) Constare potest consensionem inter eventum et prædictionem casui fortuito tribui non posse. Si enim non solum facti substantia prædicatur, sed variæ illius circumstantiæ, ex occultissimis naturæ legibus, vel ex libera hominum electione pendentes, describantur ; si non una aut altera, sed multæ edantur prophetiæ idem habentes objectum, et tamen cunctæ ad apicem impleantur, luce meridiana clarius est concordiam inter eventum et prædictionem casui fortuito tribui non posse : atqui demonstrabimus postea tales existere prophetias : Ergo.

Resp. 2° *Nego major.* — Nos non admittimus trium conditionum a *Rousseau* positarum necessitatem : non enim requiritur ut idem homo sit testis prophetiæ et eventus ; sufficit testem eventus certo noscere prophetiam antea factam, ut diximus supra.

PARS SECUNDA.

DE RELIGIONE JUDAICA.

Hujus partis objectum et distributio. — Nuperrime probavimus revelationem esse possibilem et necessariam; indicavimus signa quibus illius existentia constare possit; nunc vero hæc methodus est applicanda, scilicet inquirendum an revera existat divina revelatio. Multæ religiones gloriantur ab isto fonte manare, inter quas juvat indicare religionem christianam, judaicam, mahumetanam, paganam. Extra dubium est has diversas non omnes esse revelatas, cum Deus sibimet contradicere nequeat. Item omnes norunt si una religio ut vere revelata probetur, alias simul ruere, et mendaces esse. Porro religio christiana tam excellentissimas præ se fert notas ut jure ante quamcumque aliam examini subjiciatur. Sed christiana cum judaica essentialiter colligata est: judaica enim præparatio est et quasi vestibulum christianæ; et christiana a judaica quasi e fonte, vel ex germine prodit. Itaque sedulo examinandum est quid de religione judaica deinde quid de christiana sentiendum sit. Triplex circa religionem judaicam instituetur capitulum, unum scilicet de ejus fontibus seu de libris ipsius fundamentalibus; alterum de ejus divinitate; et tertium de ejusdem duratione; quibus prævium præmittemus caput de religione primæva.

CAPUT PRIMUM.

DE RELIGIONE PRIMÆVA.

I. De religione primæva philosophorum absona hypothesis. Inter recentiores deistas plurimi contendunt hominem e manibus Creatoris prodiisse cum sola facultate cogitandi ac ratiocinandi, et omni cognitione destitutum. In hac hypothesi, homines debuerunt propriis viribus ideas intellectuales sibi efformare, sermonem instituere, societatem inire, ad notionem divinitatis et cultus illi exhibendi devenire. Cum multos conspexerint effectus stupendos in natura sensibili, causas illorum naturali curiositate quærentes, varias pro variis effectibus sibi finxerunt, eas velut deos habuerunt; sicque natus est polytheismus, prima omnium religio, cui post plurima sæcula successit theismus. Ita *Hume* et alii plures præsertim posterioris sæculi philosophi.

II. De religione primæva genuina assertio. Quid de tali suppositione sentiendum sit per sequentes statuemus propositiones.

PROPOSITIO PRIMA.

Prima religio non fuit polytheismus, sed theismus.

Prob. Si antiquiores mundi annales percurrimus, semper videmus populos a perfectiori ad minus perfectam religionem descendere, a *spiritualismo* ad cultum siderum, a cultu siderum ad cultum objectorum sublunarium, ad cultum hominum, ad cultum animalium, ad cultum plantarum, etc. Hoc constat exemplo Chaldeorum, Persarum, Medorum, Ægyptiorum, Græcorum, Romanorum, et maxime Judæorum, qui certe a theismo sæpe ad poly-

theismum transierunt. Ergo systema *Hume* aliorumque incredulorum circa originem polytheismi et theismi, non solum destituitur fundamentis, sed contrarium est historiæ, et præsertim Moysis narrationi, cujus authenticitatem, integritatem et veritatem mox demonstraturi sumus. Vide *Pluquet, Mémoires pour servir à l'Histoire des Egarements de l'esprit humain : Discours préliminaire*, ch. I[er].

PROPOSITIO SECUNDA.

Deus ab initio hominem cognitionibus positivis instruxit et religionem ei revelavit.

Prob. 1[a] *pars.* Annales Moysis testantur hominem fuisse creatum adultum, cogitantem, loquentem, ratiocinantem : hac igitur sola ratione cuncta evanescunt deliramenta incredulorum circa originem humanarum cognitionum et linguarum.

Prob. 2[a] *pars.* 1° Narratio Moysis inducit Deum primos parentes nostros alloquentem, eos docentem, saltem uno præcepto positivo obstringentem, peccatores redarguentem, ad pœnas damnantem et reparatorem eis promittentem : in tali autem agendi ratione se eis manifestavit et plures veritates eis revelavit. Ergo.

2° Præterea, religio patriarcharum primorumque hominum exhibetur in Genesi ut pura, sancta, sublimis et veneranda : at talis religio a sola ratione humana sic inveniri non potuisset. Etiamsi admitteretur nullas in ea exstitisse veritates captum humanum superantes, certum est rationem sibi derelictam non nisi intra multa sæcula ad perfectas hujusmodi notiones divinitatis, cultus illi exhibendi, atque præceptorum naturalium pervenire potuisse : quin imo nunquam huc usque devenisset, ut patet exemplo nationum excultissimarum ipsorumque philosophorum qui, ut supra ostendimus, ope sapientiæ humanæ corpus sanæ doctrinæ circa Deum religionem et mores efformare non valuerunt. Ergo, etc. Vide *Hooke*,

part, 2, art. 4; et *Bergier, Traité de la Religion*, c. I, e. 1.

3°. Insuper, antiquiores variorum populorum traditiones Genesi concordant circa præcipuas primævæ religionis veritates; v. g., ubique reperiuntur quædam vestigia creationis, lapsus hominis, necessitatis mediatoris, ejus promissionis, liberationis per sacrificium obtinendæ, imo et quarumdam veritatum christianæ religionis, ut videre est passim in opere periodico dicto *Annales de philosophie chrétienne*. Ergo illæ veritates, a Deo primitus revelatæ, lapsu temporum, ignorantia ac cupiditatibus deturpatæ sunt : hinc falsæ natæ sunt religiones.

Quæritur quid revelatio primitiva continuerit.

R. Continebat veritates duplicis generis : dogmata et præcepta moralia.

1° *Dogmata*, videlicet — a) fidem unius Dei omnipotentis, rerum omnium creatoris et supremi moderatoris; — b) formationem hominis ad similitudinem Dei quoad spiraculum vitæ, mentem scilicet, qua præ cæteris animantibus fuit donatus; — c) lapsum Adami e pristino statu, et posterorum ejus ruinam; — d) promissionem Redemptoris venturi et veniæ per illum obtinendæ. Tria priora clare expressa sunt in libro Geneseos; quartum vero deducitur ex his verbis, Gen. III, 15 : *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius : ipsa*[1] *conteret caput tuum* Si hæc ultima verba tantummodo sensu litterali intelligerentur, majestate Dei forent indigna; siquidem Deus permitteret solum semen mulieris caput serpentium contriturum esse : si e contra sensu metaphorico sumantur, et de liberatione generis humani ex potestate diaboli per serpentem figurati intelligantur, Deum magnifice decent ipsiusque bonitatem ac misericordiam patefaciunt : ergo sic accipi debent. Aliunde divina hæc promissio pluries clarius fuit iterata, v. g.,

[1] In textu Hebræo et Samaritano et in cunctis versionibus Vulgata antiquioribus, loco *ipsa*, legitur *ipsum*, id est, *ipsum semen*. Sic igitur Vulgata nostra intelligenda est : *ipsa* mulier, per semen suum, *conteret caput tuum.*

Gen. XXII, 18; XXVI, 4 : *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Idem constat ex opinione universali circa lapsum humanæ naturæ et promissionem venturi Redemptoris. Ergo.

2° *Præcepta moralia.* Ex prædictis dogmatibus plurima sequuntur officia, tum erga Deum, tum erga alios homines, tum erga nosmetipsos, in natura nostra et in essentiis rerum fundata. Dubitare non licet quin Deus ea parentibus nostris simul revelaverit. Id insuper constat ex historia patriarcharum ; clare enim videtur in Genesi eos accurate hæc officia naturalia cognovisse : non potuissent autem ea sola ratione tam cito et tam perfecte cognoscere. Ergo.

Præterea, duo saltem præcepta positiva et generalia primis parentibus revelavit, nempe præceptum offerendi sacrificia cruenta et præceptum sanctificandi diem septimum; quamvis enim natura doceat Deum esse honorandum et aliquod tempus cultui ejus consecrandum, sacrificia cruenta non præcipit, nec circumstantiam diei septimi cultui divino consecrandi determinat : attamen semper et ubique sacrificia cruenta fuerunt in usu apud omnes gentes, et dies septima quodam modo cultui divino fuit consecrata, tum apud Hebræos etiam ante Moysen, ut satis indicant hæc Dei verba in Exodo, XX, 8 : *Memento ut diem sabbati sanctifices :* non tam enim præceptum novum Deus his verbis instituit, quam veteris observationem urget; tum apud gentes, quæ dies per septimanas ubique diviserunt, et unam ritibus sacris specialiter destinant. Ergo.

CAPUT SECUNDUM.

DE FONTIBUS RELIGIONIS JUDAICÆ.

Religio judaica plurimos possidet libros quos ut sacros fontes habet, inter quos, maximo cum studio attendendum est iis qui vocantur Pentateuchus. Hic *Pentateuchus*, in quo describitur tota religio judaica, quinque componitur libris nomine Moysis inscriptis, qui sunt *Genesis*, *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri et Deuteronomium*. Quinque illi libri in prima origine unicus erant liber qui vocabatur liber Moysis, vel lex Dei, aut lex Moysis, id est per Moysen data : sic a Christo et ab Apostolis citatur.

Divisio hujus libri in quinque libros fuit arbitraria. Esdræ tribuitur. Saltem ante celebrem versionem Septuaginta interpretum existebat.

Ille Pentateuchus ut purissimi fontes religionis habebitur si sit authenticus, verus et integer. Præsens igitur caput in tres dividemus articulos : 1^us^ erit de authenticitate Pentateuchi; 2^us^ de ejus integritate, et 3^us^ de ejusdem veritate; quibus quartum addemus de cæteris Veteris Testamenti libris.

ARTICULUS PRIMUS.

DE AUTHENTICITATE PENTATEUCHI.

I. Quid authenticitas. Ille liber est authenticus, qui ejus est auctoris cui adscribitur et eo tempore fuit scriptus ad quod refertur; ille vero est spurius vel apocryphus, qui ejus non est auctoris cui tribuitur, vel qui recentiori tempore fuit scriptus quam dicitur aut creditum est. Itaque Pentateuchus est authenticus si genuinum Moysis

sit opus et in ipso reipublicæ Judaicæ initio fuerit scriptus, ut fertur.

II. Annumerantur quidam adversarii authenticitatis Pentateuchi. — *Spinosa* et *Hobbes*, primi contra fidem Judæorum et Christianorum insurgentes, Pentateuchum dicteriis lacesserunt atque in dubium revocaverunt. Ab hoc errore non multum recessit Isaac *La Peyrère*, auctor libri olim flammis addicti et inscripti *Præadamitæ* : inter multos errores asserebat Adam non fuisse primum hominem, et hodiernum Pentateuchum esse duntaxat fragmenta librorum Moysis. *Richard Simon*, in famoso opere dicto *Histoire critique du Vieux Testament*, docebat Moysen ordinem scribarum instituisse et eorum ministerio res tempore suo gestas in commentariis scribendas curasse, atque Pentateuchum nunc exstantem esse compendium hujusmodi commentariorum post captivitatem Babylonicam scriptum et publica auctoritate confirmatum. Hodierni increduli, ulterius progredientes, libros Moysis vel omnino rejiciunt, vel erroribus plenos esse affirmant.

III. Vindicatur authenticitas Pentateuchi. — Adversus quemlibet adversarium asseratur et probetur sequens propositio tum notis extrinsecis scilicet extra hos libros positis, tum intrinsecis, id est ex istorum librorum examine.

PROPOSITIO.

Pentateuchus est genuinum opus Moysis, et eo tempore ad quod refertur fuit scriptus.

I. *Probatur hæc propositio notis extrinsecis. Prob.* 1° Pentateuchus est genuinum, etc., si constanti traditione Judæi, Christiani, Mahumetani et ipsi Pagani illum ut talem semper habuerint; alioquin nullus liber in mundo esset authenticus : atqui Judæi, Christiani, Mahumetani, et ipsi Pagani constanti traditione Pentateuchum habuerunt ut genuinum Moysis opus, et eo tempore ad quod refertur scriptum.

— A) *Judæi.* Quotiescumque enim in cæteris Veteris Testamenti libris aliqua fit mentio de lege Judaica, nomine Moysis inscribitur, v. g., Josue, I, 7 : *Ut custodias et facias omnem legem quam præcepit tibi Moyses servus meus :* Judic. III, 4 : *Demisitque eos ut in ipsis experiretur Israelem, utrum audiret mandata Domini quæ præceperat patribus eorum per manum Moysi, an non;* item in III Regum, II, 3; in IV Regum, XIV, 6, et in sexcentis aliorum librorum locis. Idem legitur in antiquo Judæorum canone, teste Josepho contra Appionem, lib. 1; idem pariter clare videtur in antiquioribus Scripturæ versionibus, v. g., in ea quæ dicitur Septuaginta interpretum, in Syriaca, in Chaldaica, etc., omnes namque Pentateuchum Moysi tribuunt. Ergo *Judæi*, etc.

— B) *Christiani*, etc. Legitur enim apud S. Marcum, XII, 19 et 26 : *De mortuis autem quod resurgant, non legistis in libro Moysi* ? etc. Hic refert Christus textum Exodi, III, 6. Apud S. Lucam. XXIV, 27 : *Et incipiens* (Jesus) *a Moyse et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant ;* et 44 : *Quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi.* Denique omnes Christiani semper fuerunt et adhuc sunt unanimes circa illud punctum. Ergo *Christiani*, etc.

— C) *Mahumetani.* Nam in multis locis libri Mahumetis dicti *Alcoran*, vel *Coran*, fit mentio Moysis et legis ejus : porro lex Moysis est in Pentateucho. Ergo.

— D) Ipsi *Pagani* quorum tamen maxime intererat Moysis existentiam negare, constanter eum habuerunt ut verum Pentateuchi auctorem, sanctus enim Justinus in sua Cohortatione ad Græcos, n° 9, multos designat auctores paganos qui *Moysen ut principem et ducem gentis Judæorum commemorant*, inter quos numerantur Polemon, Appion, Ptolemæus, Hellanicus, Philochorus, Castor, Thallus, Alexander Polyhistor, et celeberrimus Diodorus Siculus. Idem senserunt Celsus, Porphyrius et Julianus Apostata, qui tot et tanta contra Judæos et Christianos scripserunt. Ergo *Pagani*, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Prob. 2° Vel Pentateuchus est authenticus, vel recen-

tiori tempore ab aliquo impostore fuit suppositus : atqui posterius dici non potest; vel enim suppositus fuisset post mortem Esdræ, vel tempore Esdræ, vel ante Esdram : atqui nihil horum dici potest.

— A) *Non post mortem Esdræ.* Ut invicte demonstretur Pentateuchum non fuisse suppositum post mortem Esdræ, sufficit ut indicemus quamdam ætatem, post quam impossibilis evasit ea suppositio ; ac ab ista ætate usque ad Esdræ tempora ut fraus eadem fuerit impervia. Porro omnibus fatentibus existebat Pentateuchus qualis nunc est tempore Ptolemæi Philadelphi qui eum curavit transferri ab Hæbræo in Græcum per septuaginta interpretes; et ex tunc ad exteras gentes transiit, et in diversis linguis idem semper fuit conservatus. Itaque suppositio ista fieri debuisset a tempore Esdræ usque ad Ptolemæum : at etiam in eo tempore hæc suppositio fuit impossibilis; tunc quippe Samaritani erant per schisma a Judæis divisi, et tamen eumdem habent Pentateuchum ipsumque Moysi adscribunt : porro illum non haberent si, durante schismate, ab aliquo impostore suppositus fuisset; illum enim a Judæis suppositum non admisissent ut divinum; nec Judæi illum à Samaritanis excogitatum accepissent. Ergo.

— B) *Non tempore Esdræ* et ab ipso Esdra, ut dicere non erubuit Spinosa; nam tempore Esdræ tota gens Samaritanorum a Judæis jam ex multis annis erat divisa : impossibile ergo tunc fuisset persuadere illis ut Pentateuchum, de quo nihil unquam audiissent, tanquam genuinum Moysis opus reciperent; illum velut spurium rejecissent sicut alios libros a tempore schismatis scriptos rejecerunt. Ergo.

— C) *Non ante Esdram.* Nam tunc vel post vel ante Roboam : at neutrum dici potest. Non post Roboam, quia decem Tribus jam separatæ erant : ab illo autem tempore suppositio Pentateuchi facta est omnino impossibilis, propter rationes expositas. Non ante Roboam; quo enim viciniora sunt tempora, eo difficilior est suppositio. Præterea, a Roboam retrogradiendo usque ad Moysen, accu-

rate descripta existit series factorum in diversis libris qui successive prodire debuerunt; sunt enim secundus et primus Regum, Ruth, Judicum et Josue : omnes libri isti declarant, vel supponunt Moysen fuisse Judæorum legislatorem, religionis eorum, reipublicæ, legum, cæremoniarum, sacrificiorum, festorum institutorem ac Pentateuchi auctorem : nemo autem non videt quam absurdum sit dicere hæc omnia ante Roboam fuisse supposita, et sic miro artificio sibi concatenata. Ergo; aliunde, etc. Ergo.

II. *Probatur notis intrinsecis* Pentateuchum esse authenticum. Ille liber est authenticus qui notas in se defert quibus elucet apud omnes sua authenticitas. Atqui Pentateuchus habet istas notas. 1° Illæ notæ sunt *stylus* seu dicendi genus simplex et candidum, continens formulas loquendi quas linguæ hebrææ periti jam tempore Davidis inusitatas declarant. 2° *Scripti materies.* In hoc libro ingenuis et convenientibus remotissimæ illi ætati coloribus adumbrantur Patriarcharum mores. Aliunde iste liber non solum est historicus sed et legislatorius, ita ut pro Judæis manuale quotidianum esset, v. g.. liber ritualis ad usum sacerdotum, codex civilis ad usum publicum, instrumentum genealogiarum ad usum patrum familias, tabula hæreditatum ad usum privatorum, catechismus dogmaticus et moralis ad usum omnium; porro hæc omnia ab impostore non supposita fuissent. 3° *Narrationis ordo.* Pentateuchus omnia promiscet, historias, leges, genealogias sine ullâ arte; e contra auctor mentitius omnia, scilicet facta, præcepta, genealogias in suo ordine, et sub capitibus diversis reduxisset. 4° *Concordantia Pentateuchi* cum aliis libris veteris testamenti. Si Pentateuchus suppositus fuit, omnes alii libri Veteris Testamenti fuerunt etiam supposititi, nam de Pentateucho loquuntur, illum ut opus Moysis tradunt, cum illo perfecte sunt concordes : at dici non potest cunctos Veteris Testamenti libros fuisse supposititos; nam, præter innumeras authenticitatis notas quas præ se ferunt, vel ab unico impostore fuissent supposititi, vel a pluribus; atqui neutrum dici potest. — a) Non

ab unico; impossibile quippe est unum hominem finxisse tot libros, rebus in eis contentis et modo quo dicuntur a se distinctos, in quibus tot emicant diversi characteres styli, figurarum, eloquentiæ, simplicitatis et sublimitatis. — b) Non a pluribus; nullus enim vir bonæ fidei et aliquo præditus judicio sibi persuadere poterit plures impostores, ex mutua conspiratione, varios Antiqui Testamenti libros excogitasse, tam sublimem et mirandam doctrinam in illis depinxisse, cum universa terra in densissimis tenebris esset involuta, et multas partes a se tam discrepantes tanta industria inter se colligasse, ut ita sibi corresponderent. Ergo Pentateuchus habet notas intrinsecas authenticitatis, habet et notas extrinsecas, ergo est authenticus.

Opinio autem Richardi Simonis nullo innititur fundamento, communi antiquorum et recentiorum sensui adversatur, siquidem nullibi fit mentio commentariorum quæ supponit, et omnes persuasum semper habuerunt Pentateuchum, qualem eum nunc habemus, genuinum esse opus Moysis.

Præterea, etsi concederetur, quod falsum est, primum exstitisse commentaria sub directione Moysis scripta, quorum Pentateuchus nunc exstans compendium esset, nihilominus opus foret authenticum quoad substantiam, ideoque nihil inde concludere possent increduli.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Auctor Pentateuchi constanter de Moyse loquitur in tertia persona, illum tanquam virum mitissimum laudat, mortem ejus in ultimo Deuteronomii capite narrat : atqui hæc Moyses scribere non potuit. Ergo.

R. Nego min. 1° Moyses de se in tertia persona loqui potuit; nam plures auctores quorum opera a nemine in dubium revocantur, sic de seipsis in tertia persona scripserunt : v. g., Esdras, Evangelistæ; et apud profanos, Xenophon, Josephus, Julius Cæsar, etc. Ergo.

2° Humilitas Moysis in toto Pentateuchi decursu apparet : suos defectus simpliciter enarrat, suam in Deum diffidentiam confitetur, semel tantum se laudat et quia ministerium ejus et gloria Dei id postulabant; soror enim ejus Maria ob suam erga Deum rebellionem percussa fuerat lepra : tunc Moyses ostendere voluit hoc malum ex nimia ipsius severitate non evenisse, sed ex sola Mariæ iniquitate. Ergo.

3° Quidam dicunt Moysen mortem suam per anticipationem et ex speciali revelatione descripsisse; alii vero probabilius asserunt totum caput ultimum Deuteronomii ex libro Josue excerptum fuisse, ut quod pertinebat ad Moysen uno tenore legeretur. Ergo.

Obj. 2°. Moyses nunquam flumen Jordanis transiit : attamen Deuteronomium trans Jordanem fuit scriptum, ut ex cap. I, vers. 1, *patet.* Ergo.

R Nego min. Nam vox hebræa *abr* triplicem habet significationem, ut videre est in Dictionario *Buxtorf* et in Radicibus P. *Houbigant;* modo significat trans, modo citra, modo ad ripam, *au delà, en deça, sur le bord,* prout sensus phrasis id exigit : atqui Moyses, quando Deuteronomium scripsit, erat citra Jordanem et ad ejus ripam, id est, ab illo non longe. Septuaginta autem interpretes, Vulgata aliæque versiones verterunt *trans,* quia plaga in qua hæc verba protulit et scripsit Moyses, trans Jordanem erat respectu Judæorum qui flumen transgressi erant ut Terram Sanctam possiderent. Ergo.

Obj. 3°. Gen. XII, 6, legitur : *Pertransivit Abram terram (Chanaan) usque ad locum Sichem... Chananæus autem tunc erat in terra.* Unde sic. Ex his verbis patet Chananæum jam in Terra Sancta non esse quando ille liber fuit scriptus; atqui tamen Chananæus erat in terra ista quando vivebat Moyses : ergo Moyses illius libri non est auctor.

R. Nego maj. Nam textus qui nobis objicitur sic naturaliter intelligi potest : *Chananæus autem jam erat in terra,* id est, antequam Abraham in terram istam adveniret, Chananæi illam jam occupabant; omnes enim etiam

doctissimi interpretes, et ipse Rabbi Ben-Ezra, eruditissimus, conveniunt hunc esse sensum.

Confusio linguarum in Babel et dispersio gentium acciderunt circa annum 1800 muudi; vocatio Abraham et ingressus ejus in terram Chanaan, circa annum 2083 : Moyses autem legem a Deo in Horeb accepit et promulgavit anno 2513, ac consequenter 430 annis postquam Abraham egressus est de Ur Chaldæorum ut iret in terram semini suo promissam : non mirum est ergo si Moyses observaverit *tunc*, id est, jam Chananæos fuisse in terra ista. Ergo.

Obj. 4°. Plurima leguntur in Pentateucho locorum et urbium nomina quæ non nisi post Moysen fuerunt imposita : v. g., Gen. x, 11, *Ninive* dicitur a Nemrod ædificata, et tamen nomen suum accepit a Nino qui sat longe post mortem Moysis vixit. Gen. xiv, 14, agitur de *Dan*, quæ sic dicta est tempore Josue, xix, 47, quia tribus Dan eam cepit; antea enim vocabatur *Lesem*. In Deuteronomio, xi, 30, sermo fit de Galgala : at nomen istud impositum est sub Josue, *ut patet ex libro ejus*, v. 9, etc. Moyses hæc nomina scribere non potuit : ergo non est auctor Pentateuchi.

R. Nego conseq. Nova enim hæc nomina inscribi potuerunt in margine vel in spaiiis interlinearibus, ad majorem textus intelligentiam; hinc forte ipsimet textui inserta sunt et prioribus substituta nominibus jam desuetis : porro hujusmodi levissimæ mutationes authenticitatem Pentateuchi labefactare non possunt : alioquin nullum opus antiquum ut genuinum agnosci deberet; nam vix ullum reperitur in quo tales vel graviores non existant mutationes.

Præterea, confidenter asserere possumus nullam ex his aliisque ejusdem generis difficultatibus esse quam Scripturæ sacræ interpretes facile non solvant, et quidem multiplici responsione, sæpe evidenti, semper saltem probabili. Responsiones illas hic per ordinem et singulatim afferre non possumus; consulantur diversi commentatores, ut D. *Calmet*, *Vence*, *Duguet*, etc. Legantur *Abbadie*,

Traité de la Religion, t. I; *Bossuet, Discours sur l'histoire univ.*, 2e part., chap. 3; *Huet*, prop. 4, cap. 14; *Bergier*, t. V; *Duvoisin*, etc.

Obj. 5° In libro Josue, VIII, 32, legitur, *Deuteronomium legis Moysi, quod ille digesserat*, in lapidibus altaris scriptum fuisse : atqui Deuteronomium, quale nunc habemus, in lapidibus altaris scribi non potuisset : ergo Deuteronomium non est Moysis.

R. 1° Multi doctissimi critici existimant non integrum Deuteronomium per illa libri Josue verba intelligendum esse, sed tantum illius partem quæ legem continet; Moyses enim dixerat : Deut. XXVII, 2 et 3 : *Eriges ingentes lapides et calce levigabis eos, ut possis in eis scribere omnia verba legis hujus :* in eo textu agitur tantum de verbis legis.

R. 2° Moyses præscripserat ut *ingentes* erigerentur lapides; non repugnat autem totum Deuteronomium in ingentibus scribi lapidibus : ergo.

Obj; 6° In Gen. XXXVI, 31, hæc leguntur verba : *Reges autem qui regnaverunt in terra Edom antequam haberent regem filii Israel, fuerunt hi*, etc. Octo postea munerantur reges et duodecim duces qui ab Esau usque ad Moysen, id est, intervallo 250 annorum, regnaverunt et sibi successerunt. At octo reges et duodecim duces sibi succedere non potuerunt; dein qui hæc verba scripsit, *antequam haberent regem filii Israel*, ostendit suo tempore filios Israel jam habuisse regem. Ergo Moyses hæc scribere non potuit.

R. Nego min. quoad utramque partem. 1° Octo reges facile sibi succedere poterunt in spatio 250 annorum, *ut evidentissime patet.* Duces autem successerunt quidem regibus, ex I Paral. I, 51. At multo probabilius omnes simul et in diversis locis imperabant; nam in Gen. XXXVI, 40, legitur : *Hæc ergo nomina ducum Esau, in cognationibus, et locis, et vocabulis suis.* Aliunde dici potest cum *Duguet*, in Gen. VIII, reges et duodecim duces per 250 annos sibi successisse; si enim æqualiter vixissent, duodecim annos unusquisque regnasset vel imperasset :

multi autem potuerunt brevi tantum tempore vivere, sive naturaliter, sive propter violentam mortem, aut propter expulsum, etc. Ergo.

2° Multi dicunt hæc verba, *antequam regem haberent*, etc., non intelligenda esse quasi diceretur, antequam Saül et David regnarent, sed antequam filii Israel jugo Egyptiorum excusso, rempublicam efformarent et ducem haberent, scilicet Moysen qui tunc eos primus regebat. Ergo.

Cæterum, hujusmodi difficultates, quas congerit Spinosa, probarent ad summum quædam in Pentateucho fuisse inserta, sive a Samuele, sive ab Esdra, sive ab aliis prophetis vel auctoribus, sed minime destruunt positivas quas attulimus rationes ad demonstrandum quinque hos libros genuinum opus esse Moysis.

Solent quidem critici ex talibus notis vel characteribus pronuntiare aliquem librum esse apocryphum, sed ubi positiva et firma aliunde non dantur motiva quibus clare ostendatur illum esse authenticum : nam in posteriori hoc casu, si nonnulla reperiant loca quæ proprio auctori celebri clare tribui non possint, rectius judicant ea quacumque de causa fuisse incerta; ergo etiamsi concederemus quasdam annotationes a recentioribus scriptoribus Pentateucho fuisse insertas, nihil inde proficerent increduli.

Voltaire, Dict. philos., art. *Moïse*, et plures ejusdem scholæ homines quædam alia objiciunt, v. g., artem scribendi a Cadmo et post Moysen tantum fuisse inventam, solos tunc fuisse in usu apud Ægyptios et Chaldæos hieroglyphos qui in lapidibus et lateribus sculpebantur, longam historiam non potuisse per solos hieroglyphos depingi, et aliunde impossibile esse de loco in locum omnes transferre lapides et lateres qui necessarii fuissent ut integer contineretur Pentateuchus, etc.

At illæ aliæque similes objectiones meræ sunt hypotheses quæ ipsamet Pentateuchi historia destruuntur. Sic enim ratiocinandum est: invictis argumentis demonstratur Moysen esse Pentateuchi auctorem; in illo igitur

tempore non soli existebant hieroglyphi, sed ars scribendi, et probabilius aliter quam super lapides et lateres, inventa erat. Vide exquisitum opus, ab omnibus notum, *Lettres de quelques Juifs portugris*, etc., t. I; *Bergier*, t. V; *la Bible vengée des attaques des incrédules, par Duclot, obs. prél.*, etc.

Ex observationibus recenter factis a D. *Champollion* et ab aliis peritis, constat apud Ægyptios triplicem extitisse modum scribendi; hieroglyphicum seu figurativum pro monumentis, hieraticum vel symbolicum quo sacerdotes uti solebant, et demoticum ac phoneticum in usum vulgarem. Triplex ille modus non triplicem faciebat linguam, sed unicam tripliciter expressam. Consulatur, pro explicatione, l'*Univers pittoresque, Egypte*.

Parvi refert an Moyses per seipsum historiam enarraverit, vel per scribas aut secretarios qui sub illius directione scripserint. Sed admitti non potest systema Richardi Simonis superius expositum, quia nullo nititur fundamento, constanti Judæorum et Christianorum traditioni adversatur, cum aliis monumentis quibus Pentateuchi aliorumque librorum Veteris Testamenti authenticitas probatur, conciliari non potest : unde *Bossuet* fortiter illud impugnavit statim atque in lucem prodiit, et communiter catholici ipsique protestantes illud procul rejecerunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE INTEGRITATE PENTATEUCHI.

I. Quid Integritas ad libros spectans. Integritas libri in eo consistit quod, decursu temporis, nullam subierit adulterationem, sive per additionem, sive per suppressionem, sive per mutationem.

Probavimus Moysen esse auctorem Pentateuchi : nunc quæritur an ipsius opus huc usque integrum manserit. Duplex distinguitur adulteratio : una accidentalis et levis, quæ consistit in additione, omissione vel mutatione quorumdam nominum, punctorum, virgularum alio-

rumve hujusmodi; et alia substantialis, quæ in eo sita est, ut aliquid addatur vel omittatur in doctrina, in institutis et in factis gravis momenti.

II. INTEGRITAS PENTATEUCHI ASSERITUR ET PROBATUR. Fatemur Pentateuchum subiisse accidentales adulterationes, et ideo integritatem quam inde accidentalem dicimus non præstare. Subiit enim mutationes ignorantia, negligentia vel inadvertentia amanuensium; talis enim fuit sors omnium librorum, præsertim antiquissimorum, qui per tot sæcula non nisi manu scribi potuerunt : quæstio igitur est an Pentateuchus aliquam subierit mutationem essentialem in doctrina aut in factis alicujus momenti.

PROPOSITIO.

Pentateuchus nullam subiit mutationem essentialem, sive in doctrina, sive in factis.

Prob. Pentateuchus enim talem non subiit mutationem si demonstretur illam fuisse omnino impossibilem : atqui pluribus invictis argumentis demonstratur talem mutationem fuisse omnino impossibilem.

1° Facta quæ referuntur in Pentateucho sunt inter se concatenata; doctrina cum miraculis, miracula cum legibus connectuntur, adeo ut alia ab aliis fulciantur vel supponantur : v. g., solemnitas Paschæ supponit miraculosum populi egressum ex Ægypto, festum Pentecostes locutionem Dei in Monte Sinai, serpens æneus murmurationes Israelitarum adversus Moysen, etc.; et evidens est gravem mutationem introduci non potuisse in hujusmodi factis.

2° Quo magis notus est liber, eo difficilior est mutatio seu adulteratio : at Pentateuchus universo populo erat notissimus; illum quotidie præ manibus habere tenebantur sacerdotes, ut ritus et cæremonias sub gravibus pœnis præscriptas religiose servarent ac explicarent; principes populi et magistratus, ut jus dicerent, patresfamilias ut suas cognoscerent genealogias suisque fruerentur juri-

bus; rex ipse illum propria manu scribere tenebatur, Deut. XVII, 18; quolibet septennio publice in concursu omnis populi legebatur; tanta veneratione servabatur, ut scirent Israelitæ, teste Josepho, quot vicibus et quo ordine eadem littera in toto Pentateucho adhiberetur : porro nemo non videt hæc omnia essentialem mutationem reddidisse omnino impossibilem.

3° Libri Josue, Judicum, Regum et cæteri tantam cum Pentateucho habent connexionem, ut simul corrumpi debuissent, omnia uniuscujusque libri exemplaria simul et eodem modo adulterare oportuisset : at illud fieri potuisse a quocumque etiam solertissimo impostore absolute repugnat; multa enim ubique sparsa existere debuerunt legis exemplaria.

4° Schisma populi sub Roboam magis impossibilem adhuc quamlibet corruptionem effecit; si enim Judæi Pentateuchum adulterassent, mox Samaritani reclamassent, et, vice versa, Judæi, si Samaritani hujus generis mutationem inducere tentassent : aliunde nec Judæi exemplaria Samaritanorum habuissent, nec Samaritani exemplaria Judæorum. Ergo.

Cum nostra propositione et ejus probationibus concordat factum infra narratum a *Card. Wiseman*, 10e *discours*, p. 1. « Un simple prêtre, Bernard de Rossi, de la ville » de Parme, est parvenu à se procurer 680 manu» scrits hébreux. Il les a compulsés et d'autres savants » aussi : or, le résultat bien remarquable de ce travail » est que les différences du texte laissent intactes les par» ties essentielles de chaque phrase, et n'ont de rapports » qu'à des points d'une importance secondaire..... Dans » ces derniers temps le docteur Buchanan apporta en » Europe un manuscrit dont se servaient les Juifs de » race noire, établis dans l'Inde de temps immémorial, et » depuis des siècles séparés de leurs frères des autres par» ties du monde. C'est un fragment d'un immense rou» leau qui devait avoir, lorsqu'il était dans son entier, 90 » pieds de long. Les lettres sont tracées sur des peaux » teintes en rouge. Ce fragment contient une partie con-

» sidérable du Pentateuque. M. Yates l'a publié, et il ré-
» sulte de son travail qu'il n'existe pas entre les deux
» textes plus de *quarante* différences, dont aucune n'a la
» moindre valeur. »

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° IV Regum, XXII, 8, et II Paral. XXXIV, 14, legitur Helciam, sacerdotem Domini, librum Legis in templo casu fortuito reperiisse et Josiæ statim deferendum curavisse. Pius rex jussit ut ille liber sibi legeretur; illum vero audiens expavit, flevit, scidit vestimenta sua dicens, II Paral. XXXIV, 21 : *Magnus furor Domini stillavit super nos, eo quod non custodierint patres nostri verba Domini, ut facerint omnia quæ scripta sunt in isto volumine;* misit etiam ad prophetidem Oldam, ut per illam consuleretur Dominus. Unde sic efformatur argumentum : Ex præcedenti narratione constat unicum tunc exstitisse volumen Pentacheuchi quod erat perditum, et Legem tunc penitus oblitam jacere : atqui Helcias volumen illud facile corrumpere potuit : ergo non constat Pentateuchum esse integrum.

R. 1° *Nego maj.* Nam antequam ille liber reperiretur, jam cœperat Josias instaurare templum et omnia ad Legis præscripta adducere; nec igitur Lex nec ipsius præscripta in oblivionem penitus devenerant.

Et vero sub impiis regibus Amon et Manasse, prædecessoribus Josiæ, multi Judæi remanserant fideles : absurde enim supponeretur cunctos fuisse prævaricatores; Deus contra Manassen locutus est *in manu servorum suorum prophetarum,* IV Regum, XXI, 10. Porro illi servi Dei et Judæi fideles exemplaria Legis conservare debuerunt.

Igitur admiratio Helciæ, stupor et fletus Josiæ non probant præfatum exemplar fuisse unicum, et totam Legem in oblivionem devenisse. Alio et verisimili modo explicari possunt; colligitur enim ex Deut. XXXI, 9 et 24, Moysen jussisse ut exemplar Legis propria manu sua

scriptum in latere arcæ fœderis custodiretur, et quolibet septennio coram omni populo legeretur. Testatur Josephus, Antiq. l. 10, c. 3, illud religiose servatum esse usque ad tempora impii Manasses, et eo regnante, una cum arca in secretiorem locum translatum esse, ut occultaretur; probabile est autem illud præcise volumen ab Helcia casu fortuito repertum fuisse, *cum efferrent pecuniam quæ illata fuerat in templum Domini*, II Paral. XXXIV, 14; nam hæc sunt ipsius textus verba : *Reperit Helcias sacerdos librum Legis Domini per manum Moysis.* Porro valde credibile est ingentem fuisse trepidationem Josiæ totiusque populi cum audierint verba hujus libri; tunc enim sibi repræsentabant ipsum Moysen eos objurgantem et graves pœnas, propter eorum peccata, nomine Dei minantem. Ergo.

R. 2° *Nego min.* Etiamsi concederetur prædictum volumen unicum fuisse Legis exemplar, nihilominus Helcias illud corrumpere non potuisset. Nam — a) sacerdotes, levitæ, magistratus, patresfamilias et omnes qui penitus Legem oblivisci non potuerant, statim reclamassent. — b) Samaritani ex multis annis a Judæis jam erant separati: ergo Helcias illorum Pentateuchum adulterare non potuisset : attamen eorum Pentateuchus idem est ac Pentateuchus Judæorum. Ergo, etc. Præcipua Pentateuchi facta reperiuntur etiam in libris Regum, Paralipomenon, Psalmorum, Prophetarum, etc. Helcias autem hos libros adulterare non potuisset. Ergo.

Obj. 2°. Ex lib. IV Esdræ, XIV, 21 et 22, constat omnia Legis exemplaria in incendio Hierosolymitano periisse, et Esdram illa de novo scripsisse : ergo facile ea adulterare potuit.

R. Nego ant. — a) Quartus liber Esdræ est apocryphus, ac proinde nullius auctoritatis; nobis igitur nocere non potest. — b) Impossibile est omnia Legis exemplaria ita in incendio periisse ut nemo sciret quæ antea facta fuissent opera, quemadmodum dicit textus, vers. 21, nam omnia exemplaria non erant in templo, multa inter populum erant dispersa in cunctis urbibus, pagis et do-

mibus. — c) Eodem tempore permulti Judæi erant in Babylonica captivitate, et ibi diu post incendium Hierosolymitanum commorati sunt : atqui Legem habebant, ut constat ex historia Danielis et Susannæ, et Ezechiele, etc. — d) Exemplaria Samaritanorum in eodem incendio perire non potuissent. Ergo.

Frustra adhuc objicitur ex I lib. Machab. I, 59, libros Legis ex jussu Antiochi traditos fuisse et combustos ; impossibile enim fuit, propter easdem rationes, cuncta exemplaria comburere.

Inst. Veteribus characteribus quibus utebantur Hebræi ante captivitatem Babylonicam, Chaldaicas litteras substituit Esdras : ergo *a pari* substantiam Pentateuchi aliorumque librorum corrumpere potuit.

R. 1° *Negari potest ant.* Non constat enim Esdram litteras Chaldaicas veteribus characteribus substituisse : — a) quia multi contendunt nullam hujusmodi factam fuisse mutationem, et Hebræos semper usos esse iis characteribus quibus nunc utuntur ; — b) quia in hypothesi quod mutati fuerint characteres, et hoc probabilius nobis videtur, non ideo constaret Esdram illius mutationis unicum esse auctorem : verisimiliter enim hæc mutatio eodem modo contingere debuit quo ejusdem generis mutationes apud alias gentes fieri solent, id est, non eodem tempore et ab unico auctore, sed sensim et sine sensu : v. g., unus scribendo his potius quam aliis utitur characteribus ; alter postea iisdem utitur, quia sunt clariores, pulchriores, legentibus magis placent ; alii deinde illos adoptant, et paulatim veteres characteres in oblivionem labuntur ; sic apud nos modus scribendi et imprimendi plures subiit mutationes ; sic Latinæ versiones quæ Vulgatam S. Hieronymi præcesserunt, ita oblitæ jacent, ut ne una quidem inveniri queat. Ergo.

R. 2° *Nego conseq.* Nam Judæi qui, durante captivitate Babylonis, per septuaginta annos linguam Chaldaicam didicerant, characteres ejus linguæ et modum eam scribendi callere debebant : facillime ergo his assuefieri potuerunt in usu divinorum librorum ; e contra, si qua

ipsis proposita fuisset notabilis mutatio in doctrina, in legibus, in cæremoniis, etc., eam sine reclamationibus non admisissent. Preterea, illæ mutationes in textu Samaritano non invenirentur; Samaritani quippe novos Judæorum characteres non admiserunt : a fortiori ergo graviores non admisissent mutationes. Ergo. Vide dissertationem D. *Calmet* de mutatione alphabeti sub Esdra.

Obj. 3°. Textus Hebraicus fere componitur ex litteris consonantibus tantum quibus, loco vocalium, quædam addita sunt arbitraria puncta ad determinandum sensum verborum : porro qui hæc puncta instituerunt, totum sensum subvertere potuerunt. Ergo.

R. Nego min. Nam ante puncta Pentateuchus ab omnibus intelligebatur, quotidie legebatur non tantum a sacerdotibus, sed coram omni populo; quatuor versiones Græcæ, scilicet Septuaginta interpretum, Aquilæ, Symmachi et Theodotionis, paraphrasis Chaldaica, versio Syriaca et nostra Vulgata, factæ sunt super exemplaribus punctis destitutis; siquidem puncta, juxta omnes, sancto Hieronymo sunt posteriora, et probabiliter non fuerunt in usu ante decimum æræ nostræ sæculum : prædictæ autem versiones perfecte sibi sunt concordes, saltem quoad substantiam; earum igitur auctores textum Hebraicum punctis destitutum intelligebant, et nos enim illum facile absque punctis intelligimus, sequendo methodum D. *Masclef* et patris *Houbigant*. Plurima quidem inveniinus verba obscura, dubia, æquivoca: at nulla est æquivocatio vel incertitudo circa corpus doctrinæ et factorum. Ergo.

Obj. 4°. Ingens datur discrepantia, quoad chronologiam, inter diversos Pentateuchi textus. In Hebræo, a creatione usque ad diluvium 1656 numerantur anni, et 427 a diluvio usque ad vocationem Abrahæ; in Samaritano, 1307 ante diluvium, et 1017 a diluvio usque ad vocationem Abrahæ; in Græco Septuaginta interpretum, 2242 ante diluvium, et 1307 inter diluvium et vocationem Abrahæ. Abraham itaque vocatus est anno mundi 2083 juxta textum Hebraicum et nostram Vulgatam ex

illo conversam, 2324 juxta Samaritanum et 3549 secundum Græcum : atqui talis diversitas casui fortuito tribui non potest, ut ex lectione diversorum textuum patet : ergo Pentateuchus fuit adulteratus saltem in ea parte quoad substantiam, etc.

R. Toto concesso argumento, nihil adversum nos concludi potest; hæc quippe mutatio ut essentialis haberi non debet : in eo tantum consistit quod patriarchæ plus minusve vixerint antequam suum primogenitum haberent, et non impedit quin eadem sit doctrina, eadem sint miracula, eædem leges et cæremoniæ, eædem omnino personæ et genealogiæ; atqui talis mutatio reputari non debet essentialis; quinimo probat nullam factam esse mutationem essentialem; si qua enim essentialis facta esset mutatio, quoddam saltem illius remaneret vestigium ; porro nullum talis mutationis existit vestigium, sed perfectissima inter diversos textus reperitur uniformitas quoad substantiam. Ergo.

De hujusmodi chronologiæ discrepantia eodem modo judicavit Ecclesia. Licet enim in concilio Tridentino, sess. 4, tanquam veram et authenticam probaverit Vulgatam traductionem quæ textui Hebraico conformis est, commemorat tamen in Martyrologio, vigilia Nativitatis Domini, supputationem Septuaginta interpretum. Ergo.

Quo autem tempore, qua ratione, quo motivo, a quibus personis facta fuerit ista mutatio? Omnes eruditi fatentur has quæstiones insolubiles esse ; existimat tamen *Duguet*, in Gen. t. II, textum Hebraicum aliis textibus anteponendum esse, tum quia Ecclesia illum approbasse videtur, quando Vulgatam approbavit, tum quia est antiquior, tum quia in Synagoga et in vera Christi Ecclesia semper fuit in usu.

ARTICULUS TERTIUS.

DE VERITATE PENTATEUCHI.

Multum datur discrimen inter authenticitatem et veritatem alicujus libri. Liber enim potest esse authenticus et non verus; quia fieri potest ut scriptor sit deceptus vel deceptor, quod frequenter accidit.

Itaque, authenticitate et integritate Pentateuchi demonstratis, nunc probandum est illum esse verum, id est, cuncta facta quæ in eo continentur vere contigisse. Inter facta quæ describit Moyses, alia ipsi erant coæva et alia respectu ipsius præterita. Facta prioris generis referuntur in Exodo, Levitico, Numeris et Deuteronomio; alia vero describuntur in Genesi. Nobis examinandum est 1° an vera sint facta quæ in quatuor posterioribus Pentateuchi libris narrantur; 2° an quæ in Genesi referuntur.

PROPOSITIO PRIMA.

Vera sunt facta quæ in quatuor posterioribus Pentateuchi libris describuntur.

Prob. Vera sunt enim hæc facta si Moyses non fuit deceptus nec deceptor : atqui utrumque certissimum est.

1° *Moyses non fuit deceptus.* Innumera enim Moyses describit facta publica, sensibus obvia, sibi personalia quorum dicit se fuisse non solum testem oculatum, sed operatorem : at impossibile est illum fuisse deceptum circa talia facta; circa hujusmodi facta enim decipi non potuit quin fuerit plus quam fanaticus et extraordinaria correptus dementia; attamen, nedum fuerit fanaticus aut dementia correptus, patet ex ipsius scriptis, doctrina, legibus, etc., illum fuisse virum prudentem et sapientissimum, ut ipsi adversarii fatentur. Ergo 1°.

2° *Non fuit deceptor.* Si enim fuisset deceptor et facta quæ narrat finxisset, vel Hebræi cum illo in fraudem

conspirassent, vel solus omnes decepisset : atqui neutrum dici potest.

— A) Dici non potest Hebræos in fraudem cum illo conspirasse; absurdum est enim supponere tot hominum millia simul conspirasse in fraudem sibi inutilem : atqui omnes Israelitæ simul conspirassent in fraudem sibi inutilem, imo sibi nocivam et odiosam ; multa namque referuntur facta genti Hebrææ probrosa, ut vituli aurei adoratio, actus idololatriæ in deserto, murmurationes adversus Deum et Moysen, Moysis contra gentem objurgationes, etc.

Præterea, si Moyses et tota gens Hebræa simul in fraudem conspirassent, excogitassent facta antiquiora, obscura et vaga, non vero recentia, splendida, publica et circumstantibus gentibus tam nota ut fraus omnibus statim apparuisset. Ergo.

— B) Dici non potest solum Moysen fuisse impostorem et Hebræos decepisse. Nam — a), secundum sanæ critices regulas, non licet sinceritatem alicujus scriptoris historici sine rationibus positivis in dubium revocare. — b) Ut impostor haberi non potest qui manifestos præ se fert sinceritatis characteres ; atqui Moyses manifestos præ se fert sinceritatis characteres; in omnibus enim scriptis suis non æquivoca præbet signa probitatis et pietatis; doctrina ejus est sublimis, præcepta sancta, leges sapientes; quidquid operatur ad bonum gentis dirigitur, proprii commodi semper est immemor ; filios suos absque ullo splendore in gente sua relinquit : atqui hæc manifesti sunt sinceritatis characteres. — c) Si Moyses decipere voluisset, incredibilia non excogitasset facta quorum unusquisque falsitatem primo intuitu conspexisset : in ea quippe hypothesi, fingit aquas fluminis in sanguinem coram duabus gentibus versas esse, tenebras per plures dies integram cooperuisse regionem, mare divisum fuisse et totam gentem sicco pede inter aquas transiisse, manna per quadraginta annos e cœlo pluisse, aquam e rupe percussa fluxisse atque ex ea homines et jumenta bibisse, legem a Deo super montem Sinai inter tonitrua et ful-

gura solemniter datam fuisse coram omni multitudine, et innumera ejusdem generis facta; impostor autem, vel minimo præditus judicio, aliter contextas excogitaret fabulas — d) Non semel Moyses splendidiora sua narrat miracula, sed continuo ea commemorat; exprobrat Hebræis quod sint duræ cervicis; aspere eos redarguit, transgressiones in specie levissimas pœna mortis plectit, multa hominum millia propter eorum rebellionem trucidat, etc. Porro non ita se gerit impostor qui benevolentiam populi sibi conciliare intendit. — e) Impossibile fuisset Moysi suam gentem circa facta quæ narrat decipere; illa enim exhibet tanquam publica, præsentia et ante omnium oculos peracta, v. g., maris divisionem et multitudinis transgressum, columnam nubis et ignis, manna jugiter e cœlo decidens, vestes per quadragenta annos integre servatas, tonitrua et fulgura in monte Sinai, etc. Tota gens Hebræa tam firma persuasione hæc admittit facta ut sola eorum auctoritate patiatur jugum gravissimæ legis sibi imponi; tres solemnes instituuntur festivitites, qui in summo honore semper fuerunt : Pascha in memoriam egressus populi ex Egypto, Pentecostes propter legem datam in monte Sinai, et Scenopegia seu festum Tabernaculorum in commemorationem mansionis populi in deserto sub tentoriis. Arca in deserto ex jussu Moysis confecta, virga Aaron, tabulæ Legis, manna, serpens æneus cultu religioso tanquam pretiosa monumenta servabantur : verum si facta quæ Moyses narrat totidem essent mendacia, hæc universo populo suaderi non potuissent, *ut attendenti patebit.* Ergo 2. etc.; aliunde, etc. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Moyses Terram promissam exhibet ut præ abundantia melle et lacte fluentem : atqui constat illam esse aridam et sterilem : ergo.

R. Nego min. Multi enim viatores testantur regionem illam esse situ delectabilem et sua natura feracissimam;

inconcussis autem argumentis constat illam fuisse olim omnis generis fructibus abundantissimam; solo igitur defectu culturæ facta est sterilis, sicut Græcia et multæ regiones Africæ. Ergo. Vide quatuor dissertationes D. *Guénée*, circa fertilitatem Palestinæ, insertas in opere dicto *Mémoires de l'Académie des Inscriptions*, et ad calcem sui operis *Lettres de quelques Juifs; Châteaubriand, Itinéraire*, etc.

Obj. 2° Narrat Moyses Israelitas vitulum aureum fusibilem in deserto fecisse : at incredibile est Israelitas sufficiens habuisse aurum in deserto, necessaria possedisse instrumenta, et artem satis percaluisse ut talem conficerent vitulum : ergo.

R. Nego min. — a) Sufficiens aurum facile haberi potuit, cum inaures aureas uxorum suarum, filiorum et filiarum obtulerint Israelitæ, Exod., XXXII, 3; — b) forte ille vitulus modicæ erat molis ; — c) forte accurate et eleganter non fuit elaboratus ; — d) per unam aut per duas hebdomadas operi illi vacare potuerunt Israelitæ ; incredibile autem non videtur inter tantam hominum multitudinem inventos fuisse nonnullos qui tale opus sic perficere potuerint ; nihil enim facilius est, secundum communes chymiæ regulas, quam aurum liquefacere ; ars vero liquefaciendi metalla, et diversa ex illis faciendi opera, notissima erat in Ægypto. Non mirum ergo si Israelitæ artem illam sufficienter percalluerint ut conflatilem vitulum facerent. Pari ratione facile concipitur Moysen potuisse eumdem vitulum in pulverem redigere, cum aqua miscere, et bibendum Israelitis porrigere. Vide *Lettres de quelques Juifs*, t. I.

Obj. 3°. Frequenter Israelitæ adversus Deum et Moysen murmuraverunt, et in idololatriam prolapsi sunt ; atqui Deum et ipsius cultum non ita deseruissent, si ea vidissent miracula quæ a Moyse referuntur. Ergo.

R. Nego min. Nam, quidquid dicatur, certum est Israelitas legem Mosaicam admisisse et tenuisse tanquam divinam, licet graviter sibi onerosam et cupiditatum coercitivam : at nunquam illam sic admisissent, nec tanto

zelo tenuissent, si miraculis a Moyse relatis non credidissent.

Illorum vero murmurationes et idololatriæ sunt actus inconsequentiæ, sicut multos quotidie inter nos videmus. Quot enim Christiani pœnarum æternitatem unico debitam esse peccato firmiter credunt, et in innumera tamen prolabuntur scelera! Eadem facilitate in idololatriam prolabi potuerunt Israelitæ; nam ingenii eorum crassitudo, cæterarum gentium exempla, comessationes aliæque sensuum voluptates, quæ inseparabiles erant idololatriæ comites, tam fortiter eos in actus idololatriæ alliciebant quam consuetæ cupiditates inducunt Christianos in peccatum. Ergo.

Obj. 4°. Facta quæ narrat Moyses tanta sunt et tam splendida, ut a vicinis nationibus ignorari non potuissent, et a scriptoribus profanis referri debuissent; attamen nihil de illis dicunt scriptores profani : ergo.

R. 1° *Nego maj.* Nam scriptores profani etiam antiquiores multo sunt Moyse posteriores, ut postea dicemus; facta igitur a Moyse relata, quamvis splendida, ignorare potuerunt, aul saltem non nisi confuse et obscure ea cognoscere debuerant; si enim abhinc 600 aut 1000 annis quædam facta etiam lucidissima apud aliquam gentem nobis vicinam contigissent, et nihil de iis scriptum fuisset, quid circa illa nunc sciremus? Fere nihil præter quasdam forte eorum notiones vagas, confusas et incertas : porro sic erant ad minus scriptores profani respectu factorum a Moyse scriptorum; nihil de illis cognoscere poterant, nisi per quasdam traditiones vagas, confusas et valde incertas, tum propter longiorem distantiam, tum quia Judæi nullum habere volebant commercium cum Gentilibus, tum quia lingua hebraica cæteris gentibus erat ignota, et 300 annis tantum ante Christum libri Moysis fuerant a Septuaginta interpretibus in linguam græcam translati. Ergo.

R. 2° *Nego min.* Mentionem enim fecit Sanchoniaton de creatione mundi, Callimachus de homine ex luto facto, Berosus de diluvio, Artapanus de trajectione maris

Rubri, Herodotus de præcipuis eventibus qui in Genesi describuntur; horum testimonia unusquisque videre potest apud Grotium, *De vera religione*, et in toto opere citato *Guérin du Rocher*. Ergo.

Primitivæ populorum traditiones cum narratione Moysis concordant eamque confirmant, ut videre est in opere inscripto *Annales de philosophie chrétienne*, t. II, p. 30, et in plurimis aliis articulis.

Manethos, Trogus Pompeius, Justinus et Tacitus referunt Israelitas ex Ægypto propter scabiem et lepram fuisse ejectos; addit Tacitus, Hist. l. 1, 2, 3 et 4, fontem in rupe ab iisdem Israelitis sitientibus fuisse detectum, unde Moyses totum populum recreavit. Hæc iterum nihil aliud esse videntur qaam mera historiæ Moysis corruptio; illius saltem auctoritatem labefactare non possunt. Nam — a) illi scriptores Moyse sunt recentiores; — b) nulla assignant monumenta; — c) multa referunt absurda, v, g., Tacitum non pudet asserere caput asini religioso cultu in templo Hierosolymitano servari propter fontem aquæ repertum; — d) absurdum est totum Israeliticum populum scabie et lepra fuisse corruptum, alioquin tot leges non fuissent institutæ ad distinguendum eos qui tali genere morbi laborabant.

Præterea positivæ probationes non impugnantur per rationes negativas : atqui veritus historiæ Moysis positivis et firmis nititur argumentis; rationes autem ex silentio auctorum paganorum deductæ sunt tantum negativæ : nihil ergo probant. Si enim hæc argumentandi methodus valeret, multæ historiæ, de quarum veritate nemo dubitat, rejiciendæ essent, v. g., victoriæ Julii Cæsaris in Gallia; siquidem illarum testes habemus tantum ipsum Cæsarem et paucos ejusdem gentis scriptores, nec ulli proferuntur libri veterum Druidum, qui tamen de illis silere non debuissent. Ergo.

Obj. 5°. Si prodigia quæ narrantur in Exodo essent divina, Pharao eis non restitisset. Ergo.

R, Nego ant. Nam — a) sæpe veritati cognitæ reluctatur, quando cupiditatibus est adversa : atqui prodigia

quæ narrantur in Exodo cupiditatibus Pharaonis erant adversa. — b) Ea admittere potuit ut certa, et eorum consequentias negare, illa videlicet tribuendo magiæ. — c) Non semper illis restitit; ex historia enim Moysis pluries fidem illis adhibuit, et tandem, evidentia rei omnino victus, populum Israeliticum dimisit. Nullo modo igitur Pharaonis resistentia demonstrat prædicta prodigia non fuisse divina. Ergo.

Obj. 6° Moyses, qui fuit eruditus in omni sapientia Ægyptiorum, solertia erat præditus, et forte magnus fuit incantator : porro non repugnat talem hominem Hebræis per diabolica prodigia illusisse, vel eos per fraudes callide structas decepisse : ergo.

R. 1° *Nego maj.* Narratio quippe Moysis omnes præ se fert characteres gravitatis, ingenuitatis, et omnimodæ sinceritatis, adeo ut nullus scriptor humanus majorem vel etiam æqualem mereatur fidem.

R. 2° *Nego min.* Etiamsi admitteremus hypothesim nobis objectam, quæ repugnat, quisquis Pentateuchum attente legens sibi persuadere non posset illum ab impostore fuisse scriptum. Quis enim impostor, quantumvis solers vel diabolica potestate præditus supponatur, posset efficere vel simulare tanta prodigia, sensibilia, obvia, publica, sæpius iterata, ab ingenti multitudine visa, observata, firmiter credita, multiplicatis solemnibus monumentis ad posteros transmissa? certe tale insaniæ exemplum, vel potius tale portentum, omnium prodigiorum esset maximum. Ergo.

PROPOSITIO SECUNDA.

Vera sunt facta quæ in Genesi narrantur.

Prob. Illa historia vera est cujus scriptor non fuit deceptus nec voluit decipere, et quæ insuper confirmatur notis veracitatis et populorum traditionibus : atqui talia sunt facta in Genesi narrata.

1° *Scriptor*, id est Moyses, *non fuit deceptus.* Nulla est

difficultas circa facta Abrahamo posteriora, quia gens Hebræa in duodecim tribus divisa, secundum numerum filiorum Jacob, historiam avorum suorum in duodecim lineis parallelis conservabat; sic eam Moyses facile cognoscere potuit : sola igitur quæstio est an Moyses certo cognoscere potuerit facta quæ narrat ab origine mundi usque ad vocationem Abrahæ : atqui hæc facta certo cognoscere potuit; plurimæ enim sunt viæ quibus illorum veritas ad ipsum certo pervenire potuerit, scilicet traditio oralis, cantica, scriptura, monumenta et revelatio.

—A) *Traditio oralis.* Quamvis enim a creatione usque ad Moysen 2513 numerentur anni, paucæ tamen interfuerunt generationes, ob longissimam primorum hominum vitam : fere trecentis annis vixit Adam cum Mathusala, Mathusala sexcentis annis cum Noe, Sem vidit Isaac, Isaac Levi, et Levi diu vixit cum Amran patre Moysis; sic quinque aut sex ad summum reperiuntur generationes ab Adam usque ad Moysen : veritas autem factorum quæ narrat Moyses, per generationes istas facile transmitti potuit integra; nam historia primævi illius temporis est brevissima, et quædam tantum graviora continet facta : graviora hæc facta per solam traditionem oralem certo cognosci potuerunt, patres enim diutissime cum filiis vivebant, laboribus parum incumbebant, sed ordinarie greges pascebant; artes nondum erant inventæ, nullæ aliæ existebant historiæ; continuo igitur de factis ad prædecessores pertinentibus, de mundi creatione, de diluvio, et præsertim de genealogiis loqui debebant. Ergo.

—B) Moyses potuit cognoscere facta quæ narrat per quædam *cantica* usu recepta; apud omnes gentes enim mos ab initio fuit, ut communiter tenetur, carmina et cantica componere quibus celebriores eventus passim decantarentur et memoriæ commendarentur; atqui mos ille apud primævos homines, aut saltem ante Moysen existere debuit, siquidem Moyses pluribus in locis illum supponit, v. g., Gen. xxxi, 27; Deuteron. xxxi, 19 et 21. Ergo.

— C) Certum est artem aliquo modo *scribendi* tempore Moysis exstitisse, sed non constat quando illa fuit inventa; a multo tempore forte jam existebat; non repugnat ergo Moysen quædam saltem facta per scripturam cognovisse. Ergo.

— D) Ea cognoscere potuit per publica quæ tunc existebant *monumenta*; in memoriam enim factorum alicujus momenti solebant hujus temporis homines altare ædificare, puteos fodere, lapides erigere, etc., ut legitur de Jacob, Isaac, Abraham, Noe, etc. Sola præsentia hujusmodi monumentorum ea testabatur facta ob quæ fuerant erecta, *ut patet*. Ergo.

— E) Illa denique per *revelationem* certo cognoscere potuit; ex prima enim propositione constat vera esse splendida quæ in exodo referuntur miracula : porro ex illis patet Moysen mirabile cum Deo habuisse commercium : impie ergo diceretur illum cognoscere non potuisse facta quæ narrat circa mundi originem, et usque ad Abrahæ vocationem : ergo, etc.; aliunde, etc.; insuper, etc. Ergo 1° Moyses non fuit deceptus.

2° *Noluit decipere*. Nam — a) Moysi tribuere non licet propositum a notissima ipsius indole alienum : attamen in hypothesi adversariorum, tribueretur Moysi propositum, etc. In quatuor enim posterioribus Pentateuchi libris manifestos atque innumeros exhibet sinceritatis characteres. Ergo. — b) Juxta adversarios Moyses solertissimus fuisset impostor : at solertissimus impostor non ita excogitasset facta quæ narrantur in Genesi, ut vocationem Abrahæ præcedentia; aut ea omisisset, aut, ea referendo, nomina propria, epochas, genealogias prudenter tacuisset, et generalioribus verbis usus esset, ne arma contra se subministraret. — c) Indubiis signis ostendit Deum sibi frequenter loqui : repugnat autem Deum mendacia impostoris cœlestibus signis confirmare. Ergo 2° Moyses noluit decipere,

3° Historia Moysis *notis intrincesis veracitatis confirmatur*. Etenim circa originem mundi informia quædam nobis exhibet initia potentissimorum imperiorum quæ postea

exstiterunt : vix Abraham ingressus est Ægyptum, et de adventu novi hospitis rex admonetur : idem legitur de Abimelech Gerarum rege ; in Palestina tot erant reges quot urbes ; quinque ex eis devincit et in fugam vertit Abraham cum 318 vernaculis. Simplices tunc fuisse omnium mores mirabiliter narrat idem Moyses, opes locupletissimorum hominum ipsorumque regum repræsentat in numero servorum et armentorum : juxta ipsius narrationem, patresfamilias, uxores, filii et filiæ quæcumque officia per seipsos implebant, greges ducebant, custodiebant, adaquabant ; hospites benigne suscipiebant, aquam ad lavandos pedes eis præbebant ; ipsa familiæ domina cibos parabat. Victus autem erat simplex et naturalis : in lacte, butyro, ovibus, hædis, vitulis et panibus subcinericiis consistebat, etiam quando honoratiores hospitio excipiebantur viri. Nulla fit mentio artium, scientiarum, legislationis, quales esse debuissent apud populos a multis sæculis jam existentes : porro hujusmodi narrationes apprime congruunt infantiæ mundi. Sic Homerus, 600 annis post Moysen scribens, mores et usus suæ ætatis depinxit, et libenter agnoscunt deistæ ipsius narrationem esse veram. Ergo 3°.

4°. Hæc Moysis historia *traditionibus populorum confirmatur*. Ubique enim videmus plus minusve distincte chaos immensum, terram aquis involutam, spiritum Dei cuncta vivificantem, tenebras luce priores, hominem ex luto formatum, ipsius innocentiam, deinde ejusdem lapsum : hinc poetæ auream finxerunt ætatem, postea ferream. Varii Indiæ populi nomen et historiam Adami, Evæ, arboris, serpentis, etc., servarunt. Deprehenduntur vestigia longævæ patriarcharum ætatis in historiis, quæ testantur primos homines mille circiter vixisse annis, turris Babel in historia gigantum qui bellum cœlo inferre voluerunt, et aliorum Genesis factorum in mythologiæ deliriis, ut fuse exponunt *Huet*, *Démonst.*, *év.*, *Guérin du Rocher* in opere cui titulus *Histoire véritable des temps fabuleux*, etc. Multa variorum populorum testimonia et monumenta legi possunt apud Grotium, t. 1, c. 16,

et in opere jam citato *Annales de philosophie chrétienne*. Ergo 4°, etc.; insuper, etc. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Auctores profani multa referunt facta publica et magni momenti, quæ nullam merentur fidem, v. g. bellum inter Jovem et Titanos, diluvium Deucalionis et novam formationem virorum ac mulierum ex projectione lapidum, aurei velleris ablationem, etc. Ergo.

Notandum antiquiores profanos scriptores multo recentiores esse Moyse. Homerus, v. g., qui ut antiquissimus exhibetur, 600 annis post Moysen, et 300 circiter post captam Trojam scripsit : multo igitur difficilius quam Moyses facta priorum temporum cognoscere potuerunt.

R. Nego conseq. Sæpe enim facta quæ narrant sunt absurda; aliunde epochas non determinant, circumstantias non describunt, seriem continuatam et accuratam non exhibent, nullos denique sinceritatis characteres præ se ferunt, ordinarie sunt poetæ. qui nihil aliud quærere videntur, nisi ut per delectabiles fictiones versibus adornatas sensus demulceant et hominibus placeant. Insuper auctores sat probabiliter ostendunt plerasque paganorum fabulas aliquod habere fundamentum in factis a Moyse relatis, ac proinde illa confirmare : v. g., historia diluvii Deucalionis quamdam supponit ideam diluvii universalis; fabula gigantum qui cœlum ascendere volunt, est ipsa turris Babel traditio, etc. Ergo. Vide *Huet, Démonst., évang.*

Inst. Ideo profani auctores nullam merentur fidem quoad prima tempora, quia multa referunt facta absurda vel impossibilia : atqui Moyses multa etiam hujusmodi refert facta in Genesi : ergo.

R. 1° *Nego maj.* Non enim tantum auctores profani non merentur fidem quia referunt facta absurda aut impossibilia, sed et quia narratio eorum sæpe nullo nititur fundamento.

R. 2° *Nego min. et dico* nullum ex iis factis quæ narrat

Moyses in Genesi absurdum esse, nullumque demonstrari impossibile. Ergo.

Obj. 3° Narratio Moysis circa formationem terræ, diluvii existentiam, unitatem speciei humanæ et chronologiam cum vera scientia nunc existente conciliari non potest : ergo, etc.

R. Nego ant. quoad omnes partes, quæ singulatim expendendæ sunt.

I. *Narratio Moysis constitutioni terræ a geologis recognitæ non adversatur.*

Doctores, scientiæ geologicæ periti, demonstrant ex interna et ex externa globi inspectione, ex diversis stratis (couches) superpositis quæ sub cortice jacent, terram nostram primum fuisse liquefactam vi ignis aut aquæ, ac postea esse solidatam. — Item in testis stratis superpositis invenerunt fragmenta fossilia animalium aut vegetalium quæ jam non existunt. Et ideo *his assertis primum* requirunt immensum temporis spatium ut terra ex liquida in solidam immutetur.

Ex altera parte, juxta narrationem Moysis Deus omnia creavit intra sex dies ; præterea ordo etiam creationum, juxta singulos dies, non concordat cum ordine fossilium quæ in visceribus terræ inveniuntur ; et ideo narratio mosaica scientiæ geologicæ adversari videtur.

Sed ad explicanda facta geologica juxta Moysis narrationem plura excogitata sunt systemata quæ per seriem brevissime exponere juvat.

1° Quidam dicunt globum terrestrem e manibus Creatoris prodiisse cum signis vetustatis in eo impressis. Certe hujusmodi creatio potestatem Dei non excedit, sed repugnat supremæ veracitati Dei qui homines positivis argumentis inducere videretur in errorem.

2° Alii non pauci crediderunt formationes terrenas præsentiam maris et magnas commotiones attestantes, cunctaque fossilia per diluvium a Moyse descriptum explicari posse. At communiter hoc systema a peritis nunc re-

jicitur ut insufficiens, ruit enim in conspectu multorum geologiæ factorum nuper observatorum, sibi concordantium, et cataclysmos diluvio a Moyse descripto longe anteriores supponentium. Insuper legibus physicæ et chymiæ notis adversaretur, v, g., circa corporum dissolutionem, etc.

3° Alii dicunt per dies creationis a Moyse numeratos, intelligendas esse epochas plus minusve longas. Non insolitum est, aiunt, apud Judæos, verbum *diem* sumi ad exprimendum *tempus indefinitum*, quod in casu præsenti rationes intrinsecæ factum fuisse probant. Etenim, sol diem et noctem dividens non existebat ante diem quartum, juxta narrationem Moysis. Quinto dio producta sunt reptilia, volatilia, cete grandia, omnis anima vivens et in aqua motabilis; deinde bestiæ terræ, et tandem homo qui super omnem creationem dominaretur. Terra, inquiunt, longe ante creationem hominis exstitit : aquæ eam totam cooperuerunt; se postea dividentes, formaverunt maria, et apparuit arida. Arida produxit herbas virentes, plantas et ligna. Reptilia, volatilia, pisces, conchæ omnis generis ex aquis divina Creatoris actione prodierunt : *Fecit Deus bestias terræ juxta species suas, et jumenta et omne reptile terræ in genere suo* (Gen. I, 25).

Globo terrestri sic formato et habitato, vi interna nobis ignota vehementissime commoto, montes e profundo maris fuerunt elevati, aquæ maris versus alia loca fortiter pulsæ, nova constituerunt maria, novas relinquendo plagas exuviis maris refertas. Bestiæ terræ et plantæ commotionibus turbatæ et avulsæ, aquis subito involutæ, præcipitatæ fuerunt, modo promiscue, modo separatim, juxta varias directiones. Hinc contigit quod in sinu terræ, sub diversis materiarum speciebus, reperiantur fossilia concharum, piscium, reptilium, vegetalium, bestiarum, etiam specierum in terra et in mari non existentium : intra ea autem nulla inveniuntur humana vestigia, scilicet neque ossa, neque ulla humanæ industriæ objecta. Nonne talis absentia demonstrat longam globi nostri existentiam et

violentas in eo destructiones ope aquarum, ante hominis creationem?

Pro eo systemate, a pluribus sanctis Patribus indicato, et a D. *Frayssinous* exposito, sunt *Deluc*, *Cuvier*, *Nérée-Boubée*, *Marcel de Serres*, etc.

4° Sunt qui volunt facta geologiæ in sinu terræ observata et magnam antiquitatem supponentia, esse causarum naturalium effectus, regulares aut irregulares, qui, longis intervallis, ante creationem in Genesi descriptam sibi successerunt. Deus igitur, in hypothesi, ante mundi præsenti existentiam, plures efformasset creationes, quæ, post durationem omnino ignotam, successive periissent. Ultima clade consummata, terram ad statum ingentis chaos redactam sumpsisset et totam creationem in Genesi narratam effecisset. Hinc facta geologica, mundo nostro antiquiora, narrationi Moysis nullatenus opponi possunt. Systema istud quod *Pererius* excogitavit, defenditur a DD. *Bukland*, *Wiseman*, *Desdouits*, etc.

Circa valorem absolutum aut respectivam hujus vel alterius systematis, aut alii cujuslibet excogitati vel excogitandi, pronuntiare non intendimus : sufficit ut ostendatur geologiæ systemata, quæ, secretario academiæ dictæ *l'Institut*, anno 1806, referente, jam 80 numerabantur et ab eo tempore valde multiplicata sunt, narrationi Genesis non contradicere.

II. *Diluvium in cap.* VII *Genesis descriptum novis geologorum observationibus non adversatur.*

Existentia magni cataclysmi a Moyse narrati, traditionibus populorum et multis geologiæ factis confirmatur.

1° Traditionibus populorum.

In fragmentis Berosi Chaldæi et Abydeni apud Eusebium (*Præp. ev.* l. 9, c. 11 et 12) et Syncellum servatis, reperitur historia diluvii evidentem habentis analogiam cum diluvio Genesis. In *Mahrabarata*, libro sacro Indorum, describitur diluvium, cujus existentia ultra quinque millia annorum non ascendit, et in multis simile est

diluvio Moysis. In libris sacris Sinensium, præsertim in *Chou-King*, cap. 1, ejusdem generis narratur diluvium quod evenire debuit sub *Yao*, versus annum 2357 ante Christum. In opere dicto *Les Annales de philosophie chrétienne*, t. XIII, p. 138, referuntur vel indicantar testimonia in eumdem sensum convergentia vigenti et octo populorum. Qui antiquissima historiæ nationum monumenta perscrutantur, quotidie alia inveniunt indicia generalis hominum persuasionis quoddam olim exstitisse diluvium universale. Ergo 1°.

2° Illius existentia multis geologiæ factis confirmatur. Passim enim inveniuntur in terra, super materias diversæ naturæ : — a) notabilia *deposita* arenæ marinæ et lapillorum volutorum (*des bancs de cailloux roulés*), quæ non nisi per aquas pelagianas sic adduci et deponi potuerunt ; — b) conchæ aliæque piscium maris et aquæ dulcis exuviæ permixtæ, speciebus nunc existentibus correspondentes, modo sparsæ, modo cumulatæ in substantiis mobilibus, non longe a superficie terræ, in vallibus et usque in summitate montium ; — c) fragmenta animalium animalibus nostris congenerum inter mobiles substantias (*terrains meubles*) coadunata, etiam in regionibus ubi talia animalia non vivunt ; — d) multæ cavernæ et in rupibus fissuræ, in quibus acervantur promiscue terræ alluvionis, reliquiæ animalium et vegetalium diversarum specierum et regionum.

— e) Multæ etiam reperiuntur moles minerales, quandoque ingentes, erraticæ (*blocs erratiques*), in plagis longe distantibus a massis e quibus excisæ sunt, et quarum observantur translationis vestigia, ordinarie *du Nord-Est au Sud-Ouest*. Inveniuntur etiam valles denudationis, *des vallées de dénudation creusées dans des plateaux élevés par l'action d'immenses courants, qui ont laissé à nu sur chacune de leurs parois les couches correspondantes du terrain violemment ouvert*.

Hæc aliaque ejusdem generis facta nullis tribui possunt causis naturalibus ordinariis : at, generali diluvio a Moyse descripto semel admisso, facile explicari queunt.

Si enim torrens abundanti pluvia subito inflatus, arbores eradicet, domos evertat, ingentes arbores secum trahat, lapides volvat, etc., quid accidere debuit tempore diluvii a Moyse descripti? Nam *rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, et cataractæ cœli apertæ sunt, et facta est pluvia super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus.,. Et aquæ prævaluerunt nimis super terram, opertique sunt omnes montes excelsi sub universo cœlo, Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat.* (Gen, VII, 11 et seq.). Per centum et quinquaginta dies non imminutæ sunt aquæ; vento agitatæ ibant et redibant; debuerunt terram profonde subvertere, arbores et plantas eradicare, saxa e montibus excidere, animalium corpora volvere, versus omnes plagas dispergere, promiscue cum luto, arenis, conchis aliisque materiis infodere, modo per quemdam ordinem alias super alias ponendo, modo confuse et sine ordine. Cum nulla tunc existerent littora maris, pisces cujuslibet generis super terram ierunt, sicque exuvias passim reliquerunt. Unde peritiores in rebus physicis et naturalibus viri unanimiter nunc dicunt actualem globi nostri superficiem referendam esse ad epocham non longe distantem, et ad causam unicam, generalem, uniformem, violentam et subitam. Sic, inter alios, *Deluc*, *André de Guy*, *membre de l'Institut* (*Moniteur des* 30 *et* 31 *décembre* 1806), *Dolomieu*, *Cuvier*, *etc.* Sic se habet *Cuvier*, *Discours sur les révolutions de la surface du globe*, p. 282 : « Je pense donc, avec MM. *Deluc* » et *Dolomieu*, que s'il y a quelque chose de constaté en » géologie, c'est que la surface de notre globe a été vic- » time d'une grande et subite révolution dont la date ne » peut remonter beaucoup au delà de cinq ou six mille » ans : que cette révolution a enfoncé et fait disparaître » les pays qu'habitaient auparavant les hommes et les » espèces d'animaux aujourd'hui les plus connues; qu'elle » a, au contraire, mis à sec le fond de la dernière mer, » et en a formé les pays aujourd'hui habités : que c'est » depuis cette révolution que le petit nombre des individus » épargnés par elles se sont répandus et propagés sur les

» terrains nouvellement mis à sec, et, par conséquent, » que c'est depuis cette époque seulement que nos sociétés » ont repris une marche progressive, qu'elles ont formé » des établissements, relevé des monuments, recueilli » des faits naturels et combiné des systèmes scientifi- » ques. »

Artes, gubernia populorum eorumque annales, monumenta et traditiones, terræ ad vegetationem idoneæ, et glebarum palustrium augmentatio, littorei arenarum tumuli et alluviones, montium depressio aliaque hujus generis manifesta exhibent novitatis indicia. Ergo, nedum recentiores celebrium geologorum observationes narrationi Moysis circa diluvium contradicant, eam, e contra, ex omni parte confirmant.

Objicitur tamen 1° incredibile esse Noe arcam, qualis describitur, fabricare potuisse; 2° impossibile fuisse in ea, juxta mensuras assignatas fabricata, saltem duo cujuscumque speciei animalia, sive terrestria sive cœlestia, cum pabulis necessariis includere; 3° impossibile pariter fuisse cuncta animantia, fera et mansueta, quadrupedia, reptilia, volatilia accersere, in arcam introducere, collocare, nutrire, curare; 4° insufficientes fuisse aquas ut altissimi montes cooperirentur; 5° incredibile esse genus humanum in diluvio generali periisse, siquidem inter multa bestiarum et plantarum fossilia, nulla reperiuntur humana.

R. 1°. Quidquid blasphemando et irridendo juxta morem suum dixerit *Voltaire* (*Dict. philos.* art. *Déluge*), certum est Noe arcam a Moyse descriptam fabricare potuisse. Centum enim habuit annos ad opus istud perficiendum; absurde diceretur ipsi defuisse aut materias convenientes, aut operarios necessarios, aut instrumenta requisita, etc. Multo quippe tempore antea, Tubalcain *faber* fuerat in cuncta opera æris et ferri (*Gen.* IV, 22) ædificabantur domus et civitates (*Ibid.*). Non minus insulsum esset contendere Noe ignorasse regulas ad stupendam hanc perficiendam machinam sequendas : ex hypothesi enim quod eas ignorasset, propria industria

illas, durante tanto temporis spatio, adinvenire aut ab ipso Deo immediate discere potuisset. Ergo 1°. etc.

R. 2° Arca, prout in cap. VI Genesis describitur, cuncta animalia cum pabulis et nutrimentis necessariis continere potuit; habebat enim 300 cubitos seu 500 pedes longitudinis (cubitus enim Ægyptius, quo probabiliter utebatur Moyses, erat 20 pollicum), 50 cubitos seu 83 pedes latitudinis et 30 cubitos seu 50 pedes altitudinis, Immensa hæc capacitas per quatuor ordines (*étages*) divisa sufficere debuit ad continenda animalia et quæcumque includenda erant in arca. In primo enim ordine, id est in carena, poterat esse aqua sufficiens ad annum; in secundo, omnia pabula pro cunctis animalibus; in tertio, omnia animalia terrestria, quorum primigenæ species non sunt valde numerosæ, et paucæ sunt ingentes. Supponamus in medio, per totam longitudinem, spatium 15 pedum vacuum, 34 pedes adhuc remanebant in utroque latere. Spatium illud poterat iterum per totam longitudinem separari in duas partes, quarum unaquæque 10 pedes habuisset, et 14 pedes adhuc superfuissent vacui. Quatuor igitur exstitissent longitudines 500 pedum cum 10 pedibus latitudinis. Si 500 pedes per 6 dividuntur, 83 habebuntur mansiunculæ seu stabula 6 pedes ex una parte et 10 ex altera habentia; 83 autem per 4 multiplicata, dabunt 332 stabula, certe multo vastiora pro plerisque bestiarum speciebus : duo vel tria coadunari potuerunt pro majoribus, v. g., pro elephantis, camelis, etc. In quarto autem ordine, aves et volatilia facillime collocari potuerunt. Vide D. *Calmet, Dissert. sur l'arche de Noé; Bergier,* t. V; *Duclos, Bible vengée,* t. II; *de Genoude;* t. 1^er^, etc.

Thévenard, vice-amiral, in commentariis, quæ tempore reipublicæ Gallicanæ scripsit (4 vol. in-8°), speciebus animalium enumeratis, eorum pabulis æstimatis et ponderatis, demonstrat arcam a Noe descriptam omnia hæc facile continere potuisse. (*Tribune catholique du* 1^er^ *mai* 1833). Ergo 2°, etc.

R. 3° Noe forsitan non potuisset, solis mediis natura-

libus, cuncta animalia congregare, in arcam introducere, collocare, nutrire, curare ; sed, Deo omnium domino interveniente, nihil sub his respectibus æstimari potest impossibile nec difficile. An omnes stricte species colligerit Noe, non intendimus definire. Deus, pro rationibus sibi notis, permittere potuit ut quædam species extra arcam relictæ perierint ac penitus sint extinctæ ; sed nihil inde contra nos inferri potest : non deerat spatium in arca pro speciebus servatis. Ergo 3° etc.

R. 4° Deus exhibetur in Genesi ut causa efficiens diluvii : at certe Deus tale diluvium efficere potuit : ex hypothesi quod aquæ existentes non suffecissent, alias in quantitate requisita creare easque postea annihilare, vel in novos abyssos præcipitare potuisset. Verum non necesse est ad novam creationem aquarum recurrere : Deus enim potuit aquas existentes dilatare, vim gravitatis suspendere vel mutare, fundum maris sublevare, aquas ejus latissimas et profundas in terras pulsare, vehementer agitare, omnia cooperire et subvertere, etc. Ergo 4°, etc.

R. 5° Homines ante diluvium nondum erant numerosi, saltem respectu animalium : insuper habitabant præcipue regiones in centro Asiæ, ubi paucæ admodum huc usque factæ sunt investigationes geologicæ : non mirum ergo si inter alia vegetalium et animalium fragmenta apud nos in visceribus terræ inventa, non reperiuntur fossilia humana.

Insuper, plures hodierni sagacissimi observatores prætendunt se invenisse, non quidem fossilia humana in rupibus incrustata, sed humanas reliquias (*des débris humains*) in mobilibus substantiis, in antris et cavernis cum aliis fragmentis jacentes. Vide *Précis de Géographie universelle, par Malte-Brun, revu et annoté par Huot*, tome I. Ergo 5°, etc.

Nota. Quidam dixerunt diluvium fuisse locale, non vero universale. Sed hæc opinio adversatur, — a) physicis legibus, vi quarum liquida æqualitatem altitudinis servant; — b) circumstatiis a Moyse descriptis : si enim aquæ totam cooperire non debuissent terram, ad quid construc-

tio arcæ et in ea omnium animalium collectio? — c) verbis expressis Genesis, VI, 7 : *Delebo, inquit* Deus, *hominem quem creavi, a facie terræ, ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres cœli : pœnitet enim me fecisse eos;* et VII, 21 : *Consumptaque est omnis caro quæ movebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum, omniumque reptilium quæ reptant super terram : universi homines, et cuncta in quibus spiraculum vitæ est in terra, mortua sunt.* Ergo, etc.

III. *Unitas speciei humanæ cum vera scientia conciliari potest.*

Ex narratione Genesis, unanimi fide Judæorum et Christianorum confirmata, omnes homines, sine ulla exceptione, sunt membra ejusdem familiæ, ut pote ex eodem patre et eadem matre, videlicet Adam et Eva, descendentes.

At plures qui non reputabantur scientiarum naturalium ignari, de auctoritate Genesis aliorumque librorum sacrorum parum solliciti, affirmarunt omnes homines ejusdem typi non esse, et varias inter eos distinxerunt stirpes, nempe stirpem alborum, stirpem nigrorum, etc.

Narrationi autem Moysis circa unitatem speciei humanæ non contradicunt hypotheses gratuitæ; demonstrandum foret non tantum dari hominum varietates, sed species diversas. Porro adversarii non demonstrant diversas existere hominum species. Namque :

1° Clare et præcise determinandum esset quid species constituat et unam ab alia separet : nullus vero huc usque clara et ab omnibus accepta hujusce specificationis principia dedisse videtur.

2° *Blumenbach* et *Camper*, varias species hominum distinguentes, ut fundamenta distinctionis assignant colorem, calvariæ formam et faciei angulum. Verum, hi characteres non afficiunt organa hominis essentialia, ut patet : non raro reperiuntur dissimiles in individuis ejusdem familiæ, in familiis ejusdem nationis, in populis

ejusdem stirpis. Tales inveniuntur varietates inter familias animalium aut vegetalium ejusdem typi : imo illæ varietates, in accidentalibus tantum existentes, humana sagacitate servantur, quandoque industria procurantur. Cur inter homines causis naturalibus non fierent?

3° Experientia constat varietates animalium et vegetalium secum mixtas, novas dare varietates, cum attributis constitutivis essentialibus; species vero mixtas aut nihil producere, aut dare monstra ad neutram duorum individuorum speciem pertinentia nec fecunda, saltem indefinite. At viri et mulieres omnium varietatum simul convenientes sunt fecundi : qui ex illis nascuntur in accidentalibus tantum discrepantes, fiunt et ipsi fecundi, et sic in infinitum. Discrepantia igitur non est in organis essentialibus, ac proinde non constituit species distinctas.

4° In individuis, in familiis ac etiam in populis ejusdem stirpis notabiles observatæ sunt adulterationes, in aliis vero perfectiones semper crescentes, tum in physicis, tum in moralibus qualitatibus, et quidem permanentes, ratione prosperitatis aut miseriæ, climatis, aeris, habitationum plus minusve salubrium, alimentorum, vestium, educationis, professionis, etc.

Unde D. *Flourens*, in concessu Academiæ Scientiarum diei 17 augusti anni 1842, sic habuit :

« Lorsque nous comparons brusquement et sans inter-
» médiaire la peau de l'homme blanc à celle de l'homme
» noir ou à celle de l'homme rouge, nous sommes très-
» portés à supposer à chacune de ces races une origine
» distincte. Mais si nous passons de l'homme blanc à
» l'homme noir par le Kabyle, par l'Arabe, par le Maure;
» si nous faisons seulement attention aux parties colorées
» dans l'homme de race blanche, ce n'est plus la diffé-
» rence, c'est l'analogie qui nous frappe. Ici l'anatomie
» comparée de la peau nous donne la preuve directe de
» l'origine commune des races humaines et de leur unité
» première. L'homme est donc essentiellement primitive-
» ment un; l'étude de la peau le prouve. »

Sagaces observationes istæ circa variationes coloris, eadem methodo procedendo, aliis differentiis inter homines existentibus applicari possunt.

5° In temporibus nostris immensæ factæ sunt investigationes *linguisticæ* circa verborum formationem eorumque radices, circa grammaticales regulas, circa linguarum analogias ac comparationes, et inventum est omnes linguas, quæ judicatæ fuerunt ut essentialiter distinctæ, ad tres primitivas revocandas esse, videlicet Indo-Europæanam, Semiticam et Malayam (la Malaye ou Malaise), hasque primitivas esse quasi sorores, quæ nonnullis signis noscuntur, ita tamen ut subito ac inopinata violentia separatæ videantur; quod narrationi Genesis apprime congruit.

Ipsa numerosissima ac valde intricata Americæ idiomata ad dictas tres primitivas linguas deprehenduntur pertinere.

Hinc D. *W. Schlegel*, in opusculo, *Mémoire lu à la Société royale de littérature, le 20 novembre 1833, à Londres,* aiebat : « Ma conviction est que la filiation des » langues justifie la conclusion que toutes les familles de » peuples sont issues d'une même souche, et qu'elle la » justifie d'autant plus qu'elle est plus examinée. »

Nunc omnes in scientia linguarum vere periti eodem sensu loquuntur.

Observantum est insuper populos diversi typi reputatos, v. g., Tartaros et Mogoles, linguis ejusdem familiæ uti. Ergo; etc.

Allegatur a quibusdam præsentiam hominum in America explicari non posse si unica fuerit hominis creatio.

R. 1° Demonstrari non posse nullos ex Europa in Americam ante sæculum xv transiisse; facta recenter detecta contrarium probare videntur.

R. 2° Facilis existere potuit communicatio, in retro sæculis, inter Asiam et Americam, sive per boreales, sive per australes partes. Permultæ similitudines observatæ in traditionibus, in moribus, in consuetudinibus, in

scripturis, in modo numerandi, in linguis, in zodiacis, in monumentis, etc., suadent, imo et evidenter probant sic factum esse. Ergo, etc.

Consulatur præcipue D. *de Humboldt*.

IV. *Chronologiæ populorum bene intellectæ, narrationi Moysis non adversantur.*

Nobis objiciuntur annales quorum chronologia a narratione Moysis discrepat, circa hos annales et eorum chronologiam sic generaliter ratiocinari licet; citantur annales qui cum historia a Moyse descripta conciliari non possunt; ergo rejiciendi sunt ut falsi, ingens namque est discrimen inter Moysis historiam et annales ei opositos : omnes veritatis characteres, qui desiderari possunt, præ se fert Moyses, dum auctores annalium nobis objectorum nulla sinceritatis ac veritatis exhibent indicia. Eorum nativitas, status, vita, mors assignari nequeunt : illorum opera maxima ex parte destructa sunt, et quædam tantum ex iis nobis remanserunt fragmenta, fere nullum exhibentia factum clare determinatum, suis circumstantiis vestitum, circa quod fraus existere non possit : narrant duntaxat infinitas deorum et regum genealogias nullo monumento innixias. Numquid hujusmodi annales narrationi Moysis bona fide opponi possunt?

Antiquiores qui ab incredulis nobis objiciuntur annales sunt Chaldæorum, Indorum, Sinensium et Ægyptiorum : porro annales quatuor populorum istorum narrationi Moysis non adversantur.

1° Non annales Chaldæorum, licet a nonnullis exhibeantur ut ascendentes ultra 400,000 annos. Berosus enim, primus Chaldæorum scriptor historicus, vivebat tempore Alexandri magni. Historia ejus, quæ facta et eventus 180 annorum tantum continebat, juxta Plinium, periit; non nisi fragmenta illius a Josepho et Polyhistore citata supersunt. Facta autem in his fragmentis contenta, quantum a fabulis separari possunt, cum factis biblicis concordant. Potius ergo narrationem Moysis confirmant

quam labefactant. (*Bible vengée*, t. I.) Pauca etiam restant Abydeni fragmenta apud Eusebium, Cyrillum, Alexandrinum et Georgium Syncellum conservata; Scaliger ostendit illa nihil continere narrationi biblicæ oppositum. Denique, si observationes astronomicæ a Callisthene relatæ, quæ omnes in spatio annorum 1903 præcise determinato comprehenduntur, sedulo attendantur, per inductionem pervenitur ad facta evidentem habentia similitudinem cum factis biblicis. Ergo, etc.

Memorantur Sanchoniaton apud Phœnices et Zoroastres apud Persas. Verum Sanchoniaton, quem *Voltaire* asserit esse omnium antiquissimum et Moyse valde anteriorem, tempore belli Trojani vivebat, juxta Porphyrium, Eusebium et Theodoretum, proindeque 300 annis post Moysen : juxta plures alios, est adhuc multo recentior. Loquitur enim de Tyro tanquam de urbe antiquissima : porro Tyrus centum annis et forsan amplius post captam Trojam fundata est.

Quidam existentiam Sanchoniati negant. Saltem opera ejus ante imperatorem Adrianum ignorata erant. Quædam tantum eorum supersunt apud Porphyrium et Eusebium fragmenta, quæ fere nihil clarum et distinctum continent. (*Histoire universelle, par une société de gens de lettres, traduite de l'anglais*, t. II; Duclot, *Bible vengée*, t. I).

Zoroastres, tempore Darii filii Hystaspis, 550 ante Christum vivebat. *Voltaire* affirmabat illum fuisse sapientissimum legislatorem, et libros ejus esse antiquissimos mundi. Cum autem illos in linguam nostram conversos viderit, dixit eos nihil fide dignum continere. *C'est*, aiebat, *un fatras abominable dont on ne peut lire deux pages sans avoir pitié de la nature humaine.* (*Lettres de quelques Juifs;* Duclot, t. I.)

2° Non Indorum. *Bailly*, ex Brahmanorum libris, astruxerat systema mundi præ sua antiquitate stupendum : *Delambre* et *Montucla*, illud statim per solidissima argumenta everterunt. *Laplace* astronomiam Indorum demonstravit, quoad antiquitatem, vanam et insulsam.

Eruditus *Bentley*, ut antiquitatem Indorum tutius penetraret, in ipsa India illam perscrutari voluit. Ex maturis disquisitionibus ejus et aliorum, sequentes deducendæ videntur conclusiones : — a) librum astronomicum apud Indos celebrem, inscriptum *Surrya-Shiddanta*, ultra 800 annos non ascendere; — b) indicationes libri *Rayamana* apud eos venerati, respondere sitibus astrorum anni 961 ante Christum, et nihil demonstrat computationes non factas fuisse pro annis jam præteritis; — c) historiam cujusdam *Chrishna* vel *Kristhna* cum Christo similitudinem habentis, ab incredulis ex avididate acceptam, informem esse totius Christianismi imitationem a Brahmanis contextam in septimo sæculo, ut veri christianismi institutionem apud Indos efficacius impedirent; — d) librum doctrinis christianis plenum ex *sanscrito* in linguam nostram conversum, ultimo sæculo in lucem editum, sub nomine *Ezour-Vedam* seu veteris interpretationis libri sacri Vedam, a *Voltaire* exhibitum ad probandum christianismum esse duntaxat imitationem antiquioris religionis Brahmanorum, fuisse compositum anno 1621, a doctissimo missionario, in favorem religionis christianæ; — e) tabulas astronomicas nihil probare, quia, ut ait *Klaproth : Les tables astronomiques des Hindous auxquelles on avait attribué une antiquité prodigieuse, ont été construites dans le* VII^e *siècle de l'ère vulgaire, et ont été postérieurement rapportées par des calculs à une époque antérieure* (*Wiseman*, 7^e *discours*, 1^re *partie*); — f) historiam eorum multis refertam esse fabulis et absurditatibus, continere regimina solis, lunæ, deorum, et nulla exhibere facta fide digna ante annum 2000 ante Christum. Ergo, etc.

Auctor recens operis inscribendi de *Astronomia Indorum*, nondum editi, in omnibus tamen non idem sentit. Post attentas disquisitiones in ipsamet India juvantibus monumentis authenticis factas, fidenter affirmat : — a) nullo modo chronologiam Indorum narrationi sacrorum Bibliorum officere, siquidem in antiquissimis libris non reperiuntur nisi signa astronomico-astrologica; — b) *De-*

lambre, Montucla, Laplace, merito et solide evertisse inventa *Bailly,* qui monumenta a se relata, et aliunde insignia, insulse plerumque interpretatur, nihil vero proprie et positive astruisse; — c) *Bentley* in plurimis graviter errasse, nec circa res Indicas ut magni ponderis habendum; — d) certum esse *Surrya-Shiddanta* decurrente quarto æræ nostræ sæculo fuisse editum, quod probatur ex observationibus astronomicis in eo relatis, ex commentariis decimo sæculo exaratis, ex variis historicis Arabiæ et Persiæ scriptoribus, ex auctoritate doctissimi *Reynaud,* de illustri Academia dicta *Institut,* etc.

Has vero conclusiones et alias circa tempus celebris *Rayamana,* circa verum *Ezour-Vedam,* quod auctor citatus non confundendum esse asserit cum ejusdem tituli libro de quo diximus, et cujus aliam refert originem, indicare nobis satis est. Opere ipso in quo hæc traduntur edito, doctorum erit illius rationes discutere et pensare. Scimus autem in eo præfatas incredulorum difficultates ita solvi ut chronologia biblica nihil omnino metuendum habeat, et phantasmata olim congesta penitus evanescant.

3° Non Sinensium. Confucius, qui in maxima veneratione est apud Sinenses, vivebat circiter 500 annos ante Christum, et 1000 post Moysen. Annales Sinensium ab Yao, 2557 annis ante Christum regnante, scripisse dicitur. Quidam Sinenses, hac antiquitate non contenti, multos alios supposuerunt exstitisse imperatores ante Yao, sicque perveniunt usque ad 3,276,000 annos ante Christum. Notandum ducentis annis post Confucii mortem, imperatorem *Chi-Hoang-ti* jussisse omnia ejus opera destrui. Sub sequenti tantum dynastia annales philosophi fuerunt de novo scripti, dictante quodam sene, qui prætendebat eos memoriter retinuisse. Talis est origo omnis scientiæ historicæ apud Sinenses. *Klaproth* fidenter affirmat nullam reperiri posse, in vastissimo hoc imperio, certitudinem historicam quæ ulta 732 annos ante Christum ascendat. *Abel Rémusat,* e contra, credit veram Sinensium historiam annos 2200 ante Christum attingere,

et traditiones probabiles annos 2600. (*Nouveaux mélanges asiatiques*, t. 1, pag. 61, *Paris*, 1829.) Hæc autem antiquitas, licet non fundata, admitti potest, absque ulla doctrinarum nostrarum læsione. Ergo 3°, etc.

4° Non Ægyptiorum. Testimonium Manethi, qui multas dynastias regum describens, historiam Ægypti usque ad 55,535 annos protrahit, visum fuerat magni momenti contra Moysis auctoritatem. Verum increduli illud allegantes considerare debuissent : — a) Manethum sub Ptolemæo Philadelpho 300 annos circiter ante æram nostram exstitisse; — b) illum nulla citare monumenta fide digna ex quibus veritatem factorum a se scriptorum excerpsisset; — c) epochas, circumstantias, aliaque veritatis historicæ indicia non assignare; — d) scriptorum ejus non superesse nisi portiunculas a Syncello ex Julio Africano citatas, ex quibus nihil ordinatum, clarum et solidum erui potest.

Ex quo, in recentioribus temporibus, vetera monumenta fuerunt lustrata et serio examini subjecta, adhibita hieroglyphorum intelligentia a *Champollion* feliciter detecta, longa Ægyptiorum antiquitas evanuit : ostensum est dynastias a Manetho nominatas potius quam descriptas, non fuisse successivas, sed simultaneas in diversis provinciis.

Champollion in epist. diei 23 maii 1827, apud *Wiseman*, t. II, p. 85, ait : « Je démontre qu'aucun monument » égyptien n'est réellement antérieur à l'an 220 avant » notre ère. C'est certainement une très-haute antiquité, » mais elle n'offre rien de contraire à nos traditions sa- » crées; et j'ose dire même qu'elle les confirme sur tous » les points. C'est en effet en adoptant la chronologie et » la succession des rois données par les monuments égyp- » tiens, que l'histoire égyptienne concorde admirable- » ment avec les livres saints... Les rois d'Egypte nommés » dans la Bible se trouvent sur les monuments égyptiens » dans le même ordre de succession et aux époques pré- » cises où les livres saints les placent. »

Si Sesostris a Moyse non fuerit nominatus, id, ex observatis a doctissimis in ægyptiacis rebus, contigisse vi-

detur quia regnabat dum populus israeliticus per 40 annos in deserto errans vivebat ab Ægyptiis omnino separatus.

Astronomi qui exercitum nostrum sub duce *Bonaparte* comitati sunt in Ægyptum, reperierunt in *Denderah* et *Hesneh* zodiacos, quos increduli magna alacritate suscipientes, proclamarunt antiquissimos et narrationem Moysis subvertentes. At viri, scientia et ingenio conspicui, clara luce demonstrarunt nihil ex illis contra historiam Moysis erui posse. Etenim *Testa* et *Visconti*, doctissimi Romani, argumentis archeologicis ostenderant existentiam dictorum zodiacorum ultra Ptolemæos non ascendere. D. *Letronne* in speciali dissertatione demonstravit ex inscriptionibus græcis aliisque documentis illos sub imperatoribus Romanis in primo vel secundo æræ nostræ sæculo, confectos fuisse, et ex inspectione corporis servati (*momie*) a viatore *Caillaud* ex Ægypto asportati, inscriptionem et zodiacum zodiaco *Denderah* similem habentis depictum; hujusmodi zodiacos non fuisse astronomicos, sed astrologicos, ac proinde superstitionis signa.

Dupuis, sua solummodo impietate notus, ex nominibus quibus duodecim signa zodiaci nostri appellantur, probare intendit illum saltem a 15,000 annis inventum fuisse. Sed quantum illud systema sit obscurum, solidis principiis destitutum, temerarium et falsum, non difficile periti ostendunt. Nemo ei nunc adhæret. Vide adhuc *la Bible vengée*, et præsertim *Annales de philosophie chrétienne*.

« En voilà sans doute autant qu'il en faut, dit *Cuvier*, » p. 27, pour dégoûter un esprit bien fait de chercher » dans l'astronomie des preuves de l'antiquité des peu- » ples; mais quand ces pretendues preuves seraient aussi » certaines qu'elles sont vagues et dénuées de résultat, » qu'en pourrait-on conclure contre la grande catastraphe » dont il nous reste des monuments bien autrement dé- » monstratifs? Il faudrait seulement admettre avec quel- » ques modernes, que l'astronomie était au nombre des » connaissances conservées par les hommes que cette ca- » tastrophe épargna. (*Disc. sur les Révol. du globe*). »

Suspicari licet cum *Cuvier* fabulosos annales Chaldæorum, Indorum et Ægyptiorum communem habuisse originem, siquidem apud illos populos quædam observatur identitas quoad substantiam : fabulæ circa deorum et hominum existentiam præteritam semel contextæ, ab una regione in aliam cum novis erroribus transire potuerunt.

De his omnibus quæstionibus videantur præsertim *Wiseman*, *Discours sur les rapports entre la science et la religion révélée; Desdouits*, *L'homme et la création*, etc.; *Cours complet d'Ecriture sainte*, t. III ; *Annales de philosophie chrétieune*, passim ; *Nicolas*, *Etudes phil. sur le Christ.*, t. I, etc.

ARTICULUS QUARTUS.

DE CÆTERIS VETERIS TESTAMENTI LIBRIS.

Præter quinque Moysis libros, de quibus sub nomine Pentateuchi tractavimus, quadraginta alios in Veteri Testamento numerant catholici, nempe libros *Josue*, *Judicum*, *Ruth*, *quatuor Regum*, *duos Paralipomenon*, *duos Esdræ*, *libros Tobiæ*, *Judith*, *Esther*, *Job*, *Psalmorum*, *Proverbiorum*, *Ecclesiastæ*, *Cantici canticorum*, *Sapientiæ*, *Ecclesiastici*, *quatuor majores Prophetas*, *Baruch* cum *Lamentationibus Jeremiæ*, *duodecim minores Prophetas et duos priores libros Machabæorum*. In omnibus libris istis pretiosa reperiuntur monumenta in gratiam religionis Judaicæ; valde igitur nostra interest scire cujus sint auctoritatis. Itaque sit

PROPOSITIO.

Cæteri libri Veteris Testamenti omni fide sunt digni.

Prob. Illi enim libri omni fide sunt digni, si sint authentici, veri et integri : atqui cæteri libri Veteris Testamenti sunt authentici, veri et integri.

1° *Sunt authentici.* Publica enim et constanti traditione

semper habiti sunt ut authentici, id est, eorum auctorum quibus attribuuntur, et eo saltem tempore scripti ad quod referuntur; omnes plus minusve pertinent ad statum populi, sive religiosum, sive civilem et politicum; in summa veneratione semper custoditi sunt, et a diversis auctoribus exarati, diverso genere compositi; alii videlicet sunt historici, alii prophetici; alii continent sententias, alii cantica, alii vitam privatorum; alii ab aliis pendent, se invicem supponunt; et tamen, non obstantibus tot diversitatibus, perfecte sibi concordant. Porro tales libri nunquam supponi potuerunt, et, licet auctores aliquorum non noscantur, nihilominus certum est illos eo tempore ad quod referuntur fuisse scriptos, ac proinde sub eo respectu vere authenticos esse. Ergo 1°.

2° *Sunt integri.* Nam publici erant, cultu religioso servabantur, ubique erant sparsi, apud sacerdotes, magistratus et populum : impossibile est autem omnes hujusmodi libros fuisse simul et eodem modo adulteratos. Ergo 2°.

3° *Sunt veri.* Veri sunt enim si eorum auctores non fuerint decepti nec deceptores : atqui non fuerunt decepti nec deceptores. — A) *Non fuerunt decepti;* referunt enim facta publica, sensibus obvia; tradunt morum præcepta evidenter vera et sancta; edunt prophetias quæ suum semper apprime consequuntur effectum : atqui hæc omnia probant illos non fuisse deceptos. — B) *Non fuerunt deceptores.* Nam — a) omnes sinceritatis characteres præ se ferunt, *ut unicuique legenti patet.* — b) Facta quæ narrant sunt publica et præsentia, sibi et cum præcedentibus concatenata : at impossibile est circa hujus generis facta decipere; qui enim talia facta imprudenter supponeret, non nisi contemptum et derisum sibi acquireret : atqui prædictorum librorum auctores summam venerationem e contra sibi conciliaverunt : ergo 3°, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Judæi non agnoscunt ut canonicos libros Sapientiæ, Ecclesiastici et Machabæorum, saltem illud controvertitur : item protestantes duos Machabæorum libros rejiciunt.

Has speciales controversias hic non aggredimur, quia his libris ad demonstrandam veritatem religionis judaicæ non indigemus.

CAPUT TERTIUM.

DE DIVINITATE RELIGIONIS JUDAICÆ.

Objectum et distributio hujus capitis. In capite præcedenti expendimus fontes seu fondamentales libros religionis judaicæ, et more historico probavimus hos libros omni fide dignos esse, ac proinde concludere possemus religionem judaicam esse divinam; nam non potest esse vera quin eo ipso sit divina. Vel etenim supposita sunt facta quibus innititur et tunc est falsa; vel certa sunt, et tunc est vera et divina. Probavimus autem verissima esse facta quibus innititur, ergo certum est illam esse divinam.

Sed in hac tanti momenti quæstione morandum est, non tædetque validiora et plura cumulare argumenta. In prima parte hujus tractatus ubi tractatum est de methodo inquirendæ revelationis, diximus et probavimus methodum auctoritatis, seu viam historiæ discusssionis solam, generatim loquendo, admittendam esse; scilicet, cum religio quædam sese præbet ut revelatam, inquirendum est historice an Deus vere locutus fuerit, et pronuntiandum est illum revera locutum esse si quædam miracula patrata sunt, si quædam prophetiæ certæ factæ sunt et equidem impletæ. Igitur hanc methodum religioni judaicæ applicantes inquiremus primum an ista religio suam probare possit divinitatem per miracula et prophetias. — At simul consensimus revelationem probari posse per quamdam rationis methodum; hæc consistit in probando tam excellentissima et sublimia esse dogmata et præcepta quæ velut revelata dantur, ut ab hominibus exco-

gitari non potuissent, ac proinde in se ferant quasi divinæ originis characteres. Igitur ut nihil desideretur, in præsenti capite duo erunt articuli : 1^us^ erit de notis externis religionis judaicæ, seu de ipsius divinitate per miracula et prophetias probandæ; 2 de notis internis, seu de ejus divinitate e characteribus intrinsecis deprompta.

ARTICULUS PRIMUS.

DE DIVINITATE RELIGIONIS JUDAICÆ PER NOTAS EXTERNAS PROBATA.

I. QUID NOTÆ EXTRINSECÆ. Per notas extrinsecas intelligimus characteres externos seu extra religionem judaicam deprehensos ex quibus rite perpensis profluit ejus divinitas. Inter illas notas maximi momenti sunt miracula et prophetiæ.

II. PROBATIO PER NOTAS EXTRINSECAS. Itaque nunc probandum est per illos characteres externos, scilicet prophetias et miracula, religionem judaicam esse divinam.

PROPOSITIO.

Divinitas religionis judaicæ notis externis confirmatur.

Prob. Divinitas religionis judaicæ notis externis surabundanter confirmatur si in ejus gratiam quamplurima vera et divina patrata sunt miracula, si in ejus gratiam plures editæ sunt prophetiæ in eventibus adimpletæ, et si in ejus gratiam assistentia Dei perpetuo se manifestavit, quod est quasi perdurans miraculum. Atqui res ita se habet, ergo...

Probatur nunc minor per partes, et equidem 1° quam plurima vera et divina patrata sunt miracula in gratiam religionis judaicæ. — A) Multa prodigia operatus est ipse Moyses quæ in Pentateucho descripta perlegere juvat. Ad memoriam revocentur conversio virgæ in serpentem, decem plagæ Ægypti, transitus totius hebrææ multitudinis

per mare Rubrum exsiccatum, fluctibus hinc inde stantibus; fulgura et tonitrua in monte Sinaï; at in deserto et per quadraginta annos quot miracula, quibus rebelles terrebantur, puniebantur dyscoli : terra dehiscit ut Core, Dathan et Abiron vivos absorbeat; serpentes veneno subtili murmurantibus mortem inferunt; et morsus ipsorum adspecto serpente æneo curantur! Quot miracula ad confirmandos timidos, et tantæ multitudini subveniendum! Manna e cœlo procidens, aqua de rupe percussa fluens, aquæ amaræ in dulces conversæ.

Post Moysen multa ejusdem generis patrata sunt prodigia, v. g. transitus Jordanis, obsessio Jericho, immobilitas solis ad vocem Josue. Decurrentibusque sæculis totidem in historiâ judaicâ miramur miracula, vocationem Judicum et eximias eorum actiones, victorias nempe Gedeonis, Samsonis fortitudinem; tandem, ut reliqua subsilentio remaneant, sufficiat in memoriam revocare ad vocem Eliæ et Elisæi totam naturam obedire, mortuos surgere, solem retrogredi, ac in ipsâmet urbe Babyloniorum, exulibus Judæis, tres pueros hebræos in fornacem candentem missos inter flammas illæsos et gaudentes perambulasse.

— B) Hæc miracula *sunt vera*, scilicet eorum narratio non ex fabulis componitur, siquidem hæc narratio fere totam complectitur historiam Judæorum, et continetur in Pentateucho et aliis libris quorum probavimus authenticitatem, integritatem et veritatem. — *Sunt vera*, scilicet sunt facta præter qualemcumque ordinem naturæ peracta, et omnino vires humanas superantia. — *Sunt vera*, scilicet vere divina, ipsis enim applicari possunt signa quæ notavimus ad secernenda miracula a Deo vel a dæmonibus acta. Et quidem illa miracula numerosiora sunt quam ut Deus sinere potuisset dæmones ea perficere; ipse enim Deus veracissimus homines ineluctabiliter in errorem conjecisset, aliunde diviniorem potentiam declarant, si ita dicere liceat, quam ut illa ad potestatem diabolicam referri possint; igitur dicendum est cum maleficis ad Pharaonem : ***Digitus Dei est hic.***

— C) Hæc miracula patrata sunt in gratiam religionis judaicæ. Alia enim patravit Moyses ad constituendam illam religionem; multa sunt peracta sive ejus tempore, sive post mortem ad eam stabiliendam, confirmandam, vel ad eam tuendam et vindicandam ab ejus inimicis, vel ad puniendum populum qui sæpe ab ea discedebat. Hoc enim clarius patet quam ut immoremur. — Ergo Religionis judaicæ divinitas confirmatur miraculis innumeris veris, divinis et in gratiam ejus peractis.

2° Idem probatur per prophetias. Multæ editæ sunt sive ante Moysen, sive per eum, sive post ejus mortem prophetiæ veræ divinæque in gratiam religionis Judaicæ.

— A) Multæ editæ sunt prophetiæ ante Moysen. Referuntur etenim prædictiones a Deo factæ Abraham, Isaac et Jacob de mirabili seminis illorum multiplicatione, Gen. xv, 5; xvii, 2; xxvi, 4 et 24; narrantur in Pentateucho diversæ prædictiones quas Jacob moriens fecit relative ad singulos suos filios, et præsertim ad summum principatum quem Juda habere debebat, licet quartus tantum esset in ordine, Gen. xlix. — Ipse Moyses plures edidit prophetias quæ omnes obtinuerunt suum effectum. Sic *numerorum* xiv, 22, prædicit nomine Dei omnes qui viderant divinam majestatem in Ægypto et in solitudine, et viginti annos attigerant, ut ex cap. xxvi, 2, concluditur, terram promissam non ingressuros esse, exceptis Caleb et Josue; et revera omnes in deserto mortui sunt, ut totis verbis legitur in cap. xxvi, 63 et 64 ejusdem libri. Annuntiaverat quadraginta annos in deserto mansuros esse filios Israel, Num. xiv, 33 et 34; res autem ita evenit, ex cap. xxxii, 13. Prædixerat Israelitas sibi constituros regem sicut alias gentes, et officia et jura illius determinat: porro regem de facto quatuor post sæcula sibi constituerunt, nempe Saul quem Deus ipsis postulantibus concessit. — Post Moysen, Abias prædixit regnum Salomonis dividendum et Jeroboam decem tribus habiturum. III *Reg.* xi, 31; quod duobus abhinc annis reipsa evenit. Regni Israel vastationem et destructionem prædixerunt, Osee, cap. ix, et Amos, cap. v, quadraginta

annis ante eventum. In diversis prophetis multa sunt oracula quæ ad regnum Juda spectant : sic, v. g. Isaias, XLIV, 28, et XLV, 1 Cyrum proprio nomine appellat tanquam Judæorum liberatorem, et plusquam 200 annis ante eventum; Jeremias, XXIX, 10, septuaginta annos quibus duratura erat captivitas Babylonica, dicens : *Cum ceperint impleri in Babylone septuaginta anni*, visitabo vos,.... *et reducam vos ad locum istum*. Daniel, IX, accurate describit, fere 500 annis eventum, ultimam totius reipublicæ Judaicæ destructionem et finem. Innumeræ sunt aliæ prophetiæ claræ et splendidæ, ante eventum certo editæ et eventu confirmatæ : aliæ spectant ad Assyrios, aliæ ad Babylonicos, aliæ ad Persas, aliæ ad Græcos, aliæ ad Romanos, aliæ ad Idumæos, aliæ ad Tyrios, aliæ ad Ægyptios, etc... Vide *Keith, Evidence de la Relig. Chrét. tirée de l'accomplissement des prophéties*, etc. *Dein. Evang., éd. Migne*, t. XV.

— B) Illæ quasi fere innumeræ prophetiæ sunt veræ, siquidem leguntur in libris omni fide dignis; cum eventibus tam clare concordant ut aliquis affirmaverit quasdam, videlicet prophetias Danielis, et librum in quo describuntur, ab aliquo impostore post eventum fabricata esse. In prævisionibus humanis hauriri non potuerunt, cum enim de factis pendentibus a voluntate humana agatur, et aliunde impossibile sit prævidere, qualibet arte et solertia, eventus futuros in pluribus sæculis, apud gentes ignotas vel nondum existentes. Propter eamdem rationem, istæ prophetiæ a prævisionibus diabolicis secernuntur, et præterea impossibile est, Deo permittente, dæmones edere potuisse istam seriem prophetiarum tam longam et concatenatam unde persuasio necessario oriatur. — Ergo sunt divinæ.

—C) Tandem elicitæ sunt in gratiam religionis Judaicæ, aliæ ad eam instituendam; aliæ ad eam confirmandam. Multæ quidem spectant Judæos ut populum seu societatem civilem, et alias gentes, sed omnes sciunt apud Judæos societatem civilem a religione non distinctam fuisse : quidquid igitur spectat ad hanc societatem, indi-

recte spectat ad religionem. Ergo divinitas religionis Judaicæ confirmatur prophetiis innumeris, divinis, et in gratiam ejus elicitis.....

3° Assistentia Dei perpetua se manifestavit in gratiam religionis Judaicæ. — In historia hujus religionis videmus enim Deum tanquam regem, præceptorem gentis, omnia ejus negotia gerere, correctionem aut præmium adhibere, si gens fidelis fuisset aut infidelis præscriptionibus religionis. Sint, inter multa, sequentia exempla. Moyses in Deut. XXVII et XXIX, ingentes annuntiaverat calamitates superventuras populo, si mandata Dei non custodiret; e contra, multas illi promittebat benedictiones, si constanter religiosum et fidelem se ostenderet : atqui revera Deus sæpius gravissimas induxit calamitates super populum prævaricatorem, et easdem ab illo avertit aut eis finem attulit, ob ipsius gemitus et pœnitentiam. Sic defuncto Josue et extincta generatione quæ mirabilia viderat in deserto et in ingressu Terræ Promissionis, *Fecerunt malum* (filii Israel) *in conspectu Domini, et obliti sunt Dei sui, servientes Baalim et Astaroth,* Judic. III, 7 : tradidit illos Deus in manus Chusan, qui oppressit eos per octo annos : *Clamaverunt ad Dominum qui suscitavit eis liberatorem,* videlicet Othoniel, fratrem Caleb, qui liberavit eos. Sic deinceps pluries in easdem aut in similes relapsi sunt prævaricationes, et fuerunt oppressi ab Eglon rege Moab decem et octo annis, a Jabin rege Chanaan viginti annis, a Madian et Amalec septem annis, a Philistinis et Ammonitis decem et octo annis; et clamantes ad Dominum ac misericordiam ejus implorantes, divinitus liberati sunt successive per Aod, Barac, Debboram, Gedeon, Jephte. Porro in his factis manifesta est specialis Dei assistentia : ergo.

Aliunde probatum est divinitatem religionis judaicæ confirmatam esse prophetiis et miraculis... Ergo hæc religio confirmatur evidentissime notis externis.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE DIVINITATE RELIGIONIS JUDAICÆ PER NOTAS INTERNAS. PROBATA.

I. Quid notæ internæ. In hoc præseuti articulo inspiciemus internam religionis judaicæ naturam et faciem; id est ejus internas notas, illaque minutim examinata et descripta, pronuntiabimus eam religionem, nedum sit absurda ac rationi contraria, tam sublimem, sapientem, excellentissimam esse ut a Deo solo provenire potuerit. Sed antequam probationem hanc aggrediamur judaicam religionem et disciplinam, per quædam lineamenta depingere juvat.

II. Religionis judaicæ descriptio. Primum, notum sit omnibus, ut jam innuimus, apud Hebræos vitam religiosam a civili vita non distinctam fuisse; videlicet constitutio politica illius gentis essentialiter religiosa erat, et religio simul amplectebatur constitutionem politicam et officia civium. His auditis, omnes norunt in religione judaica distinguenda esse dogmata, præcepta moralia, ritus cæremoniales, ac præcepta civilia.

1° Dogmata Judæorum erant quædam fide tenenda, et quorum expressio sparsim reperitur in libris sacris, vel quæ supponit cultus Deo dicatus. Non mirum quin Judæi plus minusve hujus generis tenuerint, cum impossibile sit existere qualemcumque religionem absque dogmatibus.

2° Præcepta moralia illa sunt officia quæ Judæi adimplere debebant sive erga Deum, sive erga proximum, sive erga semetipsos. Inter hæc præcepta alia erant naturalia, scilicet quæ in ipsâ rerum naturâ et hominis indole deprehenduntur; alia positiva officiis naturalibus per voluntatem divinam adhibita fuerant a Moyse descripta speciatim.

3° Ritus cæremoniales dicuntur ritus et cæremoniæ per quos ordinabatur cultus Deo reddendus. — Inter hos

ritus considerentur *sacrificia, sacramenta, festivitates, observantiæ.*

— a) *Sacrificia*, quæ constituunt partem essentialem cujusvis religionis, triplicis generis erant in religione Judaica. *Holocaustum* sic dictum quia victima integre comburebatur, erat sacrificium per excellentiam, ipsius erat ostendere et venerari supremum dominium quod habet Deus in quodcumque objectum et in omnem animam viventem. Hoc sacrificium erat ut dicimus latreuticum. — *Hostia pacifica*, erat simul sacrificium *Eucharisticum* et *Impetratorium*. Itaque offerebatur sive ut beneficium a Deo obtineretur, sive ut de beneficio accepto gratiæ redderentur. Ex victimis in hoc sacrificio oblatis una pars tertia in honorem divinum cremebatur; altera sacerdotibus tradebatur; altera tandem in usum eorum qui offerebant tradebatur. — *Sacrificium pro peccato* pertinet ad illud quod vocamus *propitiatiorum*, et consistebat in oblationibus pro quibusdam culpis externis, v. g., pro silentio veritatis, immunditia, errore, juramento, sacrorum abusu, cujus videre est in Levitico objectum descriptum et ritus perficiendos. — Lev. IV, V, VI, VII. Diversi generis erat materia horum sacrificiorum. Primo in loco adscribendæ sunt victimæ et hostiæ proprie dictæ quæ inter animantia sumebantur, sive ex ovibus, bobus, vitulis, capris, ovibus et agnis; inter volatilia passeres, turtures et columbæ. — Præterea erant *immotationes* quæ erat materia hujus sacrificii ex objectis inanimis et solidis, pane, sale, farina, thure. — Tandem erant libamina, quando ex fluentibus vel liquoribus offerrebatur, v. g., ex oleo et vino, ex aquâ et sanguine.

— b) *Sacramenta* in religione Judaica erant quidam ritus qui gratiam ad modum sacramentorum novæ legis non producebant; sed *ex opere operantis*, ut aiunt theologi, et per meritum Christi venturi producebant. Fatentur etiam idem theologi hæc sacramenta, vel saltem unum institutum fuisse ut ex eo et per meritum Christi venturi deleretur originalis iniquitas. Inter hæc sacramenta citentur *circumcisio*, manducatio agni paschalis, quædam

purificationes et expiationes..... Alii ritus ad omnes pertinebant, alii erant solis sacerdotibus proprii, ut consecratio sacerdotum, panum propositionis manducatio..... Confer S. Thomam, p. sec. q. 102.

— c) *Festivitates* in religione judaica erant quædam solemnitates, quæ sive per unum sive per plures dies celebrabantur. Ordinario confluebat multitudo plebis his diebus in Jerusalem, sacrificia offerebantur, decantabantur psalmi, etc... Præcipuæ festivitates erant *sabbatum* singulis hebdomadibus, tam et toties commendatum a Moyse, et ab antiquo institutum ut requies Dei post creationem mundi honoraretur; — *Neomenia*, quæ celebrabatur singulis mensibus in renovatione lunæ. Hæc festivitas item antiquissima est, a Moyse commendatur sed non prescribitur; et in psalmo 80, auctor sacri illius cantici innuit festivitatem Neomeniæ jam extitisse cum Joseph partriarcha in Egyptum ingressus est; *Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ, quia præceptum in Israel est, et judicium Deo Jacob, Testimonium in Joseph posuit illud cum exiret de terra Ægypti.* Hæ Neomeniæ locum habebant ut Judæi deterrerentur a festis paganorum iisdem diebus peractis. — Aliæ solemnitates singulis annis celebrabantur, ut *Pascha*, in memoriam transitus maris Rubri et salvationis plebis hebrææ; *Pentecostes* ut memoraretur semper lex in Sinaï data; *festum Tabernaculorum*, velut recordatio immorationis populi in deserto et itineris ejus per quadraginta annos; *festum Tubarum, et festum expiationis* ut apertum est e cap. XXIX, lib. Numerorum. — Præterea quædam festivitates post certam periodum annorum recurrebant, velut *annus* sabbaticus et *Jubilæus*. Tandem quædam festa celebrabantur ab hominibus instituta, citare expedit *festum Encæniorum, et festum Sortium.*

— d) Multi alii ritus *observantiæ* vocabantur; et describuntur præsertim in Levitico. Illæ observantiæ fere ad omnes actus vitæ Judæorum referebantur, sive ad revocandum in memoriam Deum benefactorem gentis sive ad reddendum populum cultui divino magis idoneum; tales

erant discretio ciborum, ab alienis separatio, et omnes legales immunditiæ.

4° Tandem ad religionem judaicam pertinebant ea quæ dicimus *constitutionem* gentis et officia civilia, ita ut observat Joseph, auctor historicus, virtus civilis, vi legislationis, erat simul virtus religiosa, et officium civile, officium pietatis erga Deum. — Inter ista officia civilia, alia referuntur ad principes, alia ad subditos, alia vero ad commercium populi cum gentibus extraneis.

III. PROBATIO DIVINITATIS RELIGIONIS JUDAICÆ PER NOTAS EXTERNAS. Nunc, descripta, licet brevioribus verbis, religione judaica, expedit probare ejus divinitatem ex ipsa interna inspectione mirabiliter elucere. Itaque sit sequens propositio :

PROPOSITIO.

Religionis judaicæ divinitas patet tum ex ejus dogmatibus et præceptis moralibus, tum ex cæremoniis et legibus politicis.

Divina origo tribuenda est illi religioni, cujus dogmata credenda et præcepta adimplenda, leges cæremoniales et politicæ divinos præstant characteres, et minime ab hominibus excogitari potuerunt; atqui attente et bona fide eam considerantibus ita sese prodit religio judaica : quod nunc per partes probandum est.

1° Dogmata et præcepta religionis judaicæ divinos characteres præ se ferunt. Moyses enim Deum exhibet unicum, æternum, immensum, infinite bonum, omnipotentem, purissimum spiritum, totius orbis conditorem et moderatorem, malos pœnis et bonos præmiis afficientem, quibuscumque perfectionibus exornatum, talem uno verbo qualem ipsa ratio demonstrat et qualem ipsi deistæ eum esse profitentur. Circa mundum hominisque naturam item religio judaica eximiam prodit doctrinam : mundum scilicet fuisse creatum ; ad nutum Dei gubernari; hominem duplici substantia, materiali et spirituali, coalescere; a Deo in meliori statu creatum fuisse, in pejus per propriam culpam fuisse lapsum ; morte pu-

niri, corpus autem dissolvendum esse dum anima perpetuo vivet.

Dogmatibus istis sublimioribus eximia de moribus addit præcepta judaica religio; docet namque Deum totis viribus diligendum, grates ipsi persolvendas; simul idololatriam, superstitionem et impietatem procul rejicit, unicumque studium ejus est ut homo excitetur ad timorem Dei, ad amorem, ad fiduciam, ad gratitudinem, aliosque animi sensus qui decent et hominem et Deum. — Officia quæ spectant ad proximum et ad ipsum hominem non minus sunt pura et sancta. Juxta hujus religionis præcepta, homo tenetur amare proximum opemque ei deferre; furta, cædes, odia, avaritia, fornicatio, adulterium, prava desideria, non solum malæ actiones sed etiam animi actus interni, et generatim quidquid est malum et inhonestum, cohibentur. Hæc in multis sacrorum librorum deprehenduntur paginis, sed præcipue in decem decalogi præceptis, quæ regulas morum complectuntur, et quæ fatentibus deistis eximia sunt et rationi conformia.

Atqui, si consideremus rationem horum dogmatum et præceptorum, rationem temporis et loci, ac simul nationis cui data erant ut lex et religio, fateri licebit hæc ab homine excogitari non potuisse, ac proinde a Deo venire. — Etenim nedum ista doctrina vel moralis sit absurda aut falsa, est e contra evidenter pura, sublimis et sancta; nullusque error positivus in ea deprehendi potest : quod jam mirum est, si illud attendas quod inter omnes philosophos aut populorum præceptores nullus sit qui in falsum aut fœdum non impegerit; — quod magis mirum videbitur, si attendas quod omnes simul sumpti, nunquam excogitaverint doctrinam aut mores, doctrinæ et moribus religionis judaicæ comparandos. — Præterea ratione temporis et loci pariter impossibile est Moysen religionem judaicam propriis viribus excogitasse. Moyses enim ea vivebat ætate qua tot apud varias gentes erant Deorum monstra, tot acerbitates erga proximum, et præsertim erga servos exercebantur : tot fœdissima vitia publice et

universim apparebant. Fuit educatus in Ægypto et inter Ægyptios, ut superstitiosissimos ab omnibus apprime notos, scilicet ut crocodilorum et plantarum adoratores. Tandem Moysis doctrina proponebatur populo ab omni idea sublimi et spirituali prorsus alieno, ad superstitionem maxime proclivi, et quem videmus etiam inter sui Dei prodigia vel minas ad Deos absurdos gentium sæpissime confugere. — Ergo moraliter impossibile erat Moysen religionem judaicam excogitare, suoque populo imponere; ergo ista religio divinum præ se fert characterem.

2° *Item leges cæremoniales et politicæ Judæorum præ se ferunt divinæ originis characteres.* Leges cæremoniales et politicæ Judæorum sunt sapientissime institutæ, valde populo onerosæ, ab initio perfectæ, datæ sunt tandem et acceptæ tanquam a Deo provenientes, atqui sub isto quadruplici respectu apertum est istas leges et cæremonias non nisi a Deo excogitari potuisse.

— A) Illud sapientissime institutum videtur quod ad finem intentum perfecte dirigitur. Atqui leges et cæremoniæ Judæorum perfecte finem a legislatore intentum procurabant. Legislator enim na tionishebrææ intendebat servare in parvulo populo fidem sanctam in Deum unum et verum, et simul spem futuri liberatoris; insuper instituere cultum Deo dignum ita ut quidquid veri per traditionem fuisset revelatum integerrime custoderetur. Itaque omnis generis fuerunt institutæ cæremoniæ, festivitates, sacramenta, sacrificia, quasi quotidie renovanda, ut populus, facile immemor beneficii, semper ad Deum revocaretur; ut rudis et ad sensibilia proclivis, splendore festivitatum majestatem divinam perciperet, ac propriæ internæ puritati curaret dum tam sæpissime externam immunditiam lavaret. Insuper sciebat Moyses populum ad cultum dæmonis idololatricum maxime pronum esse, ac omnes gentes, deos eorum, lubricas et fœdas solemnitates esse perpetuæ tentationi Judæis; itaque totus est ut eum separet ab aliis gentibus, ut eas quasi odio habeat; igitur eum cohibet a commercio gentium, a mensa,

connubio, festis, etc... Porro, si non omnino, saltem fere impossibile fuit Moysen solum et absque Dei assistentia talem adinvenisse religiosam et civilem legislationem, quod ex sequendis magis patebit.

— B) *Leges politicæ et cæremoniales erant valde populo onerosæ.* Illæ leges et cæremoniæ, ut videre est in Levitico et in aliis libris, quasi omnibus momentis vitæ Judæorum implicabantur; quædam erant impletu difficiles; gravibus pœnis obnoxiæ, v. g., lapidatio pro labore sabbatico; oppositæ omnibus populi propensionibus, in multis a prudentia humana alienæ, v. g., prescriptiones anni sabbatici; tandem pondus hujus legislationis sæpissime patuit, cum gens judæa illud rejecerit et ab ista servitute ad libertatem gentilium evolaverit. Atqui repugnat legislatorem et ducem populi tales leges excogitasse; ac simul impossibile est eas tam onerosas populo repugnanti imposuisse, ac populum eas servasse; igitur a Deo solum provenire poterant.

— C) *Ab initio fuerunt perfectæ.* — Nulla legislatio, civilis aut religiosa, ab initio integram completamque sese præbet. Decursu temporis experientia quotidiana perficitur, moribus gentis successive se accommodat, ac ex gentibus vicinis aliquod detrahit; diverso et contrario modo agit legislatio Mosaïca : antiquissima est et statim in corpore et forma ita perfecta est ut abhinc nunquam mutationem subierit; nihil populis e quibus gens egreditur vel inter quos commoratur, commodat; dum cæteræ nationes veris legibus indigent, populus Hæbræus legislationem habet in qua omnia jura principum et subditorum æque ponderantur, omnia vitæ officia determinantur, ac promoventur pax, felicitas, securitas et unio totius gentis. Hoc modo nunquam processit nec procedere potest ingenium humanum ; ergo legislatio judaica non est opus Moysis solius ; et cum sit sancta et sapiens Deo tribuenda est.

— D) *Datæ sunt leges Judaïcæ et acceptæ tanquam a Deo provenientes.* Millies legislator gentis Hebrææ in memoriam revocat legem quam promulgavit esse opus Dei,

et Deum esse ipsum principem et ducem totius populi; itaque proponit absque hæsitatione Deum cumulatum fore beneficiis temporalibus suum populum, si sit fidelis, e contra diversis pœnis et calamitatibus affecturum si sit infidelis; porro repugnat Moysen talia promissa aut minas proposuisse, si vere et realiter Dei interpres non fuisset, mox enim fraus patuisset; ergo..... Aliunde superius probatum est leges et cæremonias judaicæ religionis ratione perfectionis antiquissimæ, earum ponderis et sapientiæ, non nisi a Deo oriri potuisse; dogmata et præcepta moralia divinis insignita esse characteribus; ergo divinitas religionis judaicæ patet tum ex ejus dogmatibus et præceptis moralibus, tum ex ejus cæremoniis et legibus politicis, quod erat probandum.

Solvuntur objectiones.

1° *Objicitur adversus priorem propositionem scilicet adversus miracula quibus probatur divinitas religionis judaicæ.* — Prodigia in Pentateucho narrata, via naturali explicari possunt; v. g., solerter Israelitæ trajecerunt mare Rubrum secus littus tempore fluxus et Ægyptii eos persequentes a redeunte æstu correpti submersi sunt, etc. Ergo.

R. Nego ant. et ejus probationem. Circumstantiæ enim alicujus facti ab ipso separari non debent; at transitus maris Rubri, prout in Exodo describitur, via naturali explicari non potest, sed insigne fuit miraculum. 1° Enim aquæ in duas partes hinc et inde divisæ sunt, et instar muri steterunt; fluxus maris aquas sic dividere non potuit.

2° Æstum maris non ignorarunt Hebræi, nec igitur circa tale factum a Moyse decipi potuerunt : attamen constanter persuasum habuerunt transitum maris Rubri, cujus erant testes oculati, maximum fuisse miraculum. Ægyptii nec æstum maris, nec ipsius horam ignorabant: quomodo ergo in viam adeo periculosam ausi fuissent se committere? quomodo sic omnes periissent? incredi-

bile est æstum tam vehementer rediisse ut nullus fugere posset.

3° Si Moyses et Israelitæ ope æstus mare naturaliter trajecissent, ut volunt adversarii, certe in extremitate, prope isthmum Suez : at ille transitus effici non potuit per spatium ibi ab aquis relictum ; per sex enim horas aquæ paulatim decrescunt, et statim per alias sex horas paulatim redeunt, ita ut ad summum spatium ducentorum passuum latitudinis per sex horas maneat siccum : sed plus quam duo millia millium, inter sex horas, per tale spatium a littore ad littus transire non potuerunt cum curriculis, jumentis suis et omni supellectili necessaria.

4° In Josue, IV, 22, legitur : *Per arentem alveum transivit Israel Jordanem istum, siccante Domino vestro aquas ejus in conspectu vestro, donec transiretis; sicut fecerat prius in mari Rubro, quod siccavit donec transiremus.* Eodem modo igitur Hebræi transierunt mare Rubrum quo postea Jordanem : atqui non transierunt Jordanem ope fluxus et refluxus : ergo.

Notandum est deistis non sufficere unum aut alterum Pentateuchi prodigium via naturali explicare ; modo unum sit divinum, omnia sunt divina, quia Deus doctrinam impostorum aliquo miraculo confirmare non potest; porro multa sunt prodigia in Pentateucho descripta quæ ne tentarunt quidem deistæ via naturali explicare.

Præterea, non tantum substantia factorum, sed omnes illorum circumstantiæ explicandæ forent : v. g., quomodo decem plagæ subito et inter paucos dies afflixerint Ægyptum ; quomodo hæc a Moyse prævisa et prædicta fuerint ; quomodo illæ plagæ, dum cunctos afficiebant Ægyptios, Israelitas inter eos degentes non tangebant, etc,; evidens est has circumstantias modo naturali explicari non posse : ergo denique, etc. Vide Dissertationem D. *Colmet sur le passage de la mer Rouge : Bullet*, t. I ; *Bergier*, t. VI.

Josephus, Strabo et Plutarchus narrant Alexandrum cum suo exercitu mare Pamphiliæ pedibus trajecisse ; an

pedibus siccis? non affirmant, sed dicunt e contra Alexandrum secus littus iter fecisse et exercitum ejus aquam usque ad medietatem corporis habuisse : igitur transitus iste fuit naturalis, et nulla est paritas.

2° *Objicitur adversus dogmata religionis judaicæ.* Illa religio Deo est indigna, quæ immortalitatem animæ non agnoscit : atqui religio Mosaica immortalitatem animæ non agnoscit, nec ullam de beatitudine æterna mentionem facit : ergo.

R. 1° Pentateuchus est collectio præcipuarum historiæ primitivæ rerum atque legum ritualium et civilium ad regendum populum Israeliticum destinatarum, non vero completa religionis expositio : religio enim a Deo primis hominibus tradita et decursu temporis magis explicata, ut supra notavimus, Moyse anterior erat.

R. 2° *Nego min.* Certum est enim Judæos hoc dogma nunc profiteri; illud tempore Christi et Apostolorum credebant, ut constat tum ex Josepho, tum ex aversione qua prosequebantur Sadducæos; illud tenebant tempore Machabæorum, curabant enim ut preces et sacrificia pro defunctis offerrentur, II Mach. XII, 43; clarius patet ex historia martyrii Eleazari, septem fratrum et matris eorum, ibidem, VI et VII. Eadem veritas sæpius et evidentissime continetur in libris Sap. præsertim III, V et XV, et Eccli. V, 8, et VII. 40. Expressius eam docent Dan. XII, 2; Ezech. XXXVII, 5; Isaias, XXVI, 19; Osee, XIII, 14; Tobias, II, 18; Job, XIX, 25. Continuo eam cantat aut supponit David in Psalmis. In I Regum, XXVIII, Saül evocat Samuelem per pythonissam et illum consulit : illum autem evocare et consulere non cogitasset, si persuasum habuisset animam perire cum corpore. Ergo dogma alterius vitæ constanti traditione creditum fuit apud Hebræos, saltem a tempore Saül. Atqui eo ipso concludendum est illud tempore Moysis et omnibus retro sæculis admissum fuisse; si enim non semper creditum fuisset, illa opinio ab aliquo fuisset introducta, et tunc quædam hujus introductionis vestigia inveniri possent : atqui nulla assignantur nec inveniuntur : ergo.

Præterea, fatentibus *Voltaire* aliisque ejusdem scholæ pseudosapientibus, dogma alterius vitæ et immortalitatis animæ publice et universatim credebatur apud Persas, Chaldæos, Babylonios, Syrios, Cretenses, Phœnicos, Arabes, Ægyptios et omnes Græcos; Hebræi autem suam habent originem ex Chaldæa, plus quam ducentis annis manserunt in Ægypto, vicini erant Arabum, Phœnicum et Græcorum : illud igitur dogma ignorare non potuerunt : ergo illud credebant. Si enim in hoc gravissimo puncto a cæteris gentibus discrepassent, certe aliquod talis discrepantiæ existeret indicium, et ipse Moyses hanc superstitionem prohibere debuisset; etiamsi ergo Moyses circa illud dogma omnino siluisset, non ideo concludere liceret ab Israelitis fuisse ignoratum.

Sed falsum est Moysen circa illud dogma siluisse; pluribus enim in locis evidenter illud ut certissimum supponit, v. g., — a) in Gen. xxv, 8, de Abraham dicitur : *Deficiens mortuus est... congregatusque est ad populum suum.* Idem dicitur de Isaac, xxxv, 29; de Aaron et Moyse, Deut. xxxii, 50; porro non apponebantur ad populum ratione corporis, nam in eodem loco non sepeliebantur. — b) Jacob dicit in Gen. xxxviii, 35 : *Descendam ad filium meum lugens in infernum :* non existimabat autem se descensurum ad filium suum in sepulcrum, siquidem persuasum habebat illum a bestia fuisse devoratum. — c) In Exodo, iii, 6, 15 et alibi, Deus vocatur Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob : atqui *non est Deus mortuorum sed virorum*, ut ait ipse Christus, Matth. xxii, 32. — d) Moyses in Deut. xviii, 11, prohibet ne veritas a mortuis quæratur : hæc prohibitio clare supponit tunc morem fuisse mortuos per pythones interrogare, sicut fecit Saül : atqui mos ille supponit communem esse persuasionem animas cum corporibus non interire, quod ipse sic agnovit *Fréret* a *Guénée* citatus : « Ce passage, » disait-il en parlant de cette loi, merite beaucoup d'at» tention, parce qu'il prouve contre les Sadducéens mo» dernes qu'aux temps de Moyse les Hébreux croyaient » communément les âmes immortelles; sans cela ils ne

» se seraient pas avisés de les consulter : on n'interroge » point ce que l'on ne croit point exister. Il est singulier » que cette conséquence ait été si peu aperçue jusqu'à » présent. » Ergo denique religio Mosaica docet vitam futuram et animæ immortalitatem. Vide *Dissertation sur la nature de l'âme et sur son état après la mort, d'après les anciens Hébreux, par Dom Calmet.*

Inst. Moyses bona aut mala temporalia tantum prænuntiat populo Israelitico, prout mandata Dei custodiet vel non custodiet, ut videre est variis in textibus, præsertim Deuteronomii : ergo nec beatitudinem, nec pœnas alterius vitæ agnoscebat.

R. Distinguo ant. Moyses bona aut mala temporalia tantum prænuntiat populo Israelitico, quatenus est gens politica et corpus morale, *concedo;* quatenus Israelitæ sunt privati et individui, *nego ant.* Itaque sub duplici respectu considerari possunt et debent Israelitæ, scilicet, collective et privatim : sub duplici illo respectu Moyses fuit eorum legislator, ac proinde sanctionem dare debuit suis legibus prout ad gentem vel ad privatos spectabant.

1° Prout ad gentem spectabant, dare illis debuit sanctionem temporalem, quæ sola possibilis erat; gens enim est totum morale in hac vita tantum existens; ergo leges ad eam spectantes, pro vita præsente tantum existunt, sicque earum sanctio debet esse temporalis. Unde si gens Hebræa leges a Deo sibi præscriptas custodisset, pace, tranquillitate aliisque bonis promissis perfruita fuisset : mali cives iisdem bonis participassent, ut pars gentis. Contra vero, gente in prævaricationes labente et calamitates annuntiatas incurrente, boni cives simul cum malis plectebantur, quia ad eamdem gentem pertinebant.

Nulla sanctio spiritualis, in promissione alterius vitæ pro bonis et metu pœnarum pro malis consistens, apponi potest legibus ad gentem ut talem spectantibus; fieri enim potest ut tota gens moraliter leges custodiat, et quidam tamen eas coram Deo transgrediantur, nempe eas omittendo, vel exterius tantum observando; et, vice versa,

contingere potest ut gens fiat rebellis, licet multi remaneant sanctissimi coram Deo : hos autem æternis addicere suppliciis, ob aliorum prævaricationem, iniquum foret, sicut et malos futuris præmiis propter aliorum virtutes donare. Ergo.

2° Moyses sufficientem dare debuit sanctionem suis legibus quatenus spectabant ad privatos, alioquin insulse egisset : atqui nullam vel insufficientem dedisset sanctionem, si ad spiritualem non attendisset; nam, juxta consuetum divinæ Providentiæ cursum, unusquisque æquiori modo remunerari vel puniri non potest, nisi in altera vita : ad eam igitur Moyses necessario attendere debuit, et ita semper intellexerunt Judæi. Unde legis doctori interroganti quodnam esset magnum in lege mandatum, respondit Christus : *Diliges Dominum Deum tuum* etc.; *hoc fac et vives*, Matth. XXII, 37. Ibi agitur de lege Mosaica : qui ergo illam observat, vivet. Porro hæc vita non est nec sane intellecta fuit alia quam vita æterna : ergo. Igitur Moyses expressius de vita æterna non loquitur, quia eam ut quid notissimum supponit : ergo; aliunde, etc. Ergo. *Hinc patet* quantum erraverint *Spencer*, auctor Anglus, in suo tractatu, aliunde commendato, de Hebræorum legibus earumque motivis, et abbas *de Prades*, in sua thesi a Sorbona, anno 1751, proscripta; uterque enim docebat leges Hebræorum omni sanctione spirituali esse destitutas, et Moysen semper repræsentasse Deum tanquam principem civilem et politicum.

3° *Objicitur adversus præcepta moralia. Obj.* 1° Illa religio Deo est indigna, quæ odium proximi et ultionem expresse permittit : atqui religio Mosaica odium proximi et ultionem expresse permittit. — a) Odium proximi; dixit enim Christus, Matth. v. 43 : *Audistis quia dictum est* : *Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum.* — b) Ultionem; nam in Deut. XIX, 21, dicitur : *Animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, exiges.* Ergo.

R. Nego min. quoad utramque partem. 1° Religio Mosaica non approbat odium proximi : nam datur præceptum di-

ligendi proximum sicut nosmetipsos, et insuper Deus per Moysen dicit in Lev. XIX, 18 : *Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.* Et in Exod. XXIII, 4 et 5 : *Si occureris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum; si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo.* Hæc autem conciliari non possunt cum odio etiam inimici.

Verba autem ista, *odio habebis inimicum tuum,* nullibi leguntur in Pentateucho, nihil ergo contra legem Moysis probant. Plurimi contendunt ea legi addita fuisse per Pharisæos; legebant enim : *Diliges amicum tuum sicut teipsum,* et inde sic concludebant : *et odio habebis inimicum tuum.* Hunc errorem reformat Christus, dicendo : *Diligite inimicos vestros,* Matth. v. 44. Alii volunt prædicta verba a Deo prolâta fuisse, et per traditionem oralem transmissa; sed relativa erant tantum ad populos Chananæos qui, ex jussu Dei, sine misericordia exterminandi erant : at in ea hypothesi nihil contra religionem Mosaicam inferri potest. Ergo.

2° Pœna talionis, *animam pro anima, oculum pro oculo,* etc., a nomine adjectivo *talis* sic dicta, eo sensu intelligenda est ut a magistratibus, non vero a privatis infligenda sit. — a) Enim Deus ultionem sibi reservat, Deut. XXXII, 35; at frustra ultionem sibi reservasset, si unusquisque jus habuisset pœnam talionis propria auctoritate infligendi.—b) In tota serie librorum Veteris Testamenti non legimus privatos hanc exercuisse facultatem, nec eam nunc exercent Judæi. Ergo. — c) Hæc pœna non est accipienda physice, quasi reus talem semper de facto subiisset pœnam qualem intulisset, sed moraliter pro determinatione pœnæ qualem judices infligere tenebantur; sæpe enim impossibile erat pœnam omnino similem inferre, vulnus pro vulnere, fracturam pro factura, præsertim habita ratione diversitatis sexus, ætatis virium, complexionis, etc.; cum tamen expediret judices communem habere regulam, ex qua per proportionem, ex æquo et bono, ut aiunt, determinarent pœnam infligendam, Moyses prædictas conditiones illis constituit. Ergo.

Inst. 1° Juxta hanc interpretationem, nulla in hoc esset oppositio inter doctrinam Moysis et doctrinam Christi : atqui tamen hoc falsum est, juxta hæc Christi verba : *Audistis quia dictum est : Oculum pro oculo, dentem pro dente; ego autem dico vobis, non resistere malo,* Matth. v. 38. Ergo.

R. Nego maj. Non solum enim Christus tradit præceptum justitiæ, sicut fecerat Moyses, sed dat consilium perfectionis, *non resistere malo,* in est, tibi injuriam facienti : *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram.* Ergo.

Inst, 2° In decursu librorum Veteris Testamenti, frequenter leguntur desideria ultionis et gravissimæ imprecationes, v. g., in Ps. CVIII. Ergo.

R. 1° Juxta multos scripturæ interpretes, imprecationes quæ passim in libris sacris leguntur, sunt prædictiones futurorum malorum quæ peccatoribus obventura erant : in hebraica lingua præsens et futurum sæpe eodem modo exprimuntur. Sic B. Petrus testatur, Act. I, 20, Deum per os David sub figura imprecationis apostasiam Judæ Iscariotis prænuntiasse : *Episcopatum ejus accipiat alter.* Ergo.

R. 2° *Dist. ant.* Et illæ imprecationes ex odio peccati et zelo gloriæ Dei procedebant, *concedo,* ex odio personarum, *nego maj.* Cum enim lex odium et vindictam personalem prohibeat, si prædicti viri mala ex desiderio ultionis personalis imprecati essent, non laudarentur velut sancti : ergo ex odio peccati et zelo gloriæ Dei sic agebant : porro imprecationes sic intellectæ nihil habent inordinatum ; peccatores enim in peccato obdurati, veritatem impugnantes, Deo oppositi ipsiusque inimici, gravissimis digni sunt pœnis : ergo.

Obj. 2° Lex Mosaica exigebat ut Israelitæ gentes sibi vicinas exterminarent : atqui lex hujusmodi Deo est indigna : ergo.

R. Nego min. Milites qui jussu regis malefactores interficiunt, non reputantur injusti : ergo *a fortiori* qui ex mandato Dei peccatores ad mortem juste damnatos exter-

minant, crudeles reputari non debent : at Israelitæ, ex mandato Dei tanquam ipsius ministri, Chananæos exterminabant : Deus quippe septem illas gentes, propter abominanda earum flagitia, ad internecionem damnaverat, ut nomen ejus *sanctum et terribile* glorificaretur, et populum suum tali severitatis exemplo ab idololatria efficacius deterreret. Ergo.

Cæterum, his gentibus exceptis, leges Judæorum nihil habebant juri gentium oppositum; imo commendant præcipiuntque humanitatis officia erga hospites et advenas : *Si habitaverit advena in terra vestra et moratus fuerit inter vos, non exprobetis ei : sed sit inter vos quasi indigena, et diligetis eum quasi vosmetipsos : fuistis enim et vos advenæ in terra Ægypti*, Lev, XIX, 33. Ergo.

4° *Objicitur adversus ritus cæremoniales religionis judaicæ. Obj.* 1° Illa religio Deo est indigna, quæ innumeras præscribit observationes vanas, inutiles et ridiculas : atqui religio Mosaica multas, etc. Tales sunt tot ritus circa diversa sacrificia, eorum tempus et modum, tot ablutiones, tot distinctiones inter cibos, tot præcepta circa figuram et formam vestium, circa modum arandi, serendi, domos ædificandi et sexcenta hujusmodi. Ergo.

R. Nego min. Nam 1° quidquid a Deo venit, nunquam vanum, inutile aut ridiculum reputari debet, quantumvis tale nobis appareat : at certum est prædictas observationes a Deo venire, id est, ab ipso fuisse præscriptas : etiam si ergo rationes ob quas institutæ sunt afferre non possemus, nihilominus eas deridere aut rejicere tanquam vanas aut inutiles non liceret.

2° Hæc rituum et obervantiarum multitudo non fuit primario instituta quando Deus legem suam in monte Sinai promulgavit, sed secundario et post stupidam populi Israel in adoratione vituli aurei prævaricationem : consilium igitur Dei fuit, ut gentem idololatriæ ream plecteret, ut illam ab eo criminis genere, in quod tum naturali sua propensione, tum vicinorum exemplo, nimium proclivis erat, tutius averteret.

3° Insuper necesse erat ut gravia illi præberentur mo-

tiva quibus contra imbecillitatem suam firmaretur, et media quibus ab omni commercio cum alienis gentibus retraheretur : atqui duplicem hunc finem Deus obtinuit, ritus et observantias legales instituendo.

— a) Gravia præbuit Israelitis motiva quibus contra inclinationem vel imbecillitatem suam firmarentur; quæ enim graviora illis præbere poterat motiva, quam efficiendo ut ante oculos perpetuo haberent sanctissimam ipsius præsentiam, supremum ejus dominium in omnes creaturas, necessitatem eum adorandi, amandi, deprecandi, gratias ei agendi, obsequium præstandi, de peccatis dolendi, sordes mundandi, levissimas immunditias abstergendi, etc.? Porro multi instituti sunt ritus quibus hæc in memoriam populi perpetuo revocarentur, ut dies sabbati, celebriora festa, oblatio primitiarum, redemptio primogenitorum, vel eorum immolatio, solemnia et perpetua sacrificia, victimarum pro peccatis destructio, aspersiones et ablutiones. Ergo.

— b) Aptissima eis subministravit media quibus ab omni commercio cum alienis retraherentur : multa enim dedit præcepta consuetudinibus paganorum opposita : v. g., prohibuit ne lucus juxta altare Dei plantaretur, ne Deus in excelsis adoraretur, Deut. XVI, 21 et Lev. XXVI, 30; ne Israelitæ comam in rotundum attonderent, ne super mortuo carnem suam inciderent, ne figuras aut stigmata in seipsis facerent, ne carnem cum sanguine comederent, etc., Lev. XIX, 26; ne hædum in lacte matris coquerent, ne lac de ovibus cum adipe agnorum manducarent, Deut. XIV, 21 : hæc omnia faciebant gentes. Ut ab omnibus distinguerentur populis, præter circumcisionem qua insigniri tenebantur, alios instituit ritus speciales, v. g., formas vestium et ædificiorum, modum arandi et semen in terram fundendi, distinctionem inter cibos, quorum dam animalium prohibitionem, etc. Inde factum est Judæos, licet tot calamitatibus afflictos et per orbem sparsos, a cunctis aliis gentibus semper remansisse separatos : ergo. Ergo, etc. Præterea omnes isti ritus figuræ erant rerum in nova lege adimplendarum, ac proinde

non erant vanæ. Consule opus jam citatum, *Lettres de quelques Juifs.*

Obj. 2° Illa religio divina esse non potest, quæ humana approbat aut præscribit sacrificia : atqui religio Mosaica humana approbat aut præscribit sacrificia; nempe 1° Abraham laudatur, quia paratum se præbuit unigenitum suum mactare, Gen. XXII. 16.

2° In Lev. XXVII, 28, 29, hæc leguntur verba : *Omne quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit, quidquid fuerit semel consecratum, sanctum sanctorum erit Domino, et omnis consecratio quæ offertur ab homine non redimetur, sed morte morietur.*

3° In Num., XXI, Moyses jubet ut quinquagesima pars eorum quæ in bello capta sunt, ab homine usque ad pecus, in partem Domini cedat et Eleazar sacerdoti tribuatur, sane ut immoletur.

4° Jephte propriam suam filiam immolavit, Judic. XI, 30, et Samuel in frusta concidit coram Domino Agag regem Amalec, I Regum XV, 33. Ergo.

R. Nego min. Nedum enim religio Mosaica humana præscribat sacrificia, ab eis e contra abhorret. Chananæi solebant hujusmodi sacrificia diis suis offerre, et filios suos et filias in honorem Moloch comburere : propterea Moyses prohibet Israelitis ne similes faciant abominationes, *quas aversatur Dominus*, Deut. XII, 31. Idem habetur in Psal, CV, in quo gravissime increpantur Israelitæ qui ita prævaricati sunt, ut sicut gentes filios suos et filias immolarent : ergo religio Mosaica talia nunquam approbavit sacrificia. Itaque alio sensu necessario intelligendi sunt textus qui nobis objiciuntur.

1° Abraham non se præparabat filium suum immolare, ex præcepto legis Mosaicæ, quæ nondum existebat, sed ex mandato Dei, qui supremus est dominus vitæ et mortis : ergo illud exemplum nihil probaret contra legem Moysis. Aliunde, Deus ipse brachium Abraham retinuit, aliam substituit victimam, sicque satis ostendit se humano sanguine non delectari : unde Abraham non lauda-

tur ex eo quod filium suum immolaverit, sed quia prompte Deo obedivit, nihil hæsitans. Ergo.

2° Verba Levitici citata sic intelligi debent : omne quod Domino consecratur, ea voti specie quæ dicitur anathema, redimi non poterit, sed morte morietur, subaudiendo, si mori possit, et mors ejus non prohibeatur; nam in eodem loco et eodem ordine ponuntur agri, agri vero certe mori non possunt; inter animalia quædam sunt munda et alia immunda, immunda autem in sacrificium offerri non poterant : ergo illa verba, licet universalia videantur, necessario ad ea restringi debent quæ immolari non prohibentur : atqui prohibetur in lege ne homines immolentur, *ut videmus*. Ergo.

Sensus igitur illorum verborum est, quod homines Deo consecrati templi servitio mancipari deberent, sicut Samuel, nec eos redimere liceret. Vide *Bullet* et *Guénée*, t. II. Ergo.

3° In textu Exodi qui hic objicitur, nulla fit mentio de immolatione hominum; agitur tantum de parte prædæ in bello captæ, quæ sacerdotibus et levitis concedi debet : porro sacerdotes et levitæ non accipiebant homines captos in bello ut eos immolarent, bene vero ut illis tanquam mancipiis uterentur. Ergo.

4° Si revera Jephte arbitratus est, ut plerique veteres tenuerunt, se ex voto obligatum esse filiam suam mactare, erravit; sed ipsius error ex lege Moysis originem non habuit nisi per abusum. Multi autem, præsertim inter recentiores, putant Jephte non credidisse se teneri filiam suam realiter immolare, nec de facto illam jugulasse; ignorare enim non poterat vota implenda esse modo ad naturam rei accommodato, unde si immundum quoddam animal sibi occurrisset, v. g., porcus, canis, certe illud non immolasset, quia lex tales prohibebat victimas; illud pretio redemisset : si vero animal mundum sibi occurrisset, illud reipsa immolasset : personam autem a se pendentem Deo consecrare debebat, id est, eam in perpetuum servitio templi devovere, non vero eam mactare. Hunc sensum clare exprimit textus Hebraicus, Jud. XI,

31; *Vel erit Domini, vel erit in holocaustum.* Eumdem sensum versus sequentes indicant; legitur enim filiam Jephte duobus mensibus suam virginitatem (non suam mortem) flevisse, et v. 29 : *Fecit ei sicut voverat quæ ignorabat virum.* In Septuaginta legitur : *Quapropter virum non cognoscebat*; nullibi vero legitur eam in holocaustum revera fuisse oblatam. Ergo.

5° Samuel occidit quidem Agag regem Amalec, quia Deus illum morti devoverat ob ipsius scelera; sed illum non obtulit in holocaustum : verba hæc, *coram Domino*, non significant altare, sed præsentiam Dei; Galgala enim in summa erat veneratione, quia ibi circumcisi fuerant Hebræi post transitum Jordanis, Josue, v, 7, ibi phase celebraverant, ibi castrametati et diu commorati erant, etc. : sensus igitur prædictorum verborum est, mortem Agag non fuisse dilatam, sed statim, ibi, in eodem loco, et respiciente Domino, eum occisum esse. Ergo.

5° *Objicitur adversus leges politicas.* Quidquid a Deo venit sapientissimum esse debet : atqui leges politicæ Moysis plures continent dispositiones consuetis sapientiæ regulis adversas, v. g., præceptum agros non serendi et vineas non putandi septimo anno, Lev. xxv, 4; condonationem omnium debitorum in annis Jubilæi, ibidem, xxv, 10. Talia sunt etiam præcepta de alieno in civem non recipiendo, nisi duræ circumcisionis legi se submitteret, de commercio cum extraneis non habendo : unde factum est gentem Hebræam aliarum gentium odia et arma concitavisse; ergo illæ leges a Deo non veniunt.

R. Nego min. Nedum enim illæ leges sint absurdæ, ut placuit *Voltaire*, sapientia legibus Egyptiorum, Assyriorum, Atheniensium, Lacedæmoniorum et etiam Romanorum longe præstant; sapientia enim legum politicarum in eo consistit, ut populus prosperitate fruatur, sit numerosus, robustus, ab extraneis nihil timendum habeat, vera felicitate gaudeat, et in eo statu permaneat : at talis semper fuit populus Israeliticus, quamdiu mandata Dei custodivit, ut ex historia ejus constat; nullus namque fuit populus in antiquitate qui tanto tempore in eodem

statu prosperitatis est felicitatis permanserit; si gravissimas interdum passus et calamitates, eas nos suis legibus, sed suis peccatis tribuere debet, divina testante auctoritate.

Exempla in objectione nobis opposita plus pro nobis quam contra nos probant.

1° Inconcussis monumentis constat gentem Israeliticam semper fuisse numerosissimam, pro extensione regionis Palæstinæ, et non plus expertam fuisse famem quam cæteræ gentes : septimus ergo annus requietionis numero populi non nocebat. Moyses autem, nisi hoc futurum certo novisset, non ausus esset talem præcipere requietionem, quia timendum fuisset ne populus fame periret : perpetua igitur abundantia, quæ septimi anni sterilitatem supplevit, ut juge haberi debet miraculum. Ergo.

2° Condonatio debitorum in anno Jubilæi maximæ erat utilitatis ; inde enim ut fiebat ea terræ divisio, quæ primitus facta fuerat, eadem semper remaneret, familiæ debitis ultra modum crescentibus non gravarentur, et pauperes sublevarentur ; anno quippe Jubilæi appropinquante, non minus tenebantur divites commodare pauperibus id quo indigebant. Deut. xv, 9 ; hinc radix cupiditatis resecabatur.

3° Cum Israelitæ in peculiarem coalescere deberent populum, sua religione, suis moribus et legibus ab aliis populis segregatum, prohibuit Moyses ne cum alienigenis communicarent, eorum consuetudinibus idololatricis participando : at commercium, prout illud nunc intelligimus, nec prohibuit, nec præcepit, parum de illo curavit, quia nationi agricolæ et abundantem fructuum terræ copiam colligenti necessarium non erat.

4° Præscripsit quidem Moyses ut advena non reciperetur in civem, nisi prius circumcideretur, et hoc non mirum ; volebat enim gentem suam religiosam simul et politicam esse ; ergo exigere debuit ut, qui membrum hujus societatis fieri vellet, legibus ejus religiosis et politicis se submitteret.

Si odia cæterarum gentium in se concitaverint Judæi,

inde concludere licet divinam esse eorum legem : quia tam firmiter ei adhærere non potuerunt, nisi credendo vera esse facta quibus nititur ; quia gens parva, cæteris odibilis, sola Dei assistentia per tot sæcula perseverare potuit. Ergo.

CAPUT TERTIUM.

DE DURATIONE RELIGIONIS MOSAICÆ.

Capitis objectum et distributio. Cum Judæis hucusque pugnavimus adversus incredulos, communes hostes nostros, demonstrandro tum intrinsecis tum extrinsecis probationibus religionem mosaicam esse divinam. Nunc autem contra ipsos Judæos arma conversuri sumus, quia ipsis consentire jam non licet. Juxta eos enim religio mosaica in æternum permanere debet ; Messias a prophetis annuntiatus nondum in terras venit, aliunde quando veniet non finem dabit religioni mosaicæ, e contra eam collapsam in pristino splendore restituet, congregabit Judæos dispersos, templum eversum tertio ædificabit, et gloriam judaici nominis usque ad ultimos fines terræ extendet. Nos e contra contendimus 1° religionem mosaicam abrogandam esse ; 2° eam de facto esse abrogatam. Inde duo sequentes articuli.

ARTICULUS PRIMUS.

AN RELIGIO MOSAICA ABROGARI DEBUERIT.

I. Quid in religione mutandum. *Notandum* in religione Mosaica duas distingui partes, unam naturalem et alteram positivam. Pars naturalis, quæ etiam moralis dicitur, ea continet dogmata et præcepta quæ sola ratione, prout eam habemus in præsenti statu, in essentiis rerum

fundata deprehenduntur, v. g., unitatem Dei, cultum illi exhibendi necessitatem, animæ immortalitatem, præmia virtutis et pœnas vitii in altera vita, Decalogi præcepta, etc. Pars positiva, quæ et cæremonialis seu ritualis vocatur, omnes complectitur leges et cæremonias quæ ex libero Dei arbitrio fuerunt institutæ; v. g., tabernaculi exstructionem, levitarum distributionem, sacerdotum ordinem et consecrationem, diversa sacrificiorum genera, victimarum purificationem, festorum aliorumque hujusmodi instituta, formas et modos, Hæc religionem Mosaicam ut talem constituunt; in his enim præcise consistit peculiare fœdus quod Deus per ministerium Moysis cum Hebræis constituit. Pars namque altera, cum ab essentiis rerum pendeat, non fuit instituta, nec finem habitura est; necessario debet esse pars religionis veræ quæcumque sit.

Itaque de abrogatione religionis Mosaicæ tractantes, quæstionem non movemus de parte ejus naturali, sed tantum de parte positiva et cæremoniali.

II. DEMONSTRATUR ABROGATIO FUTURA RELIGIONIS MOSAICÆ.

PROPOSITIO.

Religio Mosaica non erat in perpetuum duratura, sed in ordine divinorum decretorum abrogari debuit.

Prob. 1° *Scriptura nostra.*—Antiquus legislator Moyses, fœdus per ejus ministerium inter Deum et Judæos initum, sacerdotium Aaron, sacrificia juxta ritus et cæremonias, gens hebræa ut specialis et dilectus Dei populus, urbs Hierosolymitana et templum in quo necessario offerenda erant sacrificia, quoad essentiam, omnibus fatentibus, constituebant religionem Mosaicam: atqui ex innumeris V. Testamenti, et præsertim prophetarum locis, annuntiabantur *novus legislator, novum fœdus, novum sacerdotium, novum sacrificium, novus populus,* et tandem *excidium urbis Hierosolymitanæ et eversio templi*, quod per partes nunc probandum est.

1° *Novus legislator.* Legitur in Deuteronomio, cap. XVIII, 15 : *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus ; ipsum audies.* Agitur hic non de serie prophetarum, sed de quodam futuro propheta, numero singulari, de propheta quem specialiter audire Judæi tenebantur, de propheta Moysi simili, qui sit proinde mediator inter Deum et homines, et novæ doctrinæ novique fœderis institutor et promulgator; ergo ex Scripturæ sacræ momento, novus annuntiabatur legislator.

2° *Novum fœdus.* Legitur apud Jeremiam XXXI, 31, 32 : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum : non secundum pactum quod pepigi cum fratribus eorum; sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel post dies illos : dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum... omnes enim cognoscent a minimo eorum usque ad maximum.* — Unde sic argumentari licet : annuntiatur in hoc textu fœdus sub multiplici respectu a Mosaico fœdere diversum. Antiquum fœdus erat *locale ;* novum erit *universum : omnes cognoscent me.* Vetus fuerat scriptum in tabulis lapideis, novum inscribendum est in cordibus : *dabo legem meam in visceribus eorum*, et *in cordibus eorum scribam eam.* Ergo, novo fœdere annuntiatio vetus erat abrogandum; nam, ut ait B. Paulus, *dicendo novum veteravit prius ; quod autem antiquatur et senescit prope interitum est.* (Ad Heb. VIII, 13).

3° *Novum sacrificium.* In Malachia legitur I, 10 : *Non est voluntas in vobis*, dicit *Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra ; ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* Unde sic : Sacrificium hic prænuntiatum a sacrificiis V. Testamenti differt universitate, offertur enim *in omni loco,.. ab ortu solis usque ad occusum ;* — merito, declaratur *oblatio munda* præ cæteris ; — gloria quam Deus ex ipso comparabit, *magnum est nomen*

meum in gentibus; ergo *novum* prænuntiatur sacrificium.

4° *Novum sacerdotium.* Habetur apud Isaiam LXVI, 21 : *et assumam ex eis* (gentibus) *in sacerdotes et levitas*, sed in V. Testamento Levitæ ex sola familia Aaron assumendi erant. — Sic habet pariter psalmus CIX, 4. *Juravit Dominus et non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Hic denuo novum et distinctum prænuntiatur sacerdotium. Erit enim æternum quoad eum qui hac dignitate insigniri debet : *tu es sacerdos in æternum.* Erit non juxta ordinem Aaron, sed juxta novum ordinem, nempe Melchisedech : *secundum ordinem Melchisedech;* ergo...

5° *Novus populus.* Constat ex innumeris textibus ex Psalmis, Isaia, Jeremia, Osee, Joele, Sophonia, Zacharia Malachia desumptis, millies prænuntiatum fuisse gentem sanctam et priorem Dei populum repudiandum esse et locum datum fore novo populo, novæ nationi ex omnibus gentibus componendæ. Quædam seligantur quæ commentario non indigent. In Ps. II, 8. *Postula a me et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* — Ps. XXI, 28 : *Convertentur ad dominum universi fines terræ, et adorabunt in conspectu ejus universa familia gentium.* — Ps. LXXI, 11 : *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei,* — In Isaia legitur II, 2 : *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi et dicent : venite et ascendamus ad montem domini et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulavimus in semitis ejus quia de Sion exibit lex, et verbum domini de Jerusalem.* — Legendum est caput integrum, cui adjungenda sunt capita 5, 42, 49, 60.

6° Annuntiant tandem Prophetæ V. T. excidium Jerusalem, et excidium templi in quo sacrificia necessario offerenda erant. Sic habet Daniel, X, 26 : *Civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio... et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.* Ergo.

Aliunde probavimus juxta prophetas, quorum etiam nunc apud Judæos auctoritas sancta est, populum novum antiquæ Hebræorum genti anteponendum fuisse, novum sacrificium, novum sacerdotium, novum fœdus, novum legislatorem prænuntiatum fuisse; ergo religio mosaica non erat in perpetuum duratura.

Prob. 2° *Ratione.* Religio quæ pendet a quibusdam temporum, locorum vel personarum circumstantiis, mutari vel abrogari debet, dato quod mutentur circumstantiæ; atqui talis erat religio mosaica.

1° Pendebat a quibusdam temporum circumstantiis. Deus populum judaicum elegerat ut veram doctrinam ubique collabentem servaret, et ut cultum sibi debitum exhiberet; itaque eum a gentilibus speciali mandato segregaverat. Supposito igitur quod in futurum gentiles ad Deum converti deberent, cessare jam debebat religio mosaica; porro res ita se habebat, ut nuper vidimus.

2° Pendebat a quibusdam circumstantiis locorum. Omnes fere ritus in Judæa exequendi erant, multi etiam in templo hierosolymitano, v. g., oblatio primitiarum, decimarum, sacrificiorum; ter saltem in anno, scilicet in festis Paschæ, Pentecostes et Scenopegiæ sive Tabernaculorum, homines ascendere in Jerusalem tenebantur; porro ritus illi adimpleri non poterant supposito quod omnes gentes ad Deum converterentur, ergo gentibus conversis, lex mosaica abroganda erat.

3° Pendebat e quibusdam personarum circumstantiis. Pro populo tantum Judaico lex Mosaica promulgata fuerat; ergo abroganda erat, cum novum fœdus inter Deum omnesque populos iniretur.

Ergo lex et religio mosaica non in perpetuum erant duraturæ.

Obj. Lex Mosaica sæpissime dicitur *in perpetuum, in sempiternum* duratura, v. g., Exod. XXXI, 16; Lev. VI, 18; Num. XXXV, 29, et præsertim Deut. V, 29. Ergo.

R. Nego conseq. Nam — a) lex Moysis, quatenus est figurativa, aliquo sensu non erat abroganda, sed potius ad-

implenda; figuræ enim adimplentur quando realitas ipsis substituitur; eo sensu Christus apud Matth. v, 17, dicit : *Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas; non veni solvere, sed adimplere.* — b) Illæ voces *in perpetuum, in simpiternum*, non absolute sed relative accipi debent pro tota duratione reipublicæ Judaicæ vel usque ad legitimam abrogationem : sæpe legislatores humani, summi Pontifices, v. g., decernunt sua statua in perpetuum duratura : attamen non ignorant ea a successoribus suis mutari vel abrogari posse. Ergo.

ARTICULUS SECUNDUS.

AN RELIGIO MOSAICA DE FACTO ABROGATA SIT.

Abrogatio religionis Mosaicæ duplici probatur momento, scilicet ex actuali Judæorum statu et ex adimpletione prophetiarum tempus abrogationis legis Mosaicæ determinantium, nempe Prophetiarum Jacob, Danielis, Aggæi et Malachiæ, inde duplex paragraphus.

§ I. — De actuali Judæorum statu.

I. Descriptio finalis cladis Judæorum, eorumque status hodierni. Status actualis populi Judaici in excidio Hierosolymitano, anno post Christum natum septuagesimo, initium habuit. Norunt omnes stupenda facta quæ Hierosolymitanæ urbis eversionem vel præcesserunt, vel comitata sunt, vel immediate sunt subsecuta. Plures scriptores, præsertim Josephus, in suo libro de Bello Judaico, commemorant ante bellum signa portentaque diversi generis quibus ultima clades prænuntiabatur, nempe maledictionem Jesu, fiii Ananiæ, per septem annos diu noctuque clamantis : væ urbi! væ templo! lumen splendidum noctu subitoque circa templum et altare coruscans, spontaneam operturam orientalis portæ templi, currus per æthera discurrentes, agminaque armata per

nubes ante solis occasum incidentia, et circa urbem consistentia. — Commemorant, bello incepto, insanam Judæorum præsumptionem, nefandam urbis obsidionem, famem, pugnas inter cives, undecies centum millia Judæorum occisionem, tandem incendium templi, licet Titus illud servare conaretur. — Commemorant tandem post eversionem urbis plures Judæorum seditiones, præsertim sub impostore dicto Barcokeba, id est, *filio stellæ*. In ista seditione sexies centena millia Israelitarum occisi sunt. Inter eos qui mortem vitare potuerunt alii ab Adriano imperatore segregati sunt ut post ejus currum triumphalem incederent; alii occisi sunt in ludis gladiatoriis, alii autem venumdati, in servitutem sunt redacti. — Ab hac die in perpetuo commorati sunt in exilio; nam amissa patria, in alias regiones tanquam exules vel advenæ degerunt vitam; ab illo pariter ævo societatem jam non constituunt, sed per totum orbem dispersi inter populos a quibus non amantur, quos ipsi non amant, vivere coguntur. Talis est status actualis Judæorum. Unde sit propositio sequens.

PROPOSITIO.

Jam dudum abrogatam esse religionem Mosaicam, ex ipso solo actuali Judæorum statu, evidenter demonstratur.

Abrogata est quippe, si fœdus inter Deum et Israelitas penitus sit rescissum : atqui fœdus olim existens Deum inter et Israelitas penitus recissum est; illius namque conditiones a Deo non observantur nec ab Israelitis observari possent. 1° A Deo non observantur; Deus enim tutelam populi judaici ipsiusque regimen in se susceperat : sed a diuturno tempore gentem judaicam jam non tuetur, nec eam sicut antea regit; prophetas in ea non suscitat, ministros non constituit, miracula non patrat, silent oracula; in dura captivitate a tot annis gementem, perpetuis calamitatibus obrutam non audit neque liberat; stupendum illius excidium eventurum per-

misit, nullum ei solatium dedit : et hæc omnia tempore adventus Christi contigerunt. Ergo 1°.

2° Conditiones fœderis antiqui observare non possent Judæi, etiamsi vellent; ex lege enim variis in locis, et præsertim in Exodo, XXIX, 9, 44, etc., sola tribus Levi sacrificare poterat; ad locum tabernaculi et deinde ad templum Hierosolymitanum omnes ter in anno ascendere tenebantur, Exod. XXIII, 17; XXXIV, 23; Deut., XVI, 16. Tenebantur insuper quolibet septennio a cultura terræ abstinere, debita remittere, etc. : atqui hæc jam dudum impossibilia sunt Judæis; genealogiæ distingui nequeunt, templum non existit, et aliud ipsi substitutum non fuit, etc. Ergo. 2°

Obj. Tempore captivitatis Babylonicæ eadem facta jam evenerunt, et post eam populus jadaicus cum sua religione in loco suo et pristino splendore fuit restitutus; ergo ex præsenti statu lacrymabili Judæorum nihil concludendum est.

Rep. Neg. Conseq. Nam plures tunc exstiterunt prophetæ, qui missionem suam miraculis confirmabant et restitutionem rerum prænuntiabant : unde suspensa tantum, non vero abrogata erat lex. Decem et octo sæcula septuaginta annis æquiparari nequeunt. Maxima pars Judæorum in Judæa tempore captivitatis remanserat. In ipsamet captivitate Judæi suos habebant principes, suos judices, et magna ex parte suas observabant leges; at nihil horum ex multo tempore existit : ergo.

§ II. — De Prophetiis circa abrogationem religionis mosaicæ.

Inter prophetias quædam annuntiant tempus quo finiet gens Hebræa ejusque religio, vel, quod in idem redundat, tempus quo Messias promissus advenire debet. Ex eis quatuor memoratæ dantur, quibus id clare legitur, videlicet Prophetiæ Jacob, Danielis, Aggæi et Malachiæ; circa has prophetias modo sequenti speciatim argumentari licet.

De prophetia Jacob.

I PROPHETIÆ TEXTUS. Hæc prophetia sic habetur in Gen. XLIV, 10 : *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est : et ipse erit exspectatio gentium.* Plures dantur variantes circa hanc prophetiam in Hebræo, in Samaritano, et in diversis Græcis, Latinis aliarumque linguarum versionibus ; sed illæ variantes ad ista revocantur puncta : — a) Loco *sceptri*, alibi legitur *virga, regnum, principatus*, vel distinctio tribus, ducta metaphora a baculo quo caput familiæ uti solebat in signum suæ auctoritatis. — b) Pro *duce*, in Hebræo habetur, *legislator, magistratus.* — c) Pro *de femore ejus*, quidam ferunt *de filiis ejus, de inter pedes ejus, de vexillis ejus.* — d) *Qui mittendus est* alibi vertitur, *pacificus, filius ejus*, vel *ille cui reservatur* regnum. — e) *Et ipse erit exspectatio gentium ;* in Hebræo legitur, *et ipse erit congregatio populorum.* In quibusdam versionibus habetur, *et ipse erit obedientia populorum* vel *gentium.* Omnes illæ variantes colliguntur ex textibus Hebraico et Samaritano, ex versionibus Græcis Septuaginta in interpretum, Aquilæ, Symmachi et Theodotionis, ex Syriaca, Arabica et Persica, ex Latinis et ex ipsis paraphrasibus Chaldaicis ante Christum a Judæis exaratis ; unde certum est alias non existere variantes essentiales : atqui omnes variantes a nobis recensitæ ad eumdem sensum substantialem evidenter redeunt : ergo lectio Vulgatæ nostræ admitti et retineri potest : examinandum est igitur an ex illa prophetia sic expressa probari possit Messiam jam advenisse.

II. EX TEXTU DEMONSTRATIO.

PROPOSITIO.

Ex memorata Jacob prophetia clare probatur Messiam jam a multo tempore advenisse.

Prob. Ex illa Jacob prophetia probatur nostra propositio, si ille quem sanctus patriarcha sub eo nomine de-

signat, *qui mittendus est*, sit Messias, et si jam dudum advenerit : atqui hæc duo certa sunt.

1° Ille quem designat, est Messias. Nam — a) ibi eum designat quem Deus ipsi prædixit, sicut antea Isaac et Abraham prædixerat, dicens, Gen. XII, 3; XVII, 18; XVIII, 18; XXVI, 4; XXVII, 14 : *Et benedicentur in te et in semine tuo cunctæ tribus terræ :* atqui ille in quo benedicendæ erant cunctæ tribus vel nationes terræ, juxta omnes Judæos, erat Messias. — b) Designat eum *qui mittendus est*, qui est *exspectatio gentium, desideratus cunctis gentibus*, ut ait Aggæus : verum solus Messias dici potest exspectatio gentium, desideratus gentibus; solus merito dici potest simpliciter mittendus, pacificus, filius cui reservatur regnum. — c) Antiqui Judæi, ut Septuaginta interpretes, tres Chaldaici paraphrastæ ante Christum existentes, Aquila, Symmachus et Theodotio post Christum viventes, et plures rabbini etiam recentiores, hunc textum de Messia interpretati sunt. Ergo 1°.

2° Ille quem Jacob hic designat, jam dudum venit; venire namque debuit antequam auferretur sceptrum seu potestas de Juda, priusquam cesserit dux, scriba vel legislator de femore ejus, seu de inter pedes ejus, juxta textum Hebraicum, vel de vexillis ejus, ut fert Samaritanus, vel antequam cessaret tribus, ut alii volunt, intelligentes per *schebet* baculum præeminentiæ in familia : atqui manifestum est omnem potestatem jam dudum ablatam esse de Juda : a decem enim et octo sæculis, tribus Juda nullam inter alias habet præeminentiam, nullum regem, nullum principem, nullum legislatorem, nec magistratum; imo non existit ut tribus, ubique terrarum est dispersa et durissima oppressa captivitate : ergo 2°, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Vox Hebraica שבט, seu *schebet*, quam per *sceptrum* vertimus, significat etiam *virgam tribulationis :* sensus ergo hujus prophetiæ hic esse potest : Non auferetur virga tribulationis de Juda, donec, etc.

R. Dist. ant. Vox *schebet* significare potest virgam tribulationis, si per quædam adjuncta ad hunc sensum determinetur, *conc.;* sola et in se sumpta, *nego ant.;* equidem vox illa significare potest virgam tribulationis; hæc enim vox hunc habet sensum in P. II, 9; sed jungitur cum BRZL, ferrum, et vertitur *in virga ferrea :* at nunquam vox illa talem habet sensum nisi ad eum ex adjunctis determinetur. Porro in prophetia Jacob nulla sunt addita quibus ad sensum istum determinetur; statim enim subjungitur, *et dux de femore ejus*, etc. Præterea diversarum versionum auctores, antiqui Judæi, et plures etiam recentiores rabbini eam sic intellexerunt. Ergo.

Plures etiam recentiores Judæi contendunt adverbium Hebraicum AD CHI, quod per *donec* interpretamur, significare etiam *in æternum, postquam*, adeo ut sensus esset : Non recedet sceptrum de Juda in æternum, postquam advenerit Messias. Sed illi Judæi prædictum sic interpretantur vocabulum ex punctis massoreticis : atqui illa puncta nullius sunt auctoritatis, ut pote valde recentia. Longe majorem merentur fidem auctores omnium versionum, et antiqui Judæi, præsertim celebriores, qui præfatum adverbium sensu nostro intellexerunt, ut patet ex versione Septuaginta interpretum, ex paraphrasibus Chaldaicis, etc. Præterea multi contendunt quod, etiam auctoritate punctorum admissa, prædicta adverbii verba non sint disjungenda, et sensu nostro intelligi debeant. Ergo.

Ob. 2° Vocabulum SCHILOH, *qui mittendus est*, applicari potest Moysi, Saüli, David, vel Salomoni : non certum est ergo per illam vocem intelligendum esse Messiam.

R. Nego ant. Nam — a) Moyses non erat de tribu Juda; — b) post alios principes citatos sceptrum seu potestas de tribu Juda non recessit : non ergo nisi in desperatione causæ ad tales interpretationes confugerunt Judæi recentiores. Quidam hucusque in saniere, ut arbitrati sint prædictam vocem de Nabuchodonosor vel de Cyro intelligendam esse, quasi illi vastatores terræ fuissent *expectatio gentium*. Ergo.

Obj. 3° Illa Messiæ prædictio forsitan fuit conditionata,

et fidelitati Judæorum subordinata : ergo fieri potest ut propter Judæorum peccata adventus Messiæ differatur, vel nunquam contingere debeat.

R. Nego ant. Nam — a) illa prædictio haberi non potest ut conditionata, quæ verbis absolutis exprimitur, et neque per antecedentia neque per sequentia ad conditionem aliquam determinatur : atqui talis est Messiæ promissio in prophetia Jacob. — b) Messias non promittitur tantum pro Judæis, sed pro cunctis gentibus : promissio autem in gratiam cunctarum gentium facta, pendere non debebat a fidelitate Judæorum. — c) Messias futurus erat exspectatio gentium, omnes familiæ terræ in ipso benedicendæ erant, omnes in ipsius lumine ambulare, id est, Deum verum et unicum per ipsum cognoscere debebant : at cognitio unius veri Dei terram universam invasit : ergo.

Præterea, prophetia Jacob correspondet prophetiæ Danielis, de qua mox dicturi sumus : porro Daniel, IX, 26, formaliter prædicit Judæos, propter suam infidelitatem, a Messia, quem negaturi erant, reprobandos esse : ergo promissio Messiæ per Jacob facta non erat conditionata.

Obj. 4° Tempore captivitatis Babylonicæ ablatum est sceptrum de Juda, et tamen Messias non venit. Ergo.

R. Nego antecedens. Nam — a) potestas tribus Judæ fuit ad summum durante captivitate suspensa, non vero destructa ; ipsi Judæi sciebant illam per septuaginta annos tantum duraturam esse, ut prædixerat Jeremias, XXV, 12. — b) Suprema potestas non fuit stricto sensu suspensa ; Judæi enim suas adhuc sequebantur leges, saltem in aliquibus ; quosdam ex suis contribulibus habebant magistratus seu judices, ut patet ex historia Susannæ, Dan. XIII. — c) Si, ut plures volunt, per vocem *schebet* intelligenda sit tantum præeminentia tribus Juda, nulla est difficultas, certum est quippe hanc tribum tempore captivitatis fuisse distinctam, ac proinde *schebet* in ea fuisse. Ergo.

Inst. Post captivitatem Babylonicam, Judæi summam non recuperaverunt auctoritatem, et duces eorum sæpe ex aliena erant tribu, v. g., Mathathias, qui erat de tribu Levi,

Asmonæi pontifices, ab Asmonæo proavo Mathathiæ sic dicti, Joseph. l. 12, c. 8, qui per 126 annos principatum obtinuerunt, et Herodes gentilis. Ergo.

R. Nego ant. Ut enim tribus Juda supremam obtinuerit potestatem, sufficit quod fuerit gens completa, ab omnibus aliis gentibus distincta; gens quippe completa necessario supremam habet potestatem : atqui tribus Juda revera fuit post captivitatem gens completa; Judæi enim usque ad Vespasianum semper habiti sunt ut natio; tribus Juda præeminentiam in ea natione habebat, imo totam nationem moraliter constituebat; decem enim tribus remanserant ultra Euphratem, pauci erant Benjamitæ et pauci Levitæ respectu Judæorum; aliunde Levitæ altaris servitio erant mancipati : ergo. Primus dux Judæorum post captivitatem fuit Zorobabel de tribu Juda; ignoramus ex qua tribu fuerint illius successores per 400 annos circiter; ex eadem tribu probabiliter ortum habuerunt : contrarium saltem probari non potest. Mathathias autem erat de familia Phinees, ex genere sacerdotum et tribu Levi; sed a *Judæis ob præclara facinora electus, eis benevolentibus præfuit,* Josephus, de Bello Jud. l. 1, c. 1. Jonathas et Simon pariter fuerunt electi, I Mach. IX, 30, et XIII, 8. Idem præsumi potest de aliis. Etiamsi non fuissent electi, eo ipso quod legitimi essent Mathathiæ, Jonathæ et Simonis successores, ex libera Judæorum voluntate regnabant. Porro qui libere ducem eligunt, aut libere ei se submittunt, supremam habent potestatem.

Non inde concludendum est Judæos non habuisse ducem de femore Juda; nam gubernium eorum erat aristocraticum et magnates eorum magnam exercebant potestatem : epistolæ scribebantur nomine principis, seniorum sacerdotum et totius populi, I Mach. XII, 6; suos habebant magistratus, sua tribunalia, et præsertim magnum *sanhédrin,* sicque veram exercebant potestatem. Ergo eo sensu genuino et naturali, revera semper fuit dux de femore Juda, vel *de inter pedes ejus,* ut fert textus Hebræus, et a fortiori *inter vexilla,* si anteponatur Samaritanus, qui certe magnæ est auctoritatis; vexilla enim Asmonæorum

et ipsius Herodis erant vexilla Judæorum, siquidem illi principes unicam cum Judæis componebant gentem integram, ab illis independentem et proprio nomine designatam.

Romani illam, duce Pompeio, subjugaverunt, tributa illi imposuerunt, Herodem gentilem pro rege in Galilæa constituerunt, Pontium Pilatum in Jerusalem gubernatorem præfecerunt : tunc potestas judaica fuit imminuta, sed nondum penitus exstincta ; quædam illius umbra adhuc aliquo tempore perseveravit, et tantum in excidio Hierosolymitano, anno Christi septuagesimo, omnino evanuit. Ergo.

Si autem admittatur interpretatio eorum qui dicunt *schebet* hic non designare supremam auctoritatem, sed tantum præeminentiam vel distinctionem tribus in Juda, donec veniat Messias, omnino evanescet præsens difficultas, ut patet.

De prophetia Danielis.

I. Textus prophetiæ. Celeberrima Danielis prophetia sic legitur in Vulgata nostra, cap. ix. Versus finem captivitatis Babylonis, Daniel commemorans *numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam prophetam, ut complerentur desolationis Jerusalem septuaginta anni*, posuit faciem suam ad Dominum ut eum in jejuniis, in sacco et cinere rogaret et deprecaretur, longamque et ardentissimam effudit orationem. Tunc, adhuc eo loquente, venit Archangelus Gabriel, et dixit ad eum, v. 22 et seq. :

Daniel nunc egressus sum ut docerem te et intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo : ego autem veni ut indicarem tibi quia vir desideriorum es : tu ergo animadverte sermonem, et intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur prevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur

Sanctus sanctorum. Scito ergo et animadverte : Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duæ erunt : et rursum ædificabitur platea, et muri in angustia temporum. Et post hebdomodes sexaginta duas occidetur christus : et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo : et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una : et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium : et erit in templo abominatio desolationis : et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.

Juxta omnes, nulla datur discrepantia substantialis inter textum Hebraicum, Vulgatam nostram et cunctas alias versiones, licet plures sint variantes.

II. EX TEXTU DEMONSTRATIO.

PROPOSITIO.

Ex prophetia Danielis demonstratur jam advenisse Messsam.

Prob. Ex prophetia Danielis probatur, etc., si ille qui annuntiatur, sit Messias, et jam advenerit : atqui hæc duo certa sunt.

1° Qui annuntiatur est Messias : dicitur enim Christus venturus, Sanctus sanctorum, per quem consummanda est prævaricatio, abolendum peccatum, delenda iniquitas, adducenda justitia sempiterna, implenda visio et prophetia, instituendum et confirmandum novum pactum; atqui illi characteres soli conveniunt Messiæ, et revera messias sub his characteribus in aliis Prophetis designatur, v. g., Ps. LXXI, 7; Is. XLV, 8; Jer. XXIII, 6. Plures rabbini celebriores hanc prophetiam de Messia intelligebant, referente S. Hieronymo in cap. IX. Dan. Ergo 1°.

2° Jam dudum advenit. Post septuaginta hebdomades advenire debuit, juxta hæc verba prophetiæ : *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt,* id est, juxta alias versiones, decisæ, concisæ, vel determinatæ sunt, ut *un-*

gatur Sanctus sanctorum, deleatur iniquitas, adducatur justitia sempiterna, etc.; at illæ hebdomades jam dudum elapsæ sunt : duplicis enim generis erant hebdomades apud Judæos, aliæ videlicet dierum ut apud nos, et aliæ annorum, juxta quod dicitur in Lev. xxv, 8 : septuaginta autem hebdomades, de quibus loquitur Daniel, sunt hebdomades annorum : in capite enim sequenti, v. 2 et 3, aliarum hebdomadarum mentionem faciens, denotat eas esse dierum : ergo præcedentes erant annorum. Aliunde magni quos prænuntiat eventus intra breve spatium 490 dierum contingere non poterant : manifestum est igitur quod ibi hebdomades annorum intellexerit. Porro septuaginta hebdomades annorum quæ 490 efficiunt annos, a multo tempore elapsæ sunt : initium enim earum differri non potest ultra centesimum annum post finem captivitatis quo anno exiit sermo seu edictum Artaxercis Longimani ut iterum ædificaretur Jerusalem, II Esdr. II, 1 et seq. : atqui plus quam 2200 effluxerunt anni ab illo edicto : ergo.

Præterea, qui in prophetia annuntiatur, venire debuit antequam subverteretur templum post captivitatem ædificatum, dissiparetur civitas iterum exstructa, deficeret hostia et cessaret sacrificium : sed a multis sæculis eversum est templum, dissipata est civitas, defecit hostia et cessavit sacrificium : ergo 2°, etc.; aliunde, etc. Ergo.

De hac prophetia iterum, de religione christiana agendo, disseremus.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° cum quibusdam rabbinis : Christus, qui a Daniele prædicitur venturus, forsitan est Agrippa secundus qui tempore ultimi excidii Hierosolymitani occisus est, vel Zorobabel, vel Esdras, vel Cyrus : ergo non constat eum esse Messiam.

R. Neg. ant. Nam — a) nullus ex illis principibus dici potest simpliciter et sine addito, *dux, Christus dux* — b) Nullus appellari potest *Sanctus sanctorum.* — c) De nullo dici potest quod per illum adducta fuerit justitia sempi-

terna, finem acceperit peccatum, deleta fuerit iniquitas. — d) Agrippa junior, ex Josepho, non erat rex Judæorum, et aliunde non constat illum fuisse occisum — e) Septuaginta hebdomades annorum non effluxerunt a Daniel usque ad Zorobabel, Esdram aut Cyrum. Ergo illa rabbinorum interpretatio merum est figmentum.

Obj. 2° In prædicta prophetia duplex videtur esse Christus, scilicet, Christus dux post septem hebdomades et Christus qui occidetur post sexaginta duas hebdomades : ergo probari non potest ibi sermonem esse de Messia; aut si de illo agatur, non constat illum jam venisse.

R. Nego ant. — a) Septem hebdomades et sexaginta duæ separatim accipiendæ non sunt, quasi duplicem efficerent numerum; unicum siquidem supra efficiunt numerum : *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt.* — b) Christus qui occidetur, seu exscindetur, ut fert Hæbreus, idem est ac Christus dux prius designatus; evidens est enim secundam prophetiæ partem prioris partis esse continuationem et explicationem; in utraque parte iidem characteres, soli Messiæ proprii, Christo venturo tribuuntur : ergo falsum est duplicem ibi annuntiari Christum.

De prophetiis Aggæi et Malachiæ.

I. Textus prophetiarum. Judæi qui de captivitate cum Zorobabel venerant, negligentius in ædificando templo laborabant, quia constituti erant in impossibilitate illud juxta priorem splendorem reædificandi : inde mœrore conficiebantur. Tunc Deus misit ad eos prophetam Aggæum qui suis adhortationibus eos confortaret. Sic autem capite secundo locutus est, v. 7-10 :

Adhuc unum modicum est, et ego commovebo cœlum, et terram, et mare, et aridam; et movebo omnes gentes : et veniet desideratus cunctis gentibus : *et implebo domum istam gloria, dicit dominus exercituum. Meum est argentum, et meum est aurum, dicit dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ, dicit*

Dominus exercituum ; et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.

Malachias autem, qui centum annos circiter post Aggæum, scilicet tempore Nehemiæ, prophetabat, hæc habet, cap. III, 1 :

Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum,

II. EX TEXTU PROPHETIARUM DEMONSTRATIO.

PROPOSITIO.

Ex duabus Aggæi et Malachiæ prophetiis constat præteritum esse tempus quo venire debuit Messias.

Prob. Certum est templum, a Zorobabel post captivitem reædificatum, multis abhinc sæculis penitus esse destructum; factum istud a nemine in dubium revocari potest : unde si Messias templum istud visitare debuit, certum est illum jam dudum venisse; atqui, ex prophetiis agitur de templo a Zorobabel ædificato et de Messia venturo.

1° De templo a Zorobabel ædificato agitur, non vero de tertio templo ab ipso Messia ædificando, ut quidam Judæi somniarunt. Nam — a) Aggæus, ut confortaret Judæos mœrore confectos, eosque in construendo templo excitaret, prædicit gloriam illius futuram esse majorem gloria prioris templi : atqui hoc argumento finem intentum non obtinuisset, si de alio templo post sæcula ædificando locutus fuisset. — b) Dicit, *adhuc modicum*, etc.; at dicere non potuisset *adhuc modicum* si de templo futuro cogitasset. — c) Aggæus his utitur vocibus, *domum istam, domus istius, loco isto :* illæ autem voces clare designant templum præ oculis positum, quod extruebant Judæi, et cujus exiguitatem in comparatione prioris tristes aspiciebant. — d) Idem templum designat Malachias : nam ipsius prophetia cum prophetia Aggæi evidentem habet affinitatem; tempore secundi templi vaticinatur, et præ-

dicit Dominum ejus ad illud brevi esse venturum : *Ecce ego mitto..... et statim veniet,* etc. Porro hæc intelligi non possent de futuro templo a Judæis excogitato : ergo, etc. Ergo 1°.

2° De Messia venturo agitur. Nam — a) ille de quo fit sermo vocatur *desideratus cunctis gentibus,* vel, ut in Hebraico textu habetur, *desideria cunctarum gentium*; at in aliis prophetiis sic vocatur Messias, *exspectatio gentium; in eo benedicentur gentes,* etc. — b) Dare debet pacem : porro Messias vocatur *princeps pacis,* apud Isaiam, IX, 6; *Disciplina pacis nostræ super eum,* Isaiæ, LIII, 5; *Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis.* Ps. LXXI, 7. — c) Ad ipsius præsentiam commovebuntur cœlum et terra, mare et arida et omnes gentes : hæc autem intelligi non possunt nisi de Messia. — d) Ad templum suum statim veniet; est dominator quem Judæi quærunt, Angelus testamenti quem volunt : atqui magnæ illæ qualitates soli Messiæ competere possunt et simul probant quanta debeat esse ejus dignitas. — e) Ex illius adventu et visitatione tantum honorem suscipiet templum Zorobabel, ut priori templo gloria præcellat : infinita tamen erat distantia inter utrumque templum, ratione structuræ, magnificentiæ, utensilium vasorum, ornamentorum sacrorumque monumentorum; in priori enim summa veneratione custodiebantur virga Aaron, tabulæ legis, arca fœderis man divinitus datum et conservatum; cum sacra hæc objecta perierint in captivitate, nullum eorum fuit in secundo templo : porro nullus, præter Messiam, tantum honorem tantamque gloriam templo illi conferre potuit. — f) Denique plures rabbini, inter quos citantur Akiba, Aben-Esra, Maimonides, etc., has prophetias de Messia interpretati sunt. Ergo 2°

Obj. Josephus, lib. 15 Antiq. cap. 11, testatur secundum templum majoribus sumptibus ab Herode fuisse exornatum quam a quovis alio antea : ergo sua magnificentia priori templo præcelluit.

R. Nego conseq. Josephus enim, dicendo Herodem majoribus sumptibus exornasse templum quam alii quilibet,

loquitur tantum de principibus qui secundum templum a Zorobabel ædificatum decoraverant : non vero intendit magnificentiam hujus templi supra magnificentiam templi Salomonis extollere ; narrant enim Herodem mille carros et decem millia peritissimorum opificum per octo annos ad templum reædificandum adhibuisse : atqui nulla est proportio inter hujusmodi sumptus et sumptus quibus exstructum est Salomonis templum ; namque David, I Paral. XXII, centum millia talentorum auri, et millia millium talentorum argenti paraverat ; Salomon vero, II Paral II, centum nonaginta millia virorum per septem annos adhibuit præter immensos labores quos jam fieri curaverat David, ad præparanda ligna, ferrum ad clavos, æs ad juncturas, ad lapides cædendos et poliendos. Ergo.

Præter auctores qui de his quæstionibus fusius tractaverunt, et quos jam pluries indicavimus, utiliter legi potest opus recens cui titulus : *Des obstacles qui s'opposent à la conversion des Israélites et des moyens de les surmonter, par Lombroso et Consoni.* (*Démonst. évang., édit. Migne, t.* XVIII.)

PARS TERTIA.

DE RELIGIONE CHRISTIANA.

HUJUS PARTIS CUM PRÆCEDENTI CONNEXIO ET DISTRIBUTIO. Quæ nuper diximus in secunda parte de duratione et abrogatione judaicæ religionis divinitatem religionis christianæ adstruunt, licet indirecte. Etenim Religio Christiana nihil aliud est nisi lex illa perfectior *in cordibus* scribenda, religioni judaicæ substituenda et cujus splendore omnes populi sedentes in tenebris et in umbra mortis

erant illuminandi. Nihil aliud est pariter nisi pactum seu fœdus novum quod *Messias* vel *Desideratus cunctis gentibus*, vel adhuc *Angelus Testamenti*, seu *Christus* cum *multis hebdomada una* erat confirmaturus. Porro religio a Messia promulgata, et religioni divinæ substituenda, ipsa debet esse divina.

Attamen cum divinitas religionis christianæ sit quæstio maximi momenti, specialibus argumentis stabilienda est. Primum igitur inquiremus de auctoritate sanctorum librorum e quibus profluit christiana religio; deinde de divinitate religionis christianæ tum contra Judæos, tum adversus incredulos disseremus; inde duo capita erunt.

CAPUT PRIMUM.

DE FONTIBUS SEU DE VARIIS LIBRIS E QUIBUS ERUUNTUR ARGUMENTA AD DIVINITATEM RELIGIONIS CHRISTIANÆ PROBANDAM.

QUINAM SINT FONTES RELIGIONIS CHRISTIANÆ. Non secus ac judaica christiana religio suos habet sacros codices e quibus eruuntur tum historia ejus institutionis, tum ejus, saltem pro magnâ parte, dogmata et præcepta circa fidem, cultum et mores. Diximus quidem pro magna parte, quia alius est fons dogmatum et præceptorum non minus fecundus et venerandus scilicet *Traditio* de qua alibi tractabitur. — Per oppositionem ad libros religionis judaicæ dictos Vetus Testamentum, libri Christianæ vocantur generatim sumpti Novum Testamentum. Illi libri sunt numero viginti septem, nempe *quatuor Evangelia, Actus Apostolorum, quatuordecim B. Pauli epistolæ, duæ B. Petri, una B. Jacobi, tres B. Joannis, una B. Judæ et Apocalypsis B. Joannis.* Certum est, in tuto repositis N. Testamenti libris, jam constare de veritate et divinitate religionis christianæ. Itaque procedentes circa religionem

christianam eodem modo ac superius circa judaicam examini historico submittemus hos Novi Testamenti libros; videlicet antequam aggrediamur specialiter quæstionem de divinitate religionis christianæ, inquiremus an ejus fundamentales libri sint fide digni, nempe an sint authentici, integri et veri; inde triplex instituetur articulus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE LIBRORUM NOVI TESTAMENTI AUTHENTICITATE

Alibi dictum est de ea qualitate quam dicimus authenticitatem. Hic quæstionem movere non intendimus de authenticitate quorumdam N. Testamenti librorum circa quos nonnullæ occurrunt difficultates; sed de Novo Testamento generatim sumpto ac præcipue de quatuor Evangeliis; sequentem igitur statuimus propositionem.

PROPOSITIO.

Libri novi Testamenti ab eis scripti sunt auctoribus quibus attribuuntur, et eo tempore ad quod referuntur.

I. *Probatur Notis extrinsecis.* 1° Ei libri ut certo authentici haberi debent qui ut tales ab omnibus et semper habiti sunt, alioquin nullius libri authenticitas constare posset; at omnes et semper ut authenticos habuerunt libros Novi Testamenti; in eo quippe consentiunt omnes scriptores catholici, hæretici et pagani.

— A) *Catholici.* Increduli enim non negant eos in hac esse persuasione a tertio sæculo; atqui pariter constat eos in eadem persuasione semper fuisse; nam persuasio ista tam universalis esse non potuisset in tertio sæculo, si ab initio non exstitisset. Præterea, sancti Patres et omnes ecclesiastici auctores qui in hoc intervallo scripserunt, v. g., S. Clemens, B. Petri discipulus et successor, S. Ignatius, S. Polycarpus, B. Joannis auditor, S. Justinus, S. Irenæus, de diversis libris Novis Testamenti, præsertim de

Evangeliis, mentionem sæpe faciunt. Tertullianus, lib. de Præscript. c. 36 : « Percurre, *inquit,* ecclesias Apostolicas » apud quas ipsæ authenticæ litteræ eorum (Apostolorum) » recitantur, sonantes vocem, et repræsentantes faciem » uniuscujusque. Proxima est tibi Achaia ? habes Corin- » thum... ; si non longe es a Macedonia, habes Philippos, » habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, ha- » bes Ephesum. Si autem Italiæ adjaces, Romam. » Hæc Tertulliani verba indicant ipsa beati Pauli autographa tunc apud illas ecclesias adhuc servari, aut saltem Epistolas ejus in summa veneratione esse. Ergo.

—B) *Hæretici* catholicis unanimiter consentiunt in tribuendis libris Novi Testamenti eis auctoribus quorum nomine inscribuntur ; quoad hæreticos tempore nostro existentes, nulla est difficultas ; hos libros cultu religioso prosequuntur tanquam divinos, et iisdem ac nos tribuunt auctoribus. Rejiciunt quidem Epistolam ad Hebræos, Epistolam B. Jacobi, secundam B. Petri, duas ultimas sancti Joannis et Apocalypsim : sed cum nihil illæ Epistolæ contineant quod non sit quoad substantiam in aliis libris, controversiam hic cum hæreticis non aggredimur ; revera concludere possumus contra deistas, præsentes hæreticos nobis esse concordes circa librorum Novi Testamenti authenticitatem. Porro alii hæretici, etiam qui ad tempus Apostolorum magis approximabant, eamdem constanter tenuerunt doctrinam ; v. g. ; Ebionitæ, Marcionitæ, etc. Illorum intererat rejicere auctoritatem librorum quibus catholici eos refellebant : attamen illos tanquam supposítos non rejecerunt, nec ut dubios habuerunt ; sed conabantur eorum sensum tum bene tum male in suas sententias detorquere. Ergo.

— C) Idem confessi sunt *Pagani*. Plurimæ enim Celsi et Porphyrii reperiuntur objectiones apud Origenem contra religionem christianam : noscuntur opera et dicta Juliani Apostatæ adversus eamdem religionem ; ea nobis transmittit S. Cyrillus Alexandrinus in suis libris contra hunc apostatam : at illi auctores nihil arguunt contra authenticitatem librorum Novi Testamenti, imo eos sine am-

biguitate eisdem ac nos tribuunt auctoribus, præsertim quatuor Evangelia. Sic Celsus multa ex Evangeliis commemorat, quæ ex scriptis Apostolorum se decerpsisse profitetur ; sic Julianus, quando prohibuit ne Christiani humaniores edocerent litteras : « Satis ipsis fuerit, *inquit*, » Lucam et Matthæum in Galilæorum cœtibus exponere. » Et iterum apud eumdem Cyrill. t. VI : « Jesum quippe » illum neque Paulus Deum dicere ausus est, neque Mat- » thæus, neque Lucas, neque Marcus; sed bonus ille » Joannes... » Ergo nullum habebant dubium circa authenticitatem prædictorum librorum. Ergo.

2° Ei libri sunt authentici quorum suppositio quovis tempore fuit omnino impossibilis ; atqui quovis tempore fuit impossibilis suppositio librorum Novi Testamenti. Certum est enim eos in primo et in secundo sæculo exstitisse, et tunc ut authenticos habitos fuisse ; porro ante hoc tempus supponi non potuerunt; nunquam enim omnes sibi persuadere potuissent eos ab Apostolis fuisse scriptos; hæretici et pagani illud non credidissent. Numquid Ecclesiæ Romanorum, Corinthiorum, etc., sibi persuadere potuissent se Epistolas a B. Paulo accepisse, se eas retinere? quo pacto vel qua fascinatione adduci potuissent ad eas in tanto honore habendas, ut in publicis cœtibus eas legerent? Ergo.

II. *Prob, Ex notis internis.* Illi libri omnes internas authenticitatis notas habent qui factis contemporaneis, temporis et loci circumstantiis, characterique auctorum bene noto apprime consonant; atqui ita se habent libri N. Testamenti; etenim — a) concordant factis contemporaneis, ita ut nulla discrepantia deprehendi possit inter facta ab auctoribus profanis narrata et facta quæ narrant apostoli. — b) Temporis et loci circumstantiis item perfecte consonant; nullus error circa geographiam et chronologiam committitur; circumstantiæ individuæ et minutæ exprimuntur, v. g. terræ judææ partitiones; inter Herodem et Pilatum dissensio; in familia Herodiana successiones, etc., ita ut his attente perlectis, evidenter pronuntiatur nedum isti libri scribi potuissent post eversam

Judæorum rempublicam, referri tantum possunt ad auctores qui viderunt et audierunt omnia quæ narrant. — c) Characteri auctorum bene noto concordant. Stylus et modus loquendi et narrandi indicant homines litterarum inscios; si græce loquantur, eorum idioma Judæos declarat; parabolæ, allegoriæ evidenter ingenium judaicum depromunt. Ergo isti libri omnes habent internas authenticitatis notas... Aliunde... Ergo...

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. In primis Ecclesiæ sæculis falsæ prodierunt Apocalypses, falsæ Apostolorum Epistolæ, falsaque eorum Acta et spuria Evangelia, quæ ad minus quinquaginta numerat doctissimus Albertus Fabricius. Ergo.

Nego conseq. et paritatem. Scripta enim sub nominibus Apostolorum aliorumque auctorum supposita, nunquam habita sunt in Ecclesia ut authentica, sed constanter ut fictitia rejecta sunt : Christiani ergo cæteros pariter rejecissent libros quos ut authenticos habemus, si præbuissent suppositionis characteres; hæc igitur objectio propositionem nostram confirmat, nedum aliquid roboris ipsi detrahat : nam si falsis inveniantur nummi, merito concluditur alios esse veros quibus falsi non sunt conformes : ergo *a pari* libri apocryphi supponunt alios esse genuinos, alioquin fideles hos ab illis nunquam distinxissent.

Insuper notandum omnia quæ in libris apocryphis scripta sunt, non ideo semper esse falsa; fieri enim potest ut liber sub alterius nomine suppositus nihil nisi verum contineat; fieri etiam potest ut plurima habeat vera et quosdam simul adjunctos contineat errores : sic Evangelia apocrypha pluribus in punctis cum quator Evangeliis nostris concordant : ergo sub eo respectu illa confirmant.

Denique refert Tertullianus, lib. de Bapt. c. 17, quemdam presbyterum qui, ex pia fraude, falsa supposuerat acta sub nomine B. Pauli Apostoli, ab Ecclesia damnatum et a sacerdotio depositum fuisse : factum istud probat quanta tunc esset sollicitudo Ecclesiæ circa vera et falsa

Apostolorum scripta : ergo similiter proscripsisset libros Novi Testamenti quos nunc habemus, si non effulsissent in illis evidentia authenticitatis indicia.

Notandum tot non fuisse Evangelia apocrypha quot Fabricius numerat : nam, ut ipse observat, quædam sub diversis cognoscebantur titulis, prout ab hæreticis varia eis addita vel detracta erant : sic Evangelium secundum Matthæum dictum est Evangelium Matthæi, Evangelium Cerinthi, Evangelium Carpocratis, Evangelium duodecim Apostolorum, Evangelium secundum Hebræos, etc.

Inst. Sancti Patres Justino antiquiores pluries citant Evangelia apocrypha, et de quatuor Evangeliis nostris nihil dicunt : ergo in primo et in secundo sæculo quatuor Evangelia nostra non magis habebantur ut authentica quam Evangelia quæ nunc cognoscuntur apocrypha.

R. Nego ant. Nam—a) Patres memorati quædam ex Evangeliis apocryphis citare potuerunt, non quia in istis reperiebantur Evangeliis, sed quia aliunde sciebant ea esse vera. — b) Probabile est eos dicta quæ citant, per traditionem oralem ab Apostolis accepisse. — c) Non multi sancti Patres, sed unus aut alter nonnulla et pauca citant quæ ex Evangeliis apocryphis excerpta esse videntur; *Fréret* enim, *Examen des apologistes de la religion*, t. XIX, vel potius auctor pessimi hujus libri, duo tantum commemorat loca ex S. Clemente Romano et ex aliis Patribus; e contra, tota series Patrum, saltem a S. Justino, quatuor Evangelia nostra agnoscit et laudat. — d) Falsum est Patres Justino antiquiores de Evangeliis nostris nihil dicere; multa, namque citant quæ non solum quoad sensum, sed etiam quoad similitudinem verborum in Evangeliis nostris leguntur : hæc igitur agnoscebant Evangelia. Papias, teste Eusebio, ipsos nominat Apostolos tanquam Evangeliorum nostrorum auctores. Plures quidem alii Patres eos non nominant; at non magis nominant prophetas quorum sententias referunt : atqui tamen non dubitandum est quin eos agnoverint tanquam auctores prophetiarum quæ ipsis attribuuntur : ergo.

Obj. 2°. Apud Matth. XXIII, 35, fit mentio Zachariæ

prophetæ, filii Barachiæ, qui inter templum et altare fuit occisus : at ille Zacharias fuit occisus in obsidione Jerusalem post mortem S. Matthæi, ut constat ex Josepho, de Bello Judaico, l. 4, cap. 19 : ergo Matthæus non est auctor Evangelii quod ipsi tribuitur.

R. 1°. *Nego min.* Nam in II Paral. XXIV, 20 et seq., legitur quemdam Zachariam, spiritu Dei indutum, a Judæis in templo fuisse occisum ; forte de illo Christus loquitur ; erat quidem filius Joiadæ, sed Joiada poterat simul appellari Barachias : sæpius enim Judæi duo habebant nomina. Plures alii in scriptura Veteris Testamenti inveniuntur Zachariæ prophetæ, quamvis non legatur eos in templo fuisse occisos ; non repugnat unum ex eis sic mortuum esse, et Judæos tale factum per traditionem cognovisse. Ergo.

R. 2°. *Negari potest consequentia.* Nam S. Matthæus non loquitur a semetipso, simpliciter vero refert sententiam Christi : at Christus per anticipationem loqui potuit de futura occisione illius Zachariæ filii Barochiæ, qui a Josepho repræsentatur tanquam vir illustris, virtutis et libertatis suæ patriæ amantissimus, rectæ conscientiæ, et multis affluens divitiis : propter eximias suas qualitates odibilis factus est Judæis qui occiderunt illum in medio templi. Ergo. Plures auctores hanc interpretationem admittunt. Vide *Jans.* in Evang., D. *Calmet ; de Tillemont*, *Hist. des Empereurs*, etc.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE LIBRORUM NOVI TESTAMENTI INTEGRITATE.

In memoriam hic revocanda sunt ea quæ diximus ibi, de librorum Moysis integritate ; quæstio non est utrum libri Novi Testamenti aliquam subierint mutationem quoad verba, puncta, etc., sed an usque ad nos ita pervenerint integri, ut nulla in eis contigerit mutatio substantialis.

PROPOSITIO.

Integritate essentiali prædíti sunt libri novi Testamenti.

Prob. Libri Novi Testamenti essentiali integritate prædíti sunt si mutationis vel adulterationis nec tempus nec auctor assignari possit; atqui nec tempus nec auctor adulterationis assignari potest...

1° *Non tempus.* Etenim si libri Novi Testamenti essentialem subiissent mutationem, vel ante, vel post mortem Apostolorum : atqui neutrum dici potest. — A) *Non ante mortem Apostolorum;* Apostoli enim adhuc viventes, et fideles ab ipsis eruditi, statim reclamassent, et non permisissent fraudem ad posteros sine contradictione transmitti. Ergo.

— B) *Non post mortem Apostolorum;* quidam enim Apostoli, et nonnulli ex primis eorum discipulis, perdiu vixerunt, ut S. Joannes, qui circa centesimum annum post nativitatem Christi mortuus est, et S. Simeon, frater, id est, consobrinus Domini et Episcopus Hierosolymitanus, qui in persecutione Trajani, centum et vigenti annis provectus, martyrio coronatus est. Verum post mortem hujusmodi sanctorum hominum nulla substantialis mutatio in libros Novi Testamenti introduci potuit : ad hoc enim necesse fuisset ut cuncta exemplaria tunc existentia simul corrupta fuissent, et nemo contra hanc corruptionem reclamasset : atqui utrumque erat prorsus impossibile.

— a) Impossibile erat cuncta exemplaria tunc existentia simul et eodem modo corrumpere. Nam ubique jam diffusi erant Christiani, in Judæa, in Syria, in tota Asia Minori, in Græcia, in multis insulis, in Alexandria, in Italia, etc.; ubique eadem facta annuntiabantur, eadem doctrina prædicabatur, variæ ecclesiæ religiose servabant Epistolas B. Pauli ; dubitare non possumus quin innumera tunc exstiterint librorum Novi Testamenti et præsertim Evangeliorum exemplaria, in diversis regionibus sparsa,

in varias linguas conversa : atqui nemo non videt prorsus impossibile fuisse cuncta exemplaria simul colligere et eodem modo corrumpere. Ergo.

— b) Non minus impossibile fuisset neminem contra talem corruptionem reclamasse ; libri enim Novi Testamenti cunctis diebus dominicis per partes in publicis fidelium cœtibus legebantur ; Tertullianus et S. Justinus testantur hoc ex aliqua consuetudine fieri, proindeque ab Apostolis : unde, si qua mutatio essentialis introducta fuisset, fideles novam doctrinam novaque miracula audiissent in ecclesiis ; pontifices et presbyteri aliique ministri, hos libros legentes et populo explamantes, fraudem advertissent et statim reclamassent : scimus quid contigerit quando Diocletianus sub pœna mortis jussit sacras tradi Scripturas : innumeri utriusque sexus fideles maluerunt mori, et traditores ab universa Ecclesia habiti sunt ut apostatæ. Porro supponi non licet homines doctrinæ catholicæ tam firmiter addictos patienter sustinuisse ut Scripturæ sacræ substantialiter corrumperentur : ergo, etc.; aliunde, etc. Ergo.

— c) Insuper, si libri Novi Testamenti essentialiter corrupti fuissent, eodem sensu corrumpi debuissent sanctorum Patrum conciones et homiliæ ; innumeri namque reperiuntur in eis textus ex Evangeliis et Epistolis Apostolorum citati, qui, saltem quoad substantiam, omnino similes sunt Novo Testamento nunc existenti : at nemo dicet, nisi plane insaniat, possibile fuisse simul corrumpere omnia Novi Testamenti exemplaria, et cunctas Patrum conciones variis temporibus publice prolatas : ergo denique, etc.

2° *Non auctor.* Auctor enim adulterationis, si adulteratio fuerit in libris Novi Testamenti, fuit vel Christianus, vel Judæus, vel paganus ; atqui nil horum dici potest. — a) *Non christianus.* Ex primis temporibus inter christianos fuerunt hæretici et catholici, si quidem catholicus adulteraverit libros Novi Testamenti, quæritur quomodo hæretici has adulterationes acceperint, quomodo etiam exemplaria inter hæreticos pro usu habita mutare potue-

rit, nedum exclamaverint adversus catholicos quos in odio infensissimo tenebant. Si vero in hæretico suspicio impingatur, eadem et gravior accurrit impossibilitas, id est, hæreticis adulterantibus libros Novi Testamenti, et catholicis eosdem spurios admittentibus, et ingenuos rejicientibus.

— b) *Non Judæus.* Si id tentasset auctor Judæus, primum omnia genti suæ contraria mutasset, et quidquid sit, christiani libros sic vitiatos totis viribus rejecissent.

— c) *Non Paganus.* Si difficillimum fuerit omnibus, impossibile præsertim erat paganis corrumpere christianorum libros, cum illi libri essent dipersi per totum orbem, et fideles magna reverentia et amore eos prosequerentur, ita ut multi maluerint mori sub Diocletiano quam suos libros tradere. Ergo...

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. SS. Patres plurima citant verba Christi quæ in Evangeliis non leguntur : ergo ea nunc talia non habemus qualia ab initio erant.

R. Nego conseq. Nam—a) aliquando sancti Patres textus Evangelii in suis concionibus memoriter tantum citabant : itaque eos de verbo ad verbum in Evangeliis nostris non invenimus, bene vero accurate quoad sensum. — b) Quædam verba Christi ex traditione cognoscere et referre potuerunt, sicut beatus Lucas qui, in Act. xx, 55, hæc verba *Domini Jesu* refert : *Beatius est magis dare quam accipere,* quæ tamen in Evangeliis nostris nunquam exstiterunt, ut semper observatum est. — c) Nonnulla etiam verba Christi depromere potuerunt ex Evangeliis apocryphis, quæ ut nullum errorem continentia agnoscebantur ; multa enim dixit et fecit Christus quæ a quatuor Evangelistis nostris non fuerunt descripta ; S. Joan. cap. xxi. 25.

Cæterum paucissimæ sunt hujusmodi sanctorum Patrum citationes, quæ in Evangeliis, saltem quoad sensum, non reperiantur. Ergo.

Inst. Sancti Patres pluribus in locis conqueruntur exemplaria Evangelii fuisse adulterata ; idem objicit Celsus apud Origenem. Ergo.

R. Nego conseq. Sancti patres conqueruntur hæreticos exemplaria Evangelii adulterasse, ut suos facilius tuerentur errores : at corrumpere non potuissent exemplaria catholicorum. Origenes respondebat Celso, lib. 3, contra dicta hujus philosophi : « Certe a nemine alio Evange» lium mutatum scio, præterquam a Marcionis, Valen» tini, et fortasse Lucani discipulis ; quod crimen non est » Evangelii, sed eorum qui depravare audent. » Hinc videtur quanta semper fuerit vigilantia circa Scripturarum sacrarum integritatem : ergo illæ objectiones clarius demonstrant impossibile fuisse substantialem mutationem in libros Novi Testamenti inducere.

Cerinthus solum Evangelium Matthæi admittebat, Cerdo et Marcio illud rejiciebant, Evangelium S. Lucæ et plures ex Epistolis B. Pauli agnoscebant : at nihil inde contra integritatem et auctoritatem librorum Novi Testamenti inferri potest. — a) Enim illi auctores doctrinam Christi corrumpebant, et ideo rejiciebant libros ex quibus validiora adversus ipsos eruebantur argumenta. — b) Omnes Christiani undique contra illos insurrexerunt, et velut hæreticos et impostores semper habuerunt. — c) Etiamsi unicum admitteretur Evangelium ut authenticum, verum et integrum, sufficienter ex illo confutarentur deistæ, siquidem tunc revelationis existentia et veritas religionis christianæ nihilominus demonstrarentur. Ergo.

Obj. 2° In pluribus antiquis Novi Testamenti exemplaribus non reperiuntur, duodecim ultimi versus capitis decimi sexti Evangelii S. Marci, in quibus describitur resurrectio Christi ; sudor sanguineus Christi in agonia, de quo S. Lucas, XXII, 44 ; historia mulieris adulteræ quam refert S. Jan. VIII ; ille versiculus I Epis. B. Joan. V, 7 : *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt :* at quatuor illi textus maximi sunt momenti : ergo saltem probabile est substantia-

lem contigisse mutationem in libris Novi Testamenti.

R. 1° *Nego min.* Maximi enim momenti non sunt illi textus qui omitti possent absque ulla mutatione in doctrina christiana : verum quatuor prædicti textus omitti possent absque ulla mutatione in doctrina christiana: etiamsi enim S. Marcus resurrectionem Christi non retulisset, non minus ex tribus aliis Evangelistis cæterisque Apostolis constaret illum a mortuis vere surrexisse ; sudor sanguineus et mulieris adulteræ historia nihil faciunt ad doctrinam Christi; quamvis textus I Epist. B. Joan. non parum inserviat ad demonstrandam mysterii sanctissimæ Trinitatis existentiam, aliunde tamen certitudo illius mysterii eruitur, et ex Evangelio ejusdem S. Joan. Ergo illi textus omitti possent absque, etc. Ergo.

R. 2°. *Nego conseq.* Licet enim prædicti textus in pluribus antiquis exemplaribus non legantur, valde probabilius est illos genuinos esse et authenticos : ita saltem communiter sentiunt viri in antiquitate et in critices materiis peritiores, ut videre est apud celebriores Scripturæ sacræ interpretes.

Obj. 3° Millius, doctor Anglus, trigenta millia varietatum inter diversa Novi Testamenti exemplaria numeravit; at liber qui tot passus est varietates, integer dici non potest : ergo.

R. Nego min. Si enim illæ variantes quoad litteras vel interpunctiones omissas, additas aut transmissas, tantum se teneant, et substantiam factorum ac doctrinæ non afficiant, nihilominus liber ille est integer, *prout supra exposuimus :* atqui tales sunt omnes variantes quas doctor Millius notavit; iis enim non obstantibus, in quolibet exemplari et in quacumque lingua eadem leguntur facta, eadem miracula, eadem fidei dogmata, eadem morum præcepta, eadem denique doctrina : ergo.

Et vero, Millius innumera secum contulit exemplaria, innumeras versiones, innumeras ejusdem versionis editiones, innumeros codices manuscriptos, et quascumque etiam accentuum dissimilitudines minutatim recensuit; sed mirum videri non debet si in tanto diversorum exem-

plarium numero, tot hujus generis repertæ fuerint varietates; contrarium sine grandi miraculo advenire non potuisset, omnes enim libri, cujuscumque sint momenti et auctoritatis, tales subeunt mutationes quæ eo frequentius contingere debuerunt quod per multa sæcula sola ope manuscriptorum multiplicari poterant exemplaria.

Unde doctissimus *Bentley*, qui præclaram Terentii dedit editionem, viginti millia varietatum observavit in diversis hujus poetæ editionibus et exemplaribus, paucis, in comparatione Millii, respectu Novi Testamenti : sic igitur concludere non dubitat : « Je suis moralement assuré que, même sur la moitié moins d'exemplaires (que » n'en a comparé M. Mill), les variantes de ce poëte mon» teraient à cinquante mille. »

Nedum ingens varietatum numerus substantialem alicujus libri integritatem afficiat, illam potius confirmat; eo namque difficilius est aliquem librum substantialiter corrumpi quo in majori numero sunt ipsius exemplaria, versiones et editiones : atqui multæ varietates lectionum, versionum et editionum multitudinem exemplarium ostendunt ; ubi enim unicum est exemplar, ibi nulla esse potest lectionum diversitas : ergo.

Inst. Illæ varietates, licet ad substantiam factorum et doctrinæ non pertineant, libros divinos tamen dedecent : ergo Deus eas impedire debuisset, si prædicti libri essent divini.

R. 1° Divinitatem librorum Novi Testamenti demonstrare hic non intendimus, illos enim consideramus velut libros historicos et humanos; veritatem monumentorum quæ in ipsis continentur duntaxat inquirimus, ut ex illis noscamus principia, dogmata et præcepta religionis christianæ, atque valida instituere possimus argumenta ad illius veritatem et divinitatem demonstrandam : ad hæc autem necesse non est ut libri Novi Testamenti divina inspiratione fuerint scripti : merito igitur a consideranda illorum divinitate hic abstinemus.

R. 2° *Nego ant.* Supradictæ varietates libros non de-

decent, quia repugnat Deum eas impedire teneri; repugnat enim Deum teneri perpetuum et inutile operari miraculum : at in ea hypothesi teneretur, etc. — a) Perpetuum; hujusmodi namque varietates præcaveri non possunt absque perpetuo miraculo, præsertim cum tot exemplarium millia per multa sæcula non nisi manu fuerint scripta.— d) Illud miraculum prorsus inutile esset, siquidem varietates istæ non impediunt quod religio maneat integra. Ergo.

ARTICULUS TERTIUS.

DE LIBRORUM NOVI TESTAMENTI VERITATE.

Hic spectamus Apostolos solummodo velut scriptores humanos : humani autem scriptores majorem vel minorem merentur fidem, pro indole aliisve qualitatibus, pro narrandi modo, natura factorum et variis circumstantiis in quibus constituuntur : quæstio est igitur an auctores librorum Novi Testamenti, horum habita ratione, omnimodam mereantur fidem in eis quæ narrant, adeo ut libri Novi Testamenti sint veri.

PROPOSITIO.

Libri novi Testamenti sunt veri.

Prob. Illi libri sunt veri quorum auctores decepti non fuerunt, decipere noluerunt nec decipere potuissent etiamsi voluissent : atqui librorum Novi Testamenti auctores non fuerunt decepti, decipere noluerunt, etc...

1° *Decepti non fuerunt.* Si attendatur ratio auctorum et ratio factorum quæ narrantur impossibile est declarare auctores Novi Testamenti deceptos fuisse. — *a*) Testes enim sunt plurimi, nempe octo; ut sensati habendi sunt ut patet ex eorum vita, doctrina et moribus, et ex eorum scriptis; ex eis alii fuerunt testes coævi, alii autem testes oculati, scilicet Matthæus, Joannes, Petrus, Jacobus et

Judas frater ejus; tres alii Marcus, Lucas et Paulus erant Christo coævi, millies primos viderunt discipulos et cum illis locuti sunt. — *b*) Facta quæ narrantur ea sunt ut de eis deceptio fieri nequeat. Etenim sunt facta sensibilia, obvia, et cognitu facilia, videlicet resurrectio mortuorum, curatio ægrotorum, expulsio dæmonum, multiplicatio panum, et sexcenta hujusmodi; — non quædam tantum et pauca sed innumera; non semel aut iterum acta et quasi per transennam sed diu perseverantia; — non in angulo vel in obscuritate peracta sed splendida et publica, sæpius repetita coram multis testibus, in frequentissimis Palæstinæ urbibus, in diebus festis et in templo Hierosolymitano; — illa facta ut pote maximi momenti a narratoribus severo examini fuerunt subjecta; sunt maximi momenti sive in se considentur, agitur enim de innumeris prodigiis stupendis, de cœcis videntibus, de claudis ambulantibus, de surdis audientibus, de mutis loquentibus, de dæmonibus ejectis, de mortuis ad vitam revocatis; maximi sunt momenti quoad consectaria, agitur enim de religione judaica abroganda, de convellenda superstitione ethnica, de nova religione instituenda quæ mysteria rationi impervia et morum præcepta cupiditatibus adversa proponit. — Ergo circa hujusmodi facta testes supra memorati decipi non potuerunt.

2° *Decipere noluerunt*. Necessario enim fatendum est auctores qui manifestos præ se ferunt sinceritatis characteres decipere noluisse, atqui librorum Novi Testamenti auctores multos sinceritatis præ se ferunt characteres, quos enumerare licet. — *a*) *Genus* eorum; erant pauperes, illitterati, inculti, tardioris ingenii; nonnisi ergo ridicule consilium tribueretur illis universum decipiendi orbem. — *b*) Eorum *virtus bene nota*. Morum integritate ita erant conspicui ut nullum in eis vitium deprehendere potuerint Celsus, Porphyrius, Julianus Apostota, licet religionis christianæ hostes infensissimi; atqui repugnat hujus virtutis homines stupendum meditatos esse mendacium. — *c*) *In modo dicendi ingenuitas et simplicitas*. In ipsis enim maxima eminet modestia et singularis animi

candor ; suos nævos ingenue confitentur, suam animi imbecillitatem, ambitiosas contentiones olim inter eos exortas, incredulitatem a Christo sibi exprobatam ; simpliciter referunt innumera facta miraculosa ; nefandam Christi mortem placida sedataque anima scribunt; et *ibi*, inquiunt, *crucifixerunt eum.* In eos, a quibus gravissime vexati sunt, nulla jactant convicia, nihil quærimoniæ sibi permittunt ; sed omnia, uno verbo, nude et placide commemorant, sicut res omnino indifferentes et ad se non pertinentes. — d) *Fidelitas in narrando.* Circumstantias locorum, temporis et personarum, fraudi detegendæ, si qua fuisset, aptissimas fideliter describunt ; designant vicos, urbes, annum, mensem, diem et horam ; appellant testes adhuc viventes coram quibus res quas referunt gestæ sunt, nominant imperatores, reges, proconsules, præsides, pontifices sub quibus hæc contigerunt ; atqui evidentissime patet hujusmodi homines consilium decipiendi non iniisse. — e) *Disparitas scriptorum ;* si voluissent decipere scriptores sacri, curassent ut nulla discrepantia deprehendi potuerit inter varia eorum scripta, sic enim solent agere impostores ; e contra, licet quoad substantiam eadem narrent apostoli et evangelistæ, paulum curant de factorum ordine, circumstantiis, nec de difficultatibus inde orientibus, velut veraces scriptores qui negationem non formidant. — f) *Absentia motivi.* Non supponendum est Apostolos decipere voluisse nisi propter commodum ; porro commodum ex suis mendaciis sperare non poterant nec pro præsenti vita nec pro futura. Pro præsenti enim prædicabant doctrinam ex qua sperare poterant jejunia, fletus, carnis afflictationes, odium et ludibria mundi, persecutiones tyrannorum, flagella, carceres, tormenta et mortem. — Pro futura autem vita nihil sperare possent si in Deum justum non crediderint ; si e contra Deum mendacii inimicum admiserint, quid ex eo sperandum esset pro tali impostura, pro eversione antiquæ religionis, novæque falsæ institutione? — Ergo sive attendamus scriptores sacros Novi Testamenti, sive eorum scripta, impossibile est declarare eos decipere voluisse.

3° *Decipere non potuissent etiamsi voluissent.* Hæc impossibilitas decipiendi deprehendi potest sive ex parte eorum qui narrabant, sive ex parte eorum quæ narrabantur, sive ex parte eorum qui erant decipiendi. — A) *Ex parte eorum qui narrabant.* Ut contemporaneos et posteros decipere potuissent scriptores sacri debebant primum inter se mutuum inire consilium; dein hic consensus semel initus debuit perseverare; atqui hæc ambo repugnant. — a). Repugnat hujusmodi consilium fuisse initum inter *multos* homines; scilicet non solum inter octo scriptores, sed etiam inter discipulos; repugnat hoc consilium inter homines familia, ætate, patria, commodo, affectionibus discrepantes; inter homines rudes, illitteratos, qui nihil nisi risum commovere poterant, circa fraudem sceleratissimam, Deo et hominibus odibilem; et tandem absque omni motivo, ut jam ostendimus. — b) Si vero consensus mutuus semel supponatur initus, repugnat perseverantia in hoc consensu. Ut enim fraus non detegeretur, requirebatur ut omnes ad unum secretum servarent. Quis vero credet inter tot mendacii consortes nullum surrexisse ut fraudem detegeret, sive ex invidia et irâ, sive ex spe præmii pro tanta revelatione, sive ex conscientiæ remorsu, sive ex timore tormentorum; neminem enim fugit ab initio quam plurimos mortem crudelissimam subiisse, præcise ut veritatem evangelii assererent.

—B) *Ex parte eorum quæ narrantur.* — a) Scriptores sacri Novi Testamenti sanam prædicant doctrinam quam omnes semper demirati sunt: sublimia proponunt fidei dogmata quæ, licet impenetrabilia, perfecte tamen sibi consentiunt, et in quibus acutissimi viri ne levissimum quidem unquam deprehendere potuerunt contradictionis indicium; perfectissimas cunctarum virtutum tradunt regulas: atqui evidenter repugnat homines rudes, incultos, illitteratos tam sublimem, perfectam, sapientem et demirandam excogitasse doctrinam. — b) Etiamsi Apostoli hanc doctrinam excogitassent, nunquam characterem et personam Christi invenissent. Sanctitas, benignitas, sa-

pientia et nescio quid divinum in eo ita redolent, ut nedum iste archetypus inventus fuerit ab hominibus scientia et litteratura destitutis, sit ipse supra omnes humanas conceptiones.

— C) *Ex parte eorum qui erant decipiendi.* Si fraus supponatur, decipiendi erant tum Judæi, tum pagani, tum in fraude servandi christiani; atqui hæc tria impossibilia erant. — a) Impossibile erat Judæos in fraudem detrudere, etenim magni pro Judæis erat inquirere veritatem; nam factis constantibus, Messias a tanto tempore expectatus jam advenisset, religioque Mosaica cedere debuisset christianæ sicut umbra luci; at impossibile est Judæos attentos decipere circa facta sensibilia, et cognitu facilia; atque fingere inter eos contigisse facta quæ nec vidissent, nec audissent; impossibile est Petrum et Stephanum et alios circa hæc facta Judæos his virulentis verbis redarguisse: *Viri Israelitæ, audite verba hæc : Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus et prodigiis et signis quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut et vos scitis..... hunc per manus iniquorum affligentes interemistis quem Deus suscitavit.* — Act. Ap. II, 22, 23. — b) Paganos item impossibile erat decipere, ac eis fingere falsam ac proinde insulsam historiam, ut ex ea eis imponeretur nova religio quoad doctrinam in multis intelligentiæ imperviam, quoad praxim omnibus hominis passionibus contrariam. — c) Christiani etiam semel conversi in illusione servandi fuissent; porro id nullo prorsus modo sperandum erat. Inter eos enim multi ex primo tempore fuerunt scientia præditi; non nisi postmaturum examen fidem historiæ evangelicæ adhibuere; religionis christianæ defensionem suscipientes, sæpissime hujus historiæ documenta novo examini subjecerunt: porro repugnat hujus modi viros nec fraudem, si qua fuisset, detegere non potuisse, vel eam celasse si ab eis fuisset deprehensa. Ergo scriptores sacri decipere non potuissent etiamsi voluissent; aliunde probavimus eos nec voluisse decipere, nec deceptos fuisse, ergo eorum libri ut veri habendi sunt.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Nulla fides adhibenda est scriptoribus qui aperte sibi contradicunt : atqui scriptores Novi Testamenti in pluribus aperte sibi contradicunt, v. g. Matthæus et Lucas suo modo referunt genealogiam Christi omnino dissimilem, et alia hujusmodi quæ interpretes secum conciliare non possunt. Ergo

R. Nego min. Nonnullæ quidem inter Evangelistas reperiuntur discrepantiæ, difficultates et obscuritates, sicut inter diversos historiarum profanarum scriptores : hujusmodi autem discrepantiæ sinceritatem Apostolorum attestantur; si enim facta quæ narrant supposuissent, vel ex mutuo consilio, vel non : si prius, non reperirentur inter eos discrepantiæ quæ aptæ fuissent ad fraudem manifestandam ; si posterius, tam perfecte secum in substantia convenire non potuissent. Ergo.

Auctores librorum Novi Testamenti facta, prout memoriæ occurrunt, in magna simplicitate narrant, in temporibus diversis scripserunt : S. Matthæus, anno sexto post mortem Christi ; S. Marcus, anno decimo; S. Lucas, anno decimo nono; S. Joannes, anno sexagesimo tertio, ut communiter tenetur. Unusquisque in narrando suum ordinem sequitur, suum stylum, suum scribendi modum; unus has omittit circumstantias, alter eas describit ; hic tale factum non refert, iste non vult illud prætergredi. His autem positis, naturaliter plures inter quatuor Evangelia existere debent discrepationes, et etiam contradictiones apparentes, quæ eo difficilius sibi conciliari possunt, quo magis ab Apostolis sumus remoti, et alieni a cognitione locorum, personarum, consuetudinum aliorumque hujusmodi, quæ ad intelligentiam narrationis factorum publicorum præsentium aut coævorum non parum inserviebant : istiusmodi ergo difficultates nos movere non debent, sed e contra auctoritatem Evangeliorum confirmant, demonstrant enim nullam exstitisse collusionem inter Evangelistas.

Cæterum de apparentibus contradictionibus istis singulatim hic agere non debemus; pro eis recurrendum est ad Scripturæ sacræ interpretes, qui eas saltem plausibili conjectura solvunt. Vide *Maldonat, Jansenium* in Evang., D. *Calmet, Mauduit, Vence.*

Quoad duas Christi genealogias quæ primo visu sibi oppositæ videntur, notandum S. Lucam pluribus annis post S. Matthæum scripsisse, et Evangelium ejus ignorare non potuisse : nihil ergo ipse facilius erat quam eamdem texere genealogiam; aliam tamen valde diversam ordinat : ergo contradictio est duntaxat in apparentia. Unde nec Judæi, nec pagani, nec hæretici eam in primis Ecclesiæ seculis, ante Julianum Apostatam, objecerunt.

Juxta communiorem sententiam, S. Matthæus genealogiam Joseph descripsit, et S. Lucas genealogiam Mariæ, sicque omnis contradictionis species evanescit. Constabat Mariam de eadem tribu esse ac Joseph : unde duo Evangelistæ, utriusque genealogiam texendo, pariter ostendebant Jesum ex tribu Juda semine David descendere. Vide dissert. D. *Calmet, Mauduit,* t. I, et *Bullet, Réponses critiques,* t. II.

Obj. 2° Judæi Christum persecuti sunt, illumque tanquam impostorem et malefactorem contumeliis affecerunt, ac per gravissima tormenta mortem illi intulerunt : porro, si cuncta miracula quæ in Evangeliis narrantur essent vera, nunquam Judæi habuissent Christum ut malefactorem, nec eum tantis suppliciis affecissent, sed e contra omnes illi fidem adhibere debuissent : ergo.

R. Nego min. Constat enim homines ita constitutos esse, ut etiam apertissimas sæpe rejiciant veritates ipsorum cupiditatibus et præjudiciis adversas : atqui facta quæ in libris Novi Testamenti referuntur, cupiditatibus Judæorum eorumque præjudiciis valde adversabantur; illi enim sibi fingebant Messiam tanquam principem potentissimum qui eos potentes redderet, suamque gentem florentissimam et super alias gentes dominantem efficeret : nihil autem tale inveniebant in Christo. Arbitrabantur non licere morbos curare die sabbati : hinc habuerunt

Christum ut impostorem, impium et blasphematorem; prodigia ejus diabolo tribuebant. Pontifices, odio erga eum semel imbuti, veritatem non inquirebant, nec ad eam attendebant, et vehementi zelo populum docebant nullam illi adhibendam esse fidem : non mirum ergo si Judæi obstinatos sese monstraverint.

Idem contigerat tempore Moysis. Quamvis enim Israelitæ testes oculati fuissent miraculorum ministerio ejus patratorum, et Deum coram ipsis alloquentem audiissent, paucis tamen interjectis diebus ita facti sunt stolidi, ut vitulum aureum adorarent. Nonne nunc multi videntur homines persuasum habentes unicum peccatum mortale horrendam pœnarum æternitatem mereri, qui tamen multis hujusmodi peccatis se inquinant? Ergo.

Præterea, multi Judæi Christum ut verum habuerunt Messiam. Nam præter Apostolos et discipulos non paucos, qui omnes erant Judæi, tria millia una vice, et quinque millia altera die ad prædicationem B. Petri conversi sunt, Act. II, 41 et IV, 4 : at testimonium eorum qui crediderunt plus valet quam testimonium eorum qui non crediderunt; qui enim credebant, omnia sua præjudicia deponere tenebantur, novam religionem admittebant, obligationem cupiditates coercendi sibi imponebant : qui vero non credebant, prejudicia sua sequebantur. Ergo.

Obj. 3° Philo et Josephus Apostolis erant coætanei, ac proinde facta quæ in Novo Testamento referuntur non ignorassent : attamen nihil certum de illis dicunt, siquidem textus Josephi, qui profertur, a multis in dubium revocatur : ergo.

R. 1° Philo prædicta facta ignorare potuit. Nam — a) sub Augusto probabilius scribebat : at verisimile est famam Christi usque ad Alexandriam, ubi Philo demorabatur, tempore Augusti non pervenisse. — b) Omnia vere ipsius opera versantur circa explicationem Veteris Testamenti et præcepta moralia : in hujusmodi vero operibus naturaliter locus non erat de miraculis Christi et Apostolorum loquendi; hæc enim miracula imperfecte ipsi primo innotescere debuerunt cum longe abesset, et probabiliter

ex mendacibus Judæorum relationibus ea didicisset : ergo in ipsa hypothesi quod post Tiberium scripserit, non mirum est si de factis quæ in Novo Testamento referuntur nihil dixerit. Aliunde ipsius silentium esset argumentum negativum ; porro argumentum negativum contra rationes positivas prævalere non potest : ergo.

R. 2° *Nego min.* Sic enim se habet celeber Josephi textus, qui ut testimonium de miraculis Christi profertur, Antiq. lib. 18, cap. 4 : « Fuit autem hoc tempore Je-» sus, vir sapiens, si tamen virum illum dicere deceat; » erat enim stupendorum operum effector, et magister » eorum qui vera libenter excipiunt, ac multos quidem » Judæos, plurimos etiam Græcos ad se adduxit. Hic erat » Christus; cumque eum a primorum e nobis virorum » accusatione cruci addixisset Pilatus, non tamen destite-» runt qui ab initio ipsum dilexerant. Apparuit enim eis » tertia die redivivus, sicut prophetæ hæc aliaque quam » plurima admiranda de eo prædixerant. Neque ad hanc » usque diem deficit denominatum ab eo Christianorum » genus. » Unde sic. Authenticus est ille textus si decursu temporis operi Josephi insertus non fuerit : at rationabiliter dici non potest illum operi Josephi fuisse insertum, nam in omnibus reperitur exemplaribus etiam antiquissimis, sive impressis, sive manuscriptis ; integer citatur, tanquam Josephi, ab Eusebio, a S. Hieronymo, Sophronio, Ruffinio, Sozomeno, Cedreno aliisque gravis ponderis auctoribus qui in diversis locis diversis utebantur exemplaribus, eodem modo tamen prædictum textum legerunt : impossibile est autem in cunctis exemplaribus eum fuisse insertum, et nullum tamen suppositionis indicium unquam apparuisse : ergo. Vide longam hujus textus discussionem apud *Houtteville*, t. II ; *Bullet*, etc.

Præterea, etiamsi concederetur hunc textum non esse authenticum, nihil contra nos sequeretur ; sed, e contra, Josephi silentium facta Evangelica confirmaret, nam ignorare non potuit numerosam existere sectam hominum qui profitebantur se cujusdam Christi Jesu esse discipulos, illum ut Messiam a prophetis annuntiatum et a

Judæis exspectatum habebant, et miraculosa ejus opera ubique predicabant : certe hæc naturaliter omittere non debuit; loquitur enim de Joanne Baptista ab Herode decollato, Antiq. lib. 18, cap. 7, et de Jacobo quem vocat fratrem Jesu qui dicitur Christus, lib. 20, cap. 8 : eo ipso supponit se jam de Jesu locutum esse, et illum Jacobo fuisse celebriorem; loquitur etiam de variis pseudomessiis qui hoc tempore prodierunt, ortum eorum, facta et finem describit : prorsus incredibile est casu fortuito Jesum sic prætermisisse, ut ne quidem verbum de operibus et discipulis ejus dixisset; silentium ejus evidenter affectatum esset. Ergo.

Inst. Eodem tempore plures auctores profani scripserunt et altum pariter servant silentium circa miracula Christi, licet aliquando de Christianis loquantur : at si miracula Christi essent vera, ea non ignorassent, nec tacuissent : ergo.

R. 1° Illud argumentum est negativum : ergo nullius est roboris adversus rationes positivas.

R. 2° *Nego maj.* Auctores enim profani non omnino siluerunt circa facta Evangelica; apud eos plurima leguntur quæ hæc facta mirum in modum confirmant. Sic Suetonius, in Vita Vespasiani, cap. 4, testatur tempore Christi in toto orbe percrebuisse famam de proximo Messiæ adventu. « Percrebuerat Oriente toto, *inquit*, vetus et » constans opinio esse in fatis ut eo tempore Judæa pro» fecti rerum potirentur. » Idem ferme habetur apud Tacitum, Hist. l. 5, cap. 13. Philosophus Chalcidius, commentario in Timæum Platonis, extraordinariam commemorat stellam, quæ in nativitate Jesu Christi visa est a Magis; Tertullianus, in Apol. ad senatum Romanum, cap. 21, declarat stupendam solis eclipsim quæ moriente Christo accidit, paganis fuisse notissimam et in publicis archivis tunc esse consignatam : « Eum mundi casum re» latum in arcanis vestris habetis. » Idem asserit Lucianus, apud Euseb., Hist. eccl. lib. 8. Celsus, Porphyrius et præsertim Julianus Apostata, miracula Christi magicis artibus tribuunt : ergo illa saltem indirecte agnoscunt.

Hæc et alia auctorum profanorum testimonia fusius legi possunt apud *Bullet, Hist. de l'établissement du Christianisme, tirée des seuls auteurs Juifs et païens,* et apud *Houtteville,* t. II.

Præterea, auctores profani facta Evangelica ignorare non potuerunt, siquidem fama eorum per orbem universum divulgabatur, innumeri homines ubique Christo nomen dabant, et ex Judæis vel paganis christiani fiebant : at præfati auctores silentium non servassent circa talem errorem, quotidie latius serpentem et mundum universum inficientem, si ad illum confutandum rationes peremptorias habuissent : ergo silentium eorum facta evangelica confirmaret.

CAPUT SECUNDUM.

DE DIVINITATE RELIGIONIS CHRISTIANÆ.

ANNUMERANTUR ADVERSARII CONTRA QUOS INSTITUITUR PRÆSENS CAPUT. — Huc usque probavimus, sanæ criticæs regulis utendo, libros e quibus eruitur religio christiana, ingenuos esse ac omni fide dignos. Porro e sola eorum veracitate et ingenuitate clare prodit hujus religionis divinitas. At cum in quæstione tanti ponderis et momenti nunquam satis immorandum est, divinitatem hanc directe aggredi juvat. Obvios habemus debellandos et Judæos et incredulos, adversus hos et illos in duplici articulo probaturi sumus igitur religionem christianam esse divinam. Notum sit tamen, probationes in utroque articulo exponendas valere itidem adversus utrumque adversarium ; scilicet incredulos convinci posse iisdem argumentis quibus Judæi convincuntur et vice versa ; si vero hæc argumenta speciatim adversus hos vel alios directa videntur, ratio patet, quia sunt argumenta quæ dicuntur ad hominem ; sic Judæis opponuntur argumenta

sumpta ex prophetis, aliisve auctoribus quos vel venerantur, vel saltem agnoscere tenentur; increduli vero debellantur armis quæ ratio suppeditat.

ARTICULUS PRIMUS.

DE DIVINITATE RELIGIONIS CHRISTIANÆ ADVERSUS JUDÆOS.

Præcipue religionis nostræ probationes, quibus uti possumus adversus Judæos, deducuntur 1° ex oraculis Prophetarum quos agnoscunt et venerantur; 2° ex connexione religionis christianæ cum religione judaica; 3° ex ultima clade Judæorum et præsenti eorum statu.

§ I. — De oraculis Prophetarum Veteris Testamenti.

Cum fere innumeræ sint prophetiæ veteris testamenti quæ spectant ad Messiam, expedit eas sub quibusdam capitibus enumerare. Aliæ spectant ad tempus quo advenire illum oportebat; — aliæ ad ejus originem et nativitatem; — aliæ ad ejus vitam, passionem et mortem; — aliæ tandem ad ejus resurrectionem, triumphum, et gentium conversionem.

SECTIO PRIMA. — *De Prophetiis ad nativitatis Christi tempus spectantibus*

Tempus nativitatis Messiæ in prophetiis Jacob et Danielis, Aggæi et Malachiæ supra memoratis annuntiatur; nunc vero iterum eas in lucem edimus ut inde probetur Christum esse Messiam. Unde sic argumentari datur : Messias in oraculis Jacob, Danielis, Aggæi et Malachiæ est Jesus Christus, si cuncti characteres quibus designatur Christo et soli Christo competant : at cuncti characteres quibus in prædictis oraculis designatur Messias, Christo et soli Christo competunt, quod paucis verbis ostensuri sumus.

De Prophetia Jacob.

Ex celebri illa sancti Patriarchæ prophetia demonstratur Christum esse Messiam, si Christus tempore determinato venerit; — si characteres Messiæ, hic memorati, Christo conveniant; — si ipsi soli Christo conveniant; atqui hæc tria certa sunt.

1° *Venit Christus tempore determinato.* Messias venire debuit antequam sceptrum vel præeminentia tribus auferretur de Juda, vel eo circiter tempore quo omnis præeminentia hujus tribus cessare debebat; vel saltem hæc præeminentia diu cessare non debuit antequam Messias veniret. Porro certum est circa adventum Christi omnem potestatem, omnemque præcellentiam tribus Judæ cessasse; sceptrum proprie dictum jam cessaverat quando Judæa sub Pompeio facta fuerat provincia Romana, versus annum 63 ante Christum, aut saltem quando Herodes Magnus, Idumæus, hujus regionis principatum cum nomine regis, anno 40 ante Christum, obtinuit, Ant. Jud. l. 14, c. 26; hanc veritatem ipsi publice confessi sunt Judæi, cum reclamaverint dicentes : *Non habemus regem nisi Cæsarem,* Joan. XIX, 15 *: Nobis non licet interficere quemquam,* ibid. XVII, 31. Attamen uti supra diximus tunc etiam erat gens completa et distincta, ideo suprema potestate gaudens. Verum quidquid sit, omnis præeminentia tribus Judæ penitus evanuit in excidio Hierosolymitano sub Vespasiano; tunc quippe templum fuit combustum, urbs eversa, et tota gens destructa.

2° *Characteres in prophetia Jacob memorati Christo conveniunt.* Juxta hanc prophetiam, in Messia venturo omnes benedicendæ, vel congregandæ sunt nationes... *et erit exspectatio gentium* : Porro insignes hujusmodi characteres in Christo reperiuntur. De ipso dici potuit *erit exspectatio gentium* propter beneficia innumera sive ad corporales sive ad spirituales miserias spectantia quæ Judæis et aliis nationibus contulit. Præterea, omnes gentes e densissimis idololatriæ tenebris exurgentes ad ipsum con-

versæ sunt, in ipsum speraverunt, in ipso benedictæ sunt. ergo...

3° *Soli Christo isti characteres conveniunt.* Etenim circa tempus in prophetia Jacob descriptum nullus alius profertur in quo illi Messiæ characteres reperiri queant. Ergo prophetia Jacob in Christo fuit adimpleta; alioquin in nullo completa fuisset, et inaniter a Deo fuisset prolata, quod a nemine sano et Deum reverenti dicetur.

De prophetia Danielis.

Ex prophetia Danielis demonstratur Christum esse Messiam si venerit tempore in hac prophetia determinato, si characteres Messiæ hic descripti, ipsi, et ipsi soli competant, atqui hæc tria certa sunt;

Etenim 1° *Christus venit tempore a Daniele propheta præfixo.* Juxta Danielem prophetam usque ad Christum venturum ab exitu sermonis circa reædificationem urbis hierosolymitanæ septuaginta numerandæ sunt hebdomades. — a) Per hebdomades hic intelliguntur hebdomades annorum non quidem dierum : in capite enim sequenti, v. 2 et 3, aliarum hebdomadarum mentionem faciens, denotat eas esse dierum : ergo præcedentes erant annorum. Aliunde magni quos prænuntiat eventus intra breve spatium 490 dierum contingere non poterant. — b) illæ hebdomades sunt numero septuaginta ab exitu sermonis, id est ab edicto publico a rege Persarum prolato ut iterum Jerusalem mænia ædificentur. Porro inter edicta regum Persarum quæ ad Judæos spectant, datur secundum edictum regis Artaxercis Longimani, quod ipsam urbis exstructionem, portas et muros pro objecto habet, II Esdr. II. ; probabilius hoc est edictum a Daniele annuntiatum, ut multo communius censent eruditi : at illud prodiit anno vigesimo Artaxercis, et 445 ante Christum : si huic numero triginta tres adjiciuntur anni, 478 erunt anni inter exitum hujus edicti seu sermonis et mortem Christi : 490 autem requiruntur ut septuaginta compleantur hebdomades ; cum Christus occidi debuit in

medio ultimæ hebdomadis, tres, quatuor aut quinque anni numero 478 addi possunt, septem igitur vel octo supersunt anni qui impediunt ne adamussim computati 490 reperiantur anni *ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem* usque ad mortem Christi. Porro error tam parvus in obscura chronologiæ materia pro nihilo reputari debet, ut ait illustr. *Bossuet*, *Hist. univ.* part 2, c. 9 : « Il n'y aurait rien de surprenant quand il se trouverait quelque incertitude dans les dates des rois de Perse ; et le peu d'années dont on pourrait disputer sur un compte de 490 ans, ne feront jamais une importante question. Mais pourquoi discourir davantage? Dieu a tranché la difficulté, s'il y en avait, par une décision sans réplique. Un événement manifeste nous met au-dessus de tous les raffinements des chronologistes ; et la ruine totale des Juifs qui a suivi de si près la mort de notre Seigneur, fait entendre aux moins clairvoyants l'accomplissement de la prophétie. »

Aliunde non sibi consentiunt chronographi circa initium regni Artaxercis, nec circa annum nativitatis Christi, nec circa tempus quod in terra vixit. Hinc idem *Bossuet*, 1re *part.*, 10e *époque*, ibid, : « On n'aurait pas besoin de tant de justesse, et rien ne force à prendre dans cette extrême rigueur le milieu marqué par Daniel : les plus difficiles se contenteraient de le trouver en quelque point que ce fût entre les deux extrémités ; ce que je dis, afin que ceux qui croiraient avoir des raisons pour mettre un peu plus haut ou un peu plus bas le commencement d'Artaxerce, ou la mort de notre Seigneur, ne se gênent pas dans leur calcul, et que ceux qui voudraient embarrasser une chose claire par des chicanes de chronologie, se défassent de leur inutile subtilité. » Accurate igitur numerantur septuaginta hebdomades ab exitu sermonis, etc., usque ad mortem Christi.

Videantur etiam *Lombroso* et *Consoni*, jam citati, *let.* 8, et *note*.

2° *Messiæ characteres a Daniele depicti eadem perfectione competunt Christo.* Messias quidem erit *Christus*,

ungetur *sanctus sanctorum*, in mortem tradetur a populo *qui eum negaturus est;* per ipsum, *finem accipiet peccatum, delebitur iniquitas,* et adducetur *justitia sempiterna,* etc... Atqui hæc omnia apprime competunt Christo, et manifestius quam ut demonstrationi immoremur. Sint sequentia tantum in exemplum : illi nomen Christi per excellentiam tribuitur; ille occisus est a populo quem ut suum jam non habuit; per mortem in mundo delevit peccatum, adduxit justitiam; post mortem ejus, et in ejus vindictam venit populus cum duce victore, romanus scilicet, qui dissipavit civitatem et sanctuarium, et jam abhinc mille octingentis annis perdurat Judæorum desolatio....

3° *Soli Christo competunt characteres a Daniele descripti;* etenim nec ante, nec post, nec præsertim iis temporibus a propheta descriptis, datur nullus quispiam cui vel minimum ex his signis conveniat; ergo hæc prophetia celeberrima in persona et vita Christi perfectam impletionem obtinuit, ne dicatur nullo modo adimpletam fuisse, quod Deum dedeceret; equidem non potest revelare eventus futuros, minutim eos describere, ac permittere ut illi eventus deficiant.

De Aggæi et Malachiæ prophetiis.

In prophetiis Aggæi et Malachiæ tempus adventus Messiæ annuntiatur; scilicet advenire debuit templo jam stante; nam juxta Aggæi et Malachiæ prophetias, Messias visitare et illustrare debet templum a Zorobabel ædificatum, præcursor ante faciem ejus ibit et viam præparabit; in ipsius adventu commovenda sunt cœlum et terra, mare et arida; cunctis gentibus futurus est *desideratus et pax,* etc. Atqui hæc impleta sunt in Christo : præcursorem enim habuit Joannem Baptistam; in ipsius adventu commota sunt cœlum et terra, mare et arida, tum per ejusdem miracula, tum per idolorum eversionem et omnium populorum conversionem. Secundum visitavit templum, illudque sua præsentia illustravit et sanctificandum jussit, tum

verbis, tum actionibus; novum instituit sacrificium quod in omni loco nomini Dei offertur, Malachiæ, I, 11; *est pax et desideratus cunctis gentibus.* siquidem eas de tenebris eduxit, suo lumine recreavit, sua gratia sanctificavit: stupendam enim operatus est in mundo conversionem: omnes igitur characteres qui in dictis prophetiis de Messia prædicantur, apprime Christo competunt. Illi autem soli competunt, Judæi namque et celebriores rabbini frustra desudarunt ut aliquem invenirent hominem, a Christo diversum, cui hos Messiæ characteres applicare possent; in varias abierunt sententias variasque finxerunt hypotheses ex adverso pugnantes et se invicem destruentes. Ergo.

Dices: Herodes templum a Zorobabel ædificatum demolivit, et aliud multo majus et perfectius, intra quadraginta sex annos, Joan. II, 20, summis impensis exstruxit, Joseph. Antiq. Jud. l. 14, c. 14: ergo Christus visitare non potuit templum a Zorobabel ædificatum.

R. Nego conseq. Quamvis enim legatur apud Josephum, loco citato, Herodem vetus templum usque ad fundamenta demoliri jussisse, ut aliud multo splendidiori modo exstrueretur, non censetur tamen novum reipsa ædificasse: ita saltem judicaverunt Judæi, qui in historiis suis illud vocant secundum, et aliud quod fingunt a Messia ædificandum appellant tertium; deberent tamen illud vocare quartum. Ipse Josephus, de Bello Judaico, l. 6, cap. 18, destructionem ingentis et exornatissimi hujus ædificii narrans, dicit illud ab Aggæo 639 annis et 45 diebus antea fuisse constructum: æstimat ergo ille scriptor templum ab Herode instauratum, a templum Zorobabel non fuisse diversum: ergo Christus templum Zorobabel visitavit et gloria præsentiæ suæ illustravit. Ergo.

SECTIO SECUNDA. — *De prophetiis quæ Messiæ originem et nativitatem respiciunt.*

1° Messias ex Abraham, Isaac et Jacob, ex tribu Juda et familia David, descendere debebat, ut pluribus in locis

prædicitur et ipsi Judæi confitentur : atqui constat Christum ex tribu Juda, ex David, Jacob, Isaac et Abraham descendere, nempe ex utraque ejus genealogia a S. Matthæo et S. Luca descripta, et nunquam a Judæis in dubium revocata.

2° Ex virgine ortum Messias mirabiliter habere debebat. Isaias propheta VII, 14 sic se habet : *Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Ut ex hoc textu sacra missio Christi probetur tria requiruntur et sufficiunt; scilicet, ut sub nomine Emmanuel Messias futurus designetur, ut ex virgine modo supernaturali concipiatur, ut Christus ex virgine natus fuerit, atqui hæc tria certa sunt.

— A) Nomen Emmanuel, quod idem sonat ac *Deus nobiscum,* solum de Messia dici potest. De isto Emmanuele infra dicitur quod sit *Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis,* quod *super humerum ejus sit principatus :* atqui hæc attributa proprie convenire non possunt nisi Messiæ.

— B) Iste *Emmanuel* ex virgine virum nesciente erat concipiendus et oriundus; etenim — a) vox hebræa *almah* virginem puram, integram, a viris obsconsam significat, illam sic verterunt Septuaginta interpretes et Chaldæi, et apud Hebræos non est vox alia quæ virginem designet. — b) Conceptio et nativitas pueri hic promissi annuntiatur tanquam signum divinum et extraordinarium : nullum vero esset signum nec prodigium in eo quod adolescentula viro conjuncta filium per viam naturalem conciperet et pareret. Si plura optentur, conf. D. *Calmet, Bossuet, Duguet, Berthier,* et alii scripturæ sacræ commentatores qui in cap. VII Isaiæ scripserunt. — c) S. Matthæus, I, 22, 23 præcedentem textum eodem modo interpretatur, ac probabilius juxta veterem interpretationem et traditionem.

— C) Certum est Christum ex virgine natum esse mirabiliter et absque concursu hominis. Id testatur Maria quæ asserit, Luc, I, 34, se virum non cognoscere, et Joseph, qui nolens eam velut adulteram *traducere, voluit*

occulte dimittere eam, Matt. I, 19 ; idem expresse testantur Evangelistæ, v. 9, S. Matth. I, 18 et 25. — Ergo in Christo impleta fuit prophetia.

3° Messias in Bethleem Juda nasciturus erat, ex Michæa, v. 2 : *Et tu Bethleem Ephrata, parvulus es in millibus Juda ; ex te mihi egredietur qui sit Dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis... Et stabit et pascet in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini... et convertentur, quia nunc magnificabitur usque ad terminos terræ. Et erit iste pax.* In illa enim prophetia Messias designatur, siquidem ille solus sub his characteribus designari potest, ut ipsi olim confessi sunt Judæi, Matth. II, 6 et 16 : atqui Christus natus est in Bethleem Juda, ut Apostoli et Evangelistæ scripserunt, Judæis non contradicentibus ; fuit pax in populis, magnificatus est usque ad terminos terræ, ad ipsum conversæ sunt gentes, stat et pascit *in fortitudine Domini*, etc. Ergo.

SECTIO TERTIA. — *De prophetiis quæ ad vitam, passionem et mortem Messiæ spectant.*

Innumera fere loca Prophetarum omnes vitæ et mortis Messiæ circumstantias respiciunt. Pluries Evangelistæ ac præsertim S. Mathæus ea Christo applicant. Hic quædam per ordinem seligemus et adimpletionem breviter demonstrabimus.

1° *Circa prædicationem Messiæ.* — a) Messias debuit habere præcursorem ad vias ejus præparandas : *Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri*, Is. XL, 3 ; et Malach. III, 1 : *Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam* : porro Christus tam splendidum habuit præcursorem in persona Joannis Baptistæ, ut legationem miserint Judæi ad eum interrogandum an esset Messias, Matth. III, 3 ; Luc. III, 4 ; Joan. I, 23. — b) Multa prodigia operaturus erat Messias ; de iis sic pronuntiat Isaias XXXV, 4 : *Deus ipse veniet et salvabit vos : tunc aperientur*

oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt ; tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum. At ipsemet non mentiendo dixit de seipso Christus, Matt. LII, 4, 5 : *Euntes annuntiate Joanni quæ audistis et vidistis : Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.*

2° *Circa passionem et mortem Messiæ.* — a) Messias venire debuit in Jerusalem velut rex, et ascendens super asinam. *Exsulta satis filia Sion, jubila, filia Jerusalem : ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator ; ipse pauper, et ascendens super asinam et super pullum asinæ.* Zach. IX, 9. — Hæc autem in Christo litteraliter, ut omnes narrant, adimpleta sunt. Videre est Matth. XXI, 5 ; Joan. XII, 15. — b) Messiæ traditionem et venditionem describit idem propheta Zacharias XI, 12 : *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me : Projice illud ad statuarium, decorum pretium quo appretiatus sum ab eis.* Eamdem traditionem, venditionem, idem pretium, eamdem nummorum destinationem in passione Christi narrat Matthæus, cap. XXVI, 15, et XXVII, v : *Quid vultis mihi dare, et ego vobis tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos..... Judas autem projectis argenteis in templo recessit.* — c) Falsa testimonia, silentium Messiæ ante judices prænuntiabantur a Davide ps. XXVI, 12. *Insurrexerunt in me testes iniqui ;* et apud Is. LIII. 7. *Et non aperuit os suum.* At neminem fugit quænam fuerint testimonia testium adversus Christum, quænam ipsius modestia et silentium. — *Jesus autem tacebat.* Matth. XXVI, 63 — d) Contumeliæ sputa, ictus quibus afficiendus erat Messias tum apud Jeremiam, tum apud Isaiam descripta sunt. — *Dabit percutientibus se maxillam, saturabitur opprobriis :* (Tren. III, 30.)—*Corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus ; faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me.* (Is. L, 6). Matthæus vero narrat quod milites exuerint Christum chlamyde ; quod, imposito super humerum ejus vestimento coccineo, et arundine in manum erecta, illuserint ei, dicentes genu flexo : *Ave, rex Judæorum ;* quod

expuentes in eum acceperint arundinem et percusserint caput ejus. (Matth. XXVII, 28, 29, 30.) — e) Crucis supplicium inter sceleratos, fel et acetum quibus potari debebat Messias, sors in vestes mittenda, irrisio multitudinis, hæc omnia prænuntiata sunt. — *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea* (Ps. LXVIII, 22). — *Cum sceleratis reputatus est.* (Is. LIII, 12). — *Dederunt in escam meam fel, et in siti potaverunt me aceto.* (Ps. LXVIII, 22). — *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.* (Ps. LXVIII, 22). — *Omnes videntes me, deriserunt me : locuti sunt labiis et moverunt caput.* (Ps. XXI, 18). — Atqui de verbo ad verbum hæc omnia in passione Christi contigerunt, uti omnes norunt; et istæ circumstantiæ apud omnes ideo notæ sunt quod eas depingere sit prorsus inutile.

SECTIO QUARTA. — *De prophetiis quæ Messiæ resurrectionem et triumphum prænuntiant.*

1° *De Resurrectione.* — Si passio, ignominia et mors Messiæ prænuntiatæ fuerant, non minus clare annuntiata fuerat ipsius resurrectio : Isaiæ, XI, 10. *Ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulcrum ejus gloriosum.* Ps. XV, 10, et Act. II, 31. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* At nemo nescit quod historici sacri resurrectionem Christi describant.

2° *De Ascensione.* — Ascensio pariter annuntiata fuerat. Ps. LXVII, 19, et Eph. IV, 8 : *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus* I et Ps. CIX : *Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis.* Porro diversæ illæ prophetiæ naturaliter de Christo explicantur : de nullo vero alio recte explicari possunt : ergo. Vide Matth. XXII, 43; Luc, XX, 42.

3° *De effusione spiritus sancti.* Deus per Ezechielem, XXXVI, 26, prædixerat dicens : *Et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri ; et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri.....* Et per Joel, II, 28 :

..... *Effundam spiritum meum super omnem carnem : et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ..... Sed et super servos meos et ancillas in diebus illis effundam spiritum meum.* Atqui duæ illæ prophetiæ accurate completæ sunt in die Pentecostes, quando Spiritus sanctus corporali specie in Apostolos descendit, et in aliis circumstantiis in quibus ipsius effectus modo sensibili apparuerunt, Act. II, 17.

4° *De conversione gentium.* Juxta diversos Prophetas, Messias futurus erat desideratus, exspectatio, dux, salvator gentium : gentes in eo benedicendæ erant, et in lumine ejus ambulare debebant; ipse autem earum legislator esse debebat, Is., LV, 4, et LX, 3 : verum omnes illæ qualitates Christo et soli Christo perfecte conveniunt; ipsius enim ministerio Dei notitia universam inundavit terram, et omnes gentes in eo benedictionem acceperunt : ergo.

Multæ adhuc sunt aliæ prophetiæ plus minusve claræ, quæ similem applicationem habent in Christo : eas unusquisque videre potest apud D. *Huet, prop.* 7, vel apud varios Scripturæ sacræ interpretes :

Corollarium. — Ex his prophetiis supra expositis et earum impletione divinitas religionis christianæ maxime adversus Judæos, et item adversus incredulos et quempiam adversarium adstruitur. 1° Adversus Judæos, quos hic præsertim intendimus, probatio præfulget. Juxta eorum doctrinam illæ prophetiæ sunt certæ, divinæ et ad Messiam, novi fœderis fundatorem, spectant; atqui in Christo certo, ut jam exposuimus, fuerunt impletæ, ergo Christus est Messias a Judæis exspectatus, et ipsius religio est novum fœdus quod veteri erat substituendum.

2° Adversus incredulos pariter valet hæc probatio, et licet eos nondum aggrediamur, ex ibidem dictis eos jam confutare licet. Unde sic argumentari datur : Hæc religio est divina si in ejus fundatoris gratiam divinæ factæ sunt prophetiæ, in ejus persona adimpletæ, a quibus etiam divina ejus comprobatur missio. Nullus hanc assertionem negabit, præsertim exposita et probata

prima hujus tractatus parte. Atqui in gratiam Christi, fundatoris religionis christianæ, divinæ elicitæ sunt prophetiæ, missionis ejus divinitatem comprobantes, et omnes apprime et adamussim impletæ. — Prophetiæ divinæ elicitæ sunt, siquidem illæ omnes quas nuperrime exposuimus, multæque aliæ sub silentio prætermissæ. Illæ prophetiæ sunt divinæ, id est longe ante eventum annuntiatæ, cum cura et sollicitudine semper observatæ, eventus multos et particulares, sive a divina potentia pendentes, sive a libero hominum arbitrio, ac ideo super divinationem humanam positos, prænuntiantes.—Eædem prophetiæ annuntiant Messiam futurum tanquam Deo charum, ab eo mittendum, ac ejus missionem ita necessariam esse ut minutissimæ ejus vitæ et mortis circumstantiæ per speciales præcones divulgentur. — Tandem omnes hujus generis prædictiones apprime in Christo, in ejus prædicatione, passione et morte adimpletæ sunt, ita ut impossibile sit supponere in eo casu fortuito impletas fuisse, vel aliquem impostorem ita se gessisse ut cunctis divinorum oraculorum dispositionibus se conformaverit. Ergo divina est Christi missio, divinaque ejus religio.

§ II. — De mira connexione religionis christianæ cum religione Mosaica.

I. Quid figura.—Mirabilis deprehenditur connexio inter utrumque Testamentum. In multis typis seu figuris Christus adumbratur et mysteria ejus depinguntur. Numero quasi infinito sunt istæ figuræ, ita ut recte dicatur Vetus Testamentum sive in eventibus sive in personis velut ingens tabella, in qua omnes Christi actiones, omnia ipsius facta, omnia sacramenta, omnesque ejus ecclesiæ characteres describuntur. Inter eas quasdam seligemus, sed primum, animadvertendum est quod istæ figuræ ad Christum vel ad ejus mysteria referantur sive per similitudinem sive per oppositionem; sit in exemplum Adam de quo mox infra : typus est Christi per similitudinem, quatenus de terra

virgine fuerit plasmatus; Christus et ipse enim e virgine ortus est; per oppositionem vero, quatenus per lignum fuit suæ posteritati causa mortis, Christus vero per lignum causa salutis.

II. Præcipuæ figuræ describuntur. 1° *Figuræ e personis assumptæ.* — Primus Christi typus est iste Adam. Ad imaginem Dei creatus e terra virgine educitur; ex latere ejus dormientis assurgit ipsius conjux, Eva, mater viventium; per lignum, ipso obedientiam recusante, posteritas ejus in mortem ruit. — Christus, *novissimus Adam* (Ad Corinth. xv, 45) et ipse *imago Dei invisibilis* (ad Col. i, 15) e sinu puellæ virginis natus est; e latere vulnerato ejus in cruce dormientis educta est Ecclesia, cui ut uxori per nuptias spirituales adstringitur; per lignum crucis salvavit quos primus Adam per fructum ligni perdiderat.

Abel, pastor ovium, foras eductus mactatur a fratre, invidia moto. Sanguis ejus clamat ad cœlum. Caïn maledictionis charactere signatus, profugus aufugit et vagatur.—Christus est pastor hominum, etenim ipse sibi hanc usurpavit figuram; invisus fratribus ab eis foras educitur, et occiditur. Sanguis ejus melius quam Abel ad cœlum clamat : *Accessistis..... ad mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel.* Hebr. xii, 24. Sed sanguinis ejus clamat ad salutem, non ad vindictam. Attamen Judæi sacrilegi, omnibus odibiles, maledictionis signo notati vagabundi errant sine patria, in pœnam parricidii.

Melchisedech rex et sacerdos, sine patre, sine matre, oblationem panis et vini offerens recte assimilatur Filio Dei, Hebr. vii, 1, 2, 3. — Christus enim melius quam Melchisedech rex est justitiæ et pacis, in quo *justitia et pax osculatæ sunt.* Ps. lxxxiv, 11. Sacerdos et ipse, pontifex etenim futurorum bonorum; sine patre in terris, in cœlis sine matre, panem et vinum obtulit, scilicet sub his speciebus corporis et sanguinis sui sacrificium.

Isaac ex muliere sterili per miraculum concipitur, unigenitus, in ipso sunt omnes gentes benedicendæ,

hæres et filius patris dilectissimus, ejus voluntate ad sacrificium ducitur; immolandus lignum sui sacrificii in montem Moria super humeris portat. — Christus e virgine nascitur, unigenitus et ipse, filius in *quo pater complacuit*, in quo omnes de facto benedicuntur gentes, paternæ voluntati annuens in mortem se vovet, bajulat lignum sacrificii, scilicet crucem in eumdem Moria montem, id est Calvarium.

Joseph, fratrum invidiam movens, propter propriam annuntiatam gloriam, ab eis venditur; inter duos sceleratos in carcere immorans uni gloriam alteri mortem promittit; e carcere tanquam e sepulcro revocatus *salvator mundi constitutus super omnem terram*, Gen. XLI, 45, omnem populum pane nutrit, ipsosmet fratres, patrem et familiam advocat, recipit et thesauris cumulat. In his omnibus agnosce Christum, Judæis invisum dum suam prænuntiat gloriam, venditum, inter duos reos in cruce erectum, uni paradisum spondentem, post tres dies e tumulo assurgentem, factum omnium salvatorem; omnibus panem qui de cœlo descendit subministrat, et tandem propriam suam Judæorum familiam in sinu recipiet.

In Moyse, tanquam in speculo novo apparet Christus. Sicut Moyses novam legem e cœlo producit, miracula operatur, edit prophetias, populum suum inter sui sanguinis fluctus traducit, et a servitute dæmonum eripit, alit manna e cœlo dimisso populum suum quem in terris aliquandiu tanquam in deserto detinet; sicut Moyses in monte, ipse in cruce extensis manibus, orat pro populo luctanti, etc.....

Omissis Josue, Jephte, Gedeone, Samsone, multisque aliis, ad David devenimus, typum Christi præclarum. Ut David, a patre missus, dæmonem, verum Goliath debellat, populumque e jugo Philistinorum eximit; melius quam David Christus dicitur; melius quam David pietate, mansuetudine, et regni splendore insignis est; ipse postea ab amico traditus, a filiis maledictus, conviciis obnoxius est dum montem ascendit.

In Salomone figuram gloriæ et imperii nostri Christi accipimus. Velut antiquus Salomon, vero Deo templum, scilicet Ecclesiam, dedicavit, regnat sapienter, beneficiis suam gentem cumulat, fama ejus ubique effusa est.

Inter Christi typos insignes enumerare oporteret omnes reges pios quibus Juda ductus est, multosque prophetas a quibus fuit eruditus. At ex eis Jonas præsertim citandus est, a quo sumimus figuram prædicationis Christi, Christusque sumpsit ipse figuram suæ resurrectionis. De aliis ut *Bossuet* dicemus : « Non-seulement » ils voyaient Jésus-Christ; mais encore ils en étaient » la figure et représentaient ses mystères, principalement » celui de sa croix : presque tous, ils ont souffert persé- » cution pour la justice, et nous ont figuré dans leurs » souffrances l'innocence et la vérité persécutée en Notre- » Seigneur. »

2° *Figuræ Christi e rebus assumptæ.* Agnus Paschalis, qui sine macula esse debet, quarta decima mensis nisan mactatur, nullum os ejus comminuitur, sanguine ejus asperguntur postes et superliminaria. Ita Christus a B. Joanne Baptista vocatur *Agnus*; vere immaculatus eadem die decima quarta mensis nisan occiditur; sed nullum os ejus confringitur; et sanguine ejus aspersæ gentes morte et dominatione diaboli liberantur.

Manna e cœlo divinitus immissum populum mirabiliter nutrit in deserto; Christus de cœlo descendens mirabilius corpus et sanguinem suum in sacramento vere et realiter nobis præstat in cibum.

Serpens æneus in deserto erectus sanat Hebræos illum aspicientes; Christus in cruce affixus gratia sua mundat eos qui viva fide ipsum aspiciunt,

Rupes percussa largas emittit aquas; Christus in latere percussus sanguinem et aquam dedit in remissionem peccatorum.

Varia offerebantur apud Judæos sacrificia agnorum, hircorum, ovium, etc.; in expiationem peccatorum præcipiebantur corporeæ mundationes; in his omni-

bus et singulis videndæ sunt figuræ Christi vel ejus sacramentorum. Sint in exemplum hircus quem emissarium dicebant, et vaccæ rufæ sacrificium. Die solemni expiationum, hircus vivus offerebatur, et summus pontifex *posita utraque manu super caput ejus, confessus omnes iniquitates filiorum Israel et imprecans capiti ejus, illum in terram solitariam emittebat omnibus iniquitatibus onustum.* (Lev. XVI, 15, 16.) Sub hoc ritu vide Christum Dei filium, omnibus nostris iniquitatibus onustum. Item vacca rufa ministerio pontificis extra castra immolabatur; sanguis offerebatur in interiori tabernaculo, et sacerdos intincto digito in sanguine fores tabernaculi aspergebat. Hæc in memoriam revocant Christum extra urbem crucifixum in sacrificium summæ expiationis, et cujus sanguinis aspersione mundantur omnes ad quos pervenerit. Qui mirabilem hunc inter utramque religionem concentum fusius evolutum legere intenderit, exquisitum adeat opus D. *Huet*, Abrincensis episc., vel etiam ornatissimum opus gallicum *Le comte de Valmont*.

Ex his brevius supra enumeratis sic argumentari licet: sub diversis imaginibus loco temporeque diversis apprime et adamussim depingitur Christi effigies, sub umbris velantur ejus mysteria, per varios typos sacramenta evocantur; ita ut si omnia lineamenta quæ separatim unum aut plurima exprimunt, simul et suo loco aptentur, videbuntur in eumdem scopum intendere, et eamdem personam sub omnibus aspectibus depingere. Atqui hæc connexio admirabilis vel casu fortuito advenit, vel Christus solertia potens in se tot signa dispersa coadunare studuit, vel Deus ipse ea sic disposuit et perfecit : porro duo priora nullatenus dici possunt. Non prius; etenim insanæ mentis haberetur qui diceret casu fortuito in libro litteras dispositas esse ita ut inde sensus verborum et sermonis oriatur; item, qui ex tot figuris et typis in Christo fortuitam oriri analogiam. — Non posterius; impossibile est hominem quavis solertia mirandum tot relationes excogitare, in se exprimere, et typis innumeris sæpeque contrariis totam vitam, mores, aliorum actiones et sensus

submittere. Ergo Deus sic omnia coordinavit, ut religio christiana necessarium videatur religionis mosaicæ complementum; ergo etiamsi ante Christum, illæ figuræ juxta proprium sensum non semper fuerint intellectæ, a Judæis post adventum Christi, connexio figurarum cum exemplario divino negari nequit. Ergo Judæi religionem christianam ut divinam habere debent.

§ III. — De ultima clade Judæorum et præsenti eorum statu.

PROPOSITIO.

Ex ultima clade Judæorum et præsenti eorum statu probatur divinam esse religionem christianam.

Prob. Populus Israeliticus erat dilectus Deo et specialis ipsius hæreditas : promissæ illi fuerant pax, tranquillitas sempiterna, terræ Chanaan possesio, victoria de hostibus perfecta, denique temporalis felicitas, si fidelis erga Deum permaneret : hæc passim in Pentateucho leguntur, præsertim in Deuteronomio et in prophetis, nec a Judæis negantur. Nunc autem ille populus omnis generis calamitatibus et miseriis a decem et octo sæculis subjacet; e patria ejectus, per orbem universum dispersus, in servitutem redactus, cunctis gentibus opprobrium et derisio factus est. *Unde sic argumentari licet :* Vel promissiones divinæ falsæ sint necesse est, vel Judæi propter grande aliquod scelus affliguntur : at prius dici non potest, et ipsi Judæi illud velut impietatem rejiciunt : ergo propter grande aliquod scelus affliguntur : porro grande hoc scelus aliud esse nequit præter rejectionem et occisionem Messiæ in persona Christi : æquitas enim exigit ut pœna delicto sit proportionata; pœna igitur omnium gravissima gravissimum supponit delictum : at nullum in Judæis inveniri potest hujusmodi delictum præter rejectionem et occisionem Messiæ in persona Christi; hoc enim aliud delictum esset vel idololatria, vel gravis altera legis Mosaicæ infractio : atqui neutrum dici potest.

1° *Non idololatria;* nec enim in Scripturis, nec in historia profana legitur gentem Judaicam in idololatriam prolapsam fuisse a reditu ex captivitate Babylonis.—2° *Non gravis et generalis alia legis Mosaicæ infractio;* nam ab illo tempore multo accuratius quam antea legem Mosaicam observaverunt, et etiam nunc plurimi, quantum fieri potest, illam observant. Fatendum est tamen nunc multos inter eos non nisi origine et nomine judæos esse, et cum rationalistis hodiernis sapere. Ergo.

Aliunde, quoties Judæi in idololatriam vel in gravia alterius generis crimina prolapsi sunt, nunquam tam graves et tam longas subierunt pœnas. Nam — a) ipsa Babylonis captivitas non nisi septuaginta fuit annorum. —b) Quoties sub manu Domini se humiliabant et ad ipsum suppliciter clamabant, statim a pœnis misericorditer eximebantur.—c) Frquenter Deus mittebat Prophetas qui eos in afflictionibus consolarentur, ut constat ex Scripturis : Judæi vero qui a tot sæculis sunt captivi et omni spe redeundi in patriam destituti, in miseria sua ingemiscunt, clamant ad Dominum, legem ejus observant, nec tamen exaudiuntur. Ergo. Hinc Prophetæ futuram Judæorum cladem soli Messiæ rejectioni et ejus occisioni tribuebant, præsertim Daniel, cap. IX, 26.

Solvuntur objectiones.

Obj. Non ex odio, sed ex ignorantia Judæi occiderunt Christum, ut ipse testatur, Luc. XXIII, 34 : *Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt* : et B. Paulus, I Cor. II, 8 : *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* At culpa ex ignorantia commissa non tantam meretur pœnam.

R. Nego maj. Etenim Judæi Christum occiderunt non tantum ex ignorantia vincibili, quæ tamen a culpa non excusat, sed etiam ex invidia et odio; id enim testantur Evangelistæ : v. g., Matth. XXVII, 18; Marc. XV, 10; et Christus pro eis rogans quando dicit : *Non enim sciunt quid faciunt,* solummodo intendit Deo Patri suo aliquod

allegare motivum quo efficacius eum impellat ad veniam eis concedendam ; quicumque enim officium mediatoris pro delinquentibus suscipiunt, eos quantum possunt solent excusare : sic Christus se gerit, Deum ut homo pro persecutoribus enixe rogans : ipsius autem persecutores, licet gravissime culpæ rei, aliquo modo tamen excusabiles erant ; culpa namque eorum ex eo minuebatur quod actualiter Christum et Filium Dei non agnoscerent, quia furore et malitia erant obcæcati. Eodem sensu intelligenda sunt B. Pauli verba : *Si cognovissent*, etc., et ista I ad Tim. I, 13 : *Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci*. Ergo.

Inst. 1° Repugnat Deum per tot sæcula universam Judæorum gentem punire propter quorumdam privatorum scelus; atque mors Christi fuit opus quorumdam privatorum, non vero totius gentis : ergo.

R. Nego min. Illud enim crimen opus quorumdam privatorum dici non potest , sed merito toti tribuitur genti , quod nomine istius gentis illud approbantis fuit patratum : atqui Christus nomine totius gentis Judaicæ approbantis fuit occisus; nam fuit damnatus a synagoga, a principibus populi, a scribis et legis doctoribus : populus autem Judaicus ex omni parte in Jerusalem congregatus propter festum Paschæ videbat et applaudebat, clamabat et dicebat: *Tolle, tolle, crucifige eum*, Joan. XIX, 15; *Sanguis ejus super nos et super filios nostros*, Matth. XXVII, 25. Ergo quin imo, etiam nunc tota gens Judaica occisionis Christi, quantum in se est, fit rea : factum enim majorum suorum approbat, Christum pertinaciter negat et blasphemat, damnationi ejus libenter subscribit , et sanguinem ejus imprecando postulare non cessat. Ergo.

Inst. 2° Si Judæi tam dure tractarentur propter rejectum Christum, eodem modo tractari deberent cæteræ gentes quæ pariter Christum rejiciunt et detestantur : attamen illud non evenit : ergo.

Nego maj. quoad sequelam. Quamvis enim Judæi ita propter rejectum Christum tractentur, non sequitur eodem modo tractandas esse cæteras gentes quæ pariter

illum rejiciunt, quia respectu Dei grande et discrimen inter Judæos et alias gentes; Deus enim solemne cum Judæis iniit pactum, et multo pluribus eos cumulavit beneficiis quam cæteras gentes : si ergo ingratos se ostendant, pactum sancitum infringant et transgrediantur, multo magis sunt rei, ac proinde multo majorem merentur pœnam. Præterea, Judæi non tantum rejecerunt Christum, sed insuper illum contumeliis, suppliciis et crudelibus tormentis affecerunt, et turpissima morte peremerunt, quod nulla gens altera fecit. Ergo.

Inst. 3° Si gens Judæa propter rejectum Christum sic affligatur, Christianorum regna deberent e contra jugiter florere et omnibus bonis abundare : atqui hoc non contingit : ergo.

R. Nego maj. In tota enim præsenti quæstione contra Judæos ratiocinamur per argumentum ad hominem, nempe ex variis Scripturæ textibus, in quibus, juxta ipsos, perfecta illis promittebatur temporalis felicitas, si jugiter fidele præstarent Deo obsequium : nos e contra contendimus totum Christi nobiscum fœdus in bonis duntaxat spiritualibus esse constitutum : ergo ex statu temporali Christianorum nihil adversum nos concludi potest.

Inst. 4° Decem tribus Israel quæ in Media et in variis Assyriæ partibus remanserant, occisionis Christi non fuerunt complices : atqui tamen semper remanserunt in captivitate : ergo.

R. Nego min. Nam, post captivitatem Babylonicam, omnes Israelitæ facultatem habuerunt cum Judæis redeundi; plurimi quidem redierunt et unicam gentem cum Judæis composuerunt; cæteri vero qui apud Medos et Assyrios remanere voluerunt, cum illis commixti, religionem ac leges patriæ deseruerunt, et ab illo tempore ad populum Judaicum pertinere cessaverunt : dici ergo non potest eos in captivitate remansisse. Ergo.

Inst. 5° Non Judæorum, sed Romanorum auctoritate crucifixus est Christus : ergo Judæi tantam non patiuntur cladem ob rejectionem et occisionem Christi.

R. Nego conseq. Judæi namque hanc cladem merito

dicuntur pati ob Christi rejectionem et occisionem, si revera mors Christi ipsis tribuenda sit : atqui mors Christi Judæis tribuenda est, licet auctoritate Romanorum fuerit crucifixus ; non nisi enim accusante et constanter postulante Judæorum concilio, hæc damnationis sententia lata fuit; ad eam Judæi quasi invitum duxerunt Pilatum, Romanorum præsidem ; damnatum Christum contumeliis affecerunt, morti ejus adstiterunt ac feroci gaudio consenserunt, impiis dicteriis ei patienti et morienti illuserunt; hanc patrum suorum agendi rationem approbaverunt quotquot ab illo tempore fuerunt Judæi : ergo deicidii merito omnes reputantur rei. Ergo.

Constat igitur præsentem luctuosam Judæorum calamitatem soli Messiæ rejectioni et occisioni in persona Christi tribuendam esse, Deus ipse uno saltem miraculo evidenti hanc interpretationem confirmavit.

Nam Julianus Apostata, potentissimus Romanorum imperator, in odium Christi Judæos sub ægidio suo accepit eosque in pristino statu restituere voluit ; undique eos in Jerusalem convocavit et templum instaurare cœpit : at operantes breviter ab opere cessare coacti sunt, Deo contra eos evidenter pugnante ; factum sic refert Ammianus Marcellinus, testis oculatus, ethnicus, Juliani amicus et laudator, ac proinde minime suspectus, lib. 23, cap. 1 :

« Julianus imperii sui memoriam magnitudine operum » gestiens propagare, ambitiosum quondam apud Jero- » solymam templum instaurare sumptibus cogitabat im- » modicis, negotiumque maturandum Alpio dederat An- » tiochensi : cum itaque rei idem fortiter instaret Alpius » juvaretque provinciæ rector, metuendi globi flamma- » rum prope fundamenta crebris assultibus erumpentes, » fecerunt locum, exustis aliquoties operantibus, inacces- » sum ; hocque modo, elemento destinatius repellente, » cessavit incœptum. » Factum istud a pluribus hujus temporis ecclesiasticis auctoribus relatum, v. g., a S. Ambrosio, a S. Chrysost., a S. Gregorio Nazianz., a Rufino, Socrate, Sozomeno, Theodoreto, etc., certe in dubium re-

vocari non potest : atqui evidenter est miraculosum : ergo. Vide circa illud factum, *Bullet, Histoire de l'établissement du Christianisme; Houtteville*, et præsertim *Dissert. de Warburton, sur les tremblements de terre arrivés à Jérusalem sous Julien l'Apostat; Ann. de Phil. chrét.*, 3e *série, t.* XVIII, *pp.* 68 *et* 209.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE DIVINITATE RELIGIONIS CHRISTIANÆ ADVERSUS INCREDULOS.

ENUMERANTUR ARGUMENTA QUIBUS SPECIATIM DE DIVINITATE RELIGIONIS CHRISTIANÆ CONVINCUNTUR INCREDULI. Jam probatum est argumentis præsertim Judæos attingentibus religionem christianam esse divinam; apertum est iisdem probationibus item incredulos debellari, attamen ut et ipsi validius convincantur in hoc præsenti articulo speciatim exponendæ sunt demonstrationes ex ratione petitæ. Cum vero multæ sint et quasi undique scaturiant, præcipuas tantum seligemus easque educemus 1° ex prophetiis Christi; 2° ex miraculis ejus; 3° ex ipsius charactere et vita; 4° ex ejus resurrectione; 5° ex illius doctrinæ excellentia; 6° ex mira ejus propagatione; 7° ex martyrum multitudine et constantia. Animadverte quod variæ probationes hic enuntiatæ ad unam revocandæ sint, scilicet quam plurimus miraculis, sive in ordine physico, sive in ordine morali patratis demonstrari christianam religionem; item ex his probationibus aliæ sumuntur exipsa Christi persona vel operibus, aliæ ex ejus ipsa religione vel ejus prædicatoribus.

§ I. — De prophetiis Christi.

PROPOSITIO.

Divinitas religionis christianæ probatur ex prophetiis a Christo editis.

Prob. Multas Christus edidit prophetias quæ divinæ originis requisitos habent characteres; ergo religio ab ipso instituta est divina.

1° Multas Christus edidit prophetias, scilicet tum de seipso, tum de discipulis, tum de religione sua, tum de Judæis. — A) *De seipso* inter multa prænuntiavit propriam passionem, judicum sententiam, irrisiones gentium, flagella, crucifixionem et resurrectionem, nam, Matth. XVI, 21 : *Cœpit ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Jerosolymam, et multa pati a senioribus, et scribis, et principibus sacerdotum, et occidi, et tertia die resurgere;* cap. XX, 18 : *Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, et scribis, et condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum; et tertia die resurget.*

— B) *De suis discipulis.* Trinam enim prædixit negationem Petri cum horæ determinatione : *Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis,* Matth. XXVI, 34 ; proditionem Judæ annuntiavit, Joan. XIII, 21, 26 : *Quia unus ex vobis tradet me;* persecutiones quas erant passuri ex mundo : *Tradent vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos... et eritis odio omnibus propter nomen meum.* (Matth. X, 17... 22).

— C) *De sua religione.* Prædixit apostolicam prædicationem, evangelii promulgationem per orbem universum, et ad seipsum tanquam ad Deum concursum universalem. *Ubicumque prædictum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur et quod hæc fecit in memoriam ejus,* Matth. XXVI, 13. *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham*

ad meipsum, Joan XII, 32. *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ*, Act. I, 8. *Euntes docete omnes gentes.*

— D) *De Judæis* plurima prædixit, nempe urbis Jerusalem destructionem, signa antecessura, circumstantias, tempus et modum descripsit; antichristos annuntiat; declarat futuras esse seditiones, bella, terræ motus, famem, *tribulationem qualis non fuit ab initio mundi;* dicit exterius civitatem vallandam esse undique, coangustandam, templum diruendum; et ipsammet urbem penitus evertendam, ita ut non remaneat *lapis super lapidem qui non destruatur*. Matth. XXIV, 2, et respublica et tota gens in cladem inauditam ruant. Matth. XXIV, 2-7. Luc. XXI, 10.

2° *Illæ prophetiæ sunt divinæ;* divinæ sunt enim, si ante eventum fuerint editæ; si eventu sint confirmatæ; si eventus viis naturalibus prævideri non potuerit; si casui fortuito tribui non possit : atqui hæc quatuor certa sunt.

— A) Illæ prædictiones *ante eventum fuerunt editæ*. Omnimoda enim fide digni sunt Apostoli eas referentes, et supponi non potest eos fingere voluisse prædictiones sibi probrosas, qualis est ea quæ ad trinam B. Petri negationem spectat; saltem, in illa hypothesi, non finxissent eas publice notas. Præterea, plures ex illis prophetiis in libris Novi Testamenti ante eventum erant consignatæ, v. g., illæ quæ ad generalem doctrinæ Christi diffusionem spectabant, et quæ ad destructionem Jerusalem attinebant; Evangelia enim SS. Matth., Marci et Lucæ ante gravissimam hanc cladem existebant; solus Joannes post eventum scripsit. Ergo.

— B) *Eventu fuerunt confirmatæ*. Quoad ea quæ sive ipsum sive apostolos et religionem christianam spectan nemo diffiteri potest. Prædictio vero ultimæ cladis Judæorum tam apprime cum eventibus concordat, ut videatur tanquam futurorum breve summarium. Præsertim Conf. Joseph de *Antiq. Jud. et de bello Jud.* Sic Christus prædixerat assurrecturos *Pseudo-Christos;* et plures enu-

merat historicus supra laudatus qui sub Felice procuratore plebem seducebant ; — *seditiones fore* : Judæi inter se et adversus Romanos pugnant; Romani quoque temporibus Galbæ, Othonis, Vitellii, in intestina bella ruunt; — *terræ motus* et *famem* : Nerone jam imperante, terræ motibus concutiuntur Creta insula, Smyrna, Miletum, ut meminit Philostr. in vita Appollonii; et Act. Apost., XI, 28, designatur *famis per totum orbem sub Claudio.* — *Tandem in interiore Jerusalem apparet tribulatio qualis vere non fuit ab initio.* Ut dictum erat a Christo, Luc, XXI, 20 et XIX, 43, urbem circumdandam et coangustandam esse, Titus, impigro militum labore, vallum aut munimen circa Jerusalem absolvi curavit, quo civitas accurate occlusa fuit et constricta; quomodo autem tribulatio fuerit in urbe, durante obsidione, ex igne et incendiis, ex fame et pestilentiis, ex hostili gladio, et civium discordiis ; quomodo templum flammis adustum fuerit, dirutaque civitas; quomodo perierint, 1,100,00 Judæi, cæteris vero flebilibus in servitutem redactis, neminem fugit, et itaque sermonem protrahere non opus est.

— C) *Eventus annuntiati viis naturalibus prævideri non potuerunt ;* sunt enim contingentes et a causis liberis dependentes : v. g., fieri poterat ut Christus non flagellaretur non crucifigeretur; ut Petrus illum non negaret, vel non ter negaret, vel non ante galli cantum ; ut Judas non esset traditor; ut doctrina tam nova non ubique prædicaretur, vel non susciperetur : nulla via naturali omnes circumstantiæ luctuosissimæ Jerusalem obsessionis et eversionis depingi poterant, eo præcise modo quo Josephus ipsum describit eventum in sua historia de Bello Judaico. Ergo.

— D) Absurde diceretur hujusmodi eventus cum suis circumstantiis *casu fortuito* contigisse, et prædictionibus sic adam ussim congruisse ; ergo, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Ex his omnibus concludendum est religionem christianam esse divinam. Christus enim, Deo assistente, veras edidit prophetias, porro Deus nulli falsa prædicanti assis-

tere, potest, alioquin audientes in errorem injiceret : ergo Christus ut a Deo missus habendus est et veræ divinæ religionis prædicator.

§ II. De miraculis Christi.

PROPOSITIO.

Ex miraculis Christi invicte probatur religionem christianam esse divinam.

Prob. Illa religio est divina quæ divinis confirmatur miraculis : atqui religio christiana divinis confirmatur miraculis; nam in libris Novi Testamenti multa leguntur miracula a Christo in gratiam religionis christianæ patrata.

Prob. 1° Inter fere innumera miracula quæ ad Christum referuntur alia sunt quasi *passiva*, scilicet quorum ipse objectum fuit; alia *activa*, quia ipse et propria virtute ea operatus est; alia patrata sunt ab apostolis directe, sed indirecte a Christo, scilicet invocato ejus nomine, et mediante ipsius potestate.

— A) *Miracula passiva.* Nemo nescit Christum per totum vitæ suæ decursum multis prodigiis circumdatum fuisse. Sic, citari potest archangeli Gabriel ad Mariam annuntiatio; ex virgine conceptio inaudita; angelorum concentus et ad pastores sermo; stella ab oriente magos advocans et ducens; scientia extraordinaria qua annos duodecim natus Doctores in templo stupore afficiebat. — Per annos publicæ ejusdem Christi prædicationis in exemplum sint vox Dei, e cœlo sonans; columba super eum a Joanne baptizatum manens; post tentationem diabolicam, angeli qui ei ministrare gloriantur, et super montem transfiguratio coram apostolis qua resplenduit sicut sol, et rursus voce cœlesti filius Dei dilectus glorificatus est. — Tempore passionis et mortis variis prodigiis fuit commendatus; velum templi scinditur, terra contremiscit, saxa confringuntur, reserantur monumenta, sanctorum

corpora resurgunt, ambulant et videntur, sol insolitam patitur eclipsim, ipse Christus vere mortuus ad vitam sese revocat, et apparitione angelorum multiplici gloriosa ejus resurrectio annuntiatur.

— B) Quot et quanta sint miracula *activa* a Christo patrata omnes norunt; in memoriam solummodo revocentur sequentia : illo jubente, aqua in vinum convertitur, morbi contumaciores aufugiunt, cæci vident, surdi audiunt, muti loquuntur, claudi ambulant, paralytici sanantur, dæmones ejiciuntur, mortui ad vitam redeunt, panes mutiplicantur, horrenda maris tempestas sedatur, ex mortuis assurgit, in cælos ascendit, Spiritum sanctum in suos apostolos effundit.

— C) Ipsi pariter Apostoli, solo Christi nomine invocato, multa etiam operantur miracula ad religionis christianæ confirmationem; sic enim B. Petrus hominem ex utero matris claudum sanat, Act. III, 1 et seq.; paralytico ab annis octo jacenti in grabato facilem membrorum usum restituit; Tabitham a mortuis suscitat, Act. IX; Ananiæ et Saphiræ mendacium repentina morte plectit, et solo quidem imperio, Act. V; ægroti in plateis publicis expositi sola ejusdem Apostoli umbra sanantur, ibid. V, 15. Similiter B. Paulus Barjesum, insignem magum, subita cæcitate coram proconsule Sergio afficit, Act. XIII, 11; claudum Lystris sanat, ibid. XIV, 7; juvenem gravi casu oppressum ad vitam revocat, ibid. XX, 9; et adeo stupenda sunt quæ operatur prodigia, ut pagani illum tanquam Deum habeant, illique velint sacrificium offerre, Act. XIV, 11.

2° Omnia hæc stupenda opera sunt divina et aliunde ad confirmationem christianæ prædicationis patrata. Sunt *divina* et de eorum divina origine certior eris si consideras : — a) *eorum certitudinem* et *splendorem;* narrantur quidem in libris quorum veracitas alibi in tuto reposita est; et si aliquando quædam in secreto operatus est Christus, multa alia fecit coram multis, quandoque coram mille testibus; citentur multiplicatio panum, Lazari resurrectio, suscitatio filii Naïm viduæ, et tot infirmo-

rum curationes adstante multitudine ; —b) *qualitatem* : etenim non solum multa ex eis hominis cujusvis potestatem superant, sed etiam omnis creaturæ, angelicæ vel diabolicæ vires, sunt quippe quam plura ex eis quæ primi generis dicuntur; ut v. g., mortuorum suscitationes, aquæ mutatio in vinum, panum multiplicatio, etc.; —c) *modum* quo patrata sunt, id est absque adjunctione cujusvis externi laboris, sine præparatione, sæpe una voce prolata, ad leprosum ex. gr., *Volo mundare* (Matth. VIII. 3); ad Lazarum in monumento quatriduanum : *Lazare veni foras* (Joan, XI, 43); aliquando sine ullo sermone, solum Thaumaturgi vestibus tactis : *omnis turba quærebat eum tangere quia virtus de illo exibat et sanabat omnes* (Luc VI, 19); et tandem quandoque e longinquo : sic curati sunt puer centurionis (Matth. VIII, 6-13), et reguli filius (Joan. IV, 47-59); — d) *numerum* : etenim ea miracula non sunt unum et alterum, aut saltem pauciora, sed quasi numero infinita, si quidem per tres annos prædicationis Christus quotidie plura perfecit, ut videre est in evangelica historia, et præterea B. Joannes memorat quod multa sunt quæ in libris non fuerunt scripta. Ergo his omnibus attentis nemo est sanæ mentis vel bonæ fidei qui non confiteatur hujus generis opera esse divina.

3° Sua operatus est Christus miracula ad confirmationem suæ religionis, nam Judæos et discipulos suos ad testimonium operum suorum revocat, ut eos ad sibi credendum impellat. Sic, apud Joan. X, 25 : *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me ;* et v. 38 : *Si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre.* Cap. XI, 42, in sua oratione antequam Lazarum suscitet, ait : *Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti.* Manifestum est ergo Christum voluisse missionem suam miraculis confirmare.

Ergo miraculis Christi invicte probatur religionis christianæ divinitas.

Solvuntur objectiones.

Obj. In templo Æsculapii quotidie sanabantur ægroti; Vespasianus duos curavit infirmos, tota conspiciente Alexandria civitate; Apollonius Thyanensis, inter multa prodigia, puellam Romæ suscitavit: attamen illa prodigia veram fuisse religionem paganorum non probabant: ergo *a pari*, etc.

R. 1° Non qualiacumque prodigia vim habent probandi veram esse doctrinam in cujus gratiam patrantur, sed ea duntaxat quæ manifestis donantur divinitatis characteribus: at paganorum prodigia quæ nobis objiciuntur, manifestis non donabantur divinitatis characteribus, siquidem doctrina paganorum erat evidenter absurda, ut adversarii fatentur, ergo.

R. 2° *Nego maj.* Illa enim prodigia admitti non debent ut vera, quæ sufficienter non sunt probata: at prodigia quæ nobis objiciuntur sufficienter non sunt probata, imo nullo fulciuntur monumento fide digno.

1° Sacereotes Æsculapii erant medici, et naturalia adhibebant remedia ut ægrotos sanarent; non vero solis verbis pellebant morbos etiam insanabiles, ut faciebant Christus et Apostoli: hoc ipsis publice exprobrare non dubitavit Arnobius, qui insuper declarat non omnes qui templum Æsculapii adibant sanari, sed multos in eodem statu mansisse, alios in pejorem rediisse, et paucos fuisse sanatos. Origenes et Aristophanus, poeta Græcus et paganus, testantur mercede conductos fuisse egenos, ut fingerent se esse ægrotos, et deinde apparerent sanati. Ergo 1°.

2° Narrant quidem Suetonius, Vita Vesp. n. 7, et Tacitus, Hist. lib. 4, n. 81, Vespasianum duos viros ex plebe Alexandrina sanasse, et uni restituisse usum oculorum, alteri vero usum unius manus: at Suetonius et Tacitus non fuerunt testes oculati hujus facti; et præterea, ex modo quo illud referunt, legitima statim suboritur suspicio. Vespasianus enim tunc eo præcise tempore ad im-

peratoris dignitatem promovebatur, adulatores undique circumstantes illi gratulabantur, quærebant pro more illi placere, et aliquid ipsi gratum ostendere vel excogitare; interea duo infirmi ad genua ejus advolvuntur, et curationem ab illo exposcunt. « Vespasianus primo irri» dere cœpit, aspernari *inquit Tacitus*, atque illis instan» tibus, modo famam vanitatis metuere, modo obsecra» tione ipsorum et vocibus adulantium in spem induci, » etc. » Non ergo arbitrabatur se habere potestatem hos infirmos curandi; fecit tamen quod ab ipso postulabant aulici, et *statim*, ait Tacitus, *conversa ad usum manus, ac cœco reluxit dies*. Non sic Christus et Apostoli operabantur miracula. Nonne verisimile est aulicos Vespasiano adulari volentes, duos mercede conduxisse homines ut fingerint se esse infirmos, et deinde a novo imperatore sanatos? Ergo 2°.

3° Nullius auctoritatis est historia Apollonii Thyanensis; fuit enim scripta a Philostrato centum annis ad minus post Apollonium, ex nonnullis memorialibus cujusdam Damidis, Apollonii comitis et amici; non ipse Damis hæc memoralia tradidit Philostrato, sed Julia, Severi imperatoris uxor, quæ a quodam viro ignoto acceperat : nemo autem non videt hujusmodi facta nullius esse auctoritatis; a nullo teste oculato referuntur, nullo monumento fide digno fulciuntur. Ergo. Vide *Houtteville*.

§ III. — De charactere et virtutibus Christi.

Argumentum quod e Christi charactere et virtutibus depromitur in gratiam ejus religionis divinitatis non est ex eis quæ metaphysico rigore adversarios convincunt, sed magis ex iis probationibus moralibus quæ præsertim sanæ mentis hominibus probe veritatem inquirentibus elucent.

PROPOSITIO.

Ex charactere et virtutibus Christi probatur divinitas ejus religionis.

Divina est religio cujus auctor et prædicator adeo scientia et virtutibus fuerit præditus, ut inde necessario declarandum sit eas a Deo directe illum tenere, et itaque illum esse vel Deum vel saltem Dei legatum; atqui ita sese præbet Christus, et ejus virtutum et perfectionum divina origo eminet, sive considerentur in se, sive relative ad circumstantias intra quas effulsere.

1° *Perfectiones Christi in se consideratæ.* Tot et tantæ sunt in Christo perfectiones et virtutes quæ divinum characterem spirant ut tota ipsius vita esset describenda si omnia virtutum specimina proferre conaremur. Breviter ea quæ ad intellectum, ut ita dicunt, et ad voluntatem respiciunt referemus. — A) Ex parte intellectus, sapientia Christi sese prodit conspicuam et admirabilem : — a) in *sententiis* quæ vel simplicitate, vel novitate, vel profundo sensu, vel quodam cœlesti aspectu mentem attonitu et miratione percellunt, v. g., *Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur... Ubi est thesaurus vester, ibi est et cor tuum*, etc.; — b) *In parabolis* quæ gravitate sermonis, imaginum venustate, pondere documentorum, turbas audientes, aliquandoque in medio deserto, inauditis fame et siti, attentas tenebant; adjunge quod istæ parabolæ ea concinnatæ sunt arte ut sint simul morales, propheticæ et theologicæ; — c) In *responsis* quibus uno verbo perfidas retundit interrogationes, cogitationes malas e mente adversariorum profert, semper modestiam et simplicitatem cum acuto et solerti ingenio uniens. Sint in exemplum : *Qui sine peccatis est vestrum primus in illam lapidem mittat.* (Joan. VIII, 7). *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo.* (Matth. XXII, 21); — d) *In toto genere dicendi*, quod, ut descriptum est in lec-

tionibus Theologicis Rothomag. simplex est, familiare, in verbis aut figuris minime exquisitum, ita omnis artis expers, ut ab omnibus etiam simplicissimis capiatur; ita profundum et sensus abundans, ut quo magis scrutantur excelsissima ingenia, eo plura admirentur et detegent; ab omni mentis æstu et commotione alienum, vehemens tamen, lucidum, imo sublime, cui nemo contradicere aut resistere queat, quia totum in robore veritatis et rectæ rationis energia positum.

— B) *Ex parte voluntatis*, cujusvis generis virtutibus ornatus videtur Christus. — a) *Erga Deum* in eo maxima eminet pietas, ita ut ad Deum Patrem omnia referat, nec alium habeat cibum nisi ut faciat ejus voluntatem. — b) *Erga seipsum*, ut ipse dixit, mitem et corde humilem sese præbet; non quærit quæ sua sunt, nihil ambit nec sibi nec suis, laudem renuit, et aufugit cum omnes in regnum promovere volunt; puritas in ipso ea est ut omnem superaverit suspicionem. — c) *Erga proximum* maxima charitate utitur; multos patitur labores ut ignaros erudiat; omnes sanat ægrotos; lacrymatur cum lacrymantibus; peccatores fovet ut a sceleribus eos revocet; cum omnibus blanda elucet comitas, — d) *Erga inimicos*, nova admiranda est virtus; perlege totam passionis historiam, et demira tantam ejus patientiam et misericordiam; coram judice silentium et modestiam; inter milites cujusvis querimoniæ absentiam; in cruce cum pendet, hanc precationem: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* (Luc XXIII, 34). Tandem ea claruit Christi præcellentia ut civis Genevensis, christianismi hostis infensissimus non potest quin eam miretur, et eam ut divinam extollat, *Emile*, liv. 4 : « J'avoue que la majesté » des Ecritures m'étonne, la sainteté de l'Evangile parle à » mon cœur. Voyez les livres des philosophes, avec toute » leur pompe, qu'ils sont petits près de celui-là ! Se peut-il » qu'un livre à la fois si sublime et si simple soit l'ou- » vrage des hommes? se peut-il que celui dont il fait l'his- » toire ne soit qu'un homme lui-même? Est-ce là le ton » d'un enthousiaste ou d'un ambitieux sectaire? Quelle

» douceur, quelle pureté dans ses mœurs! quelle grâce » touchante dans ses instructions! quelle élévation dans » ses maximes! quelle profonde sagesse dans ses discours! » quelle présence d'esprit, quelle finesse et quelle jus- » tesse dans ses réponses! quel empire sur ses passions! » Où est l'homme, où est le sage qui sait agir, souffrir et » mourir sans faiblesse et sans ostentation? Quand Platon » peint son juste imaginaire (*de Rep. Dial.* 1), couvert » de tout l'opprobre du crime et digne de tous les prix de » la vertu, il peint trait pour trait Jésus-Christ : la res- » semblance est si frappante, que tous les Pères l'ont » sentie, et qu'il n'est pas possible de s'y tromper. Quel » préjugé et quel aveuglement ne faut-il pas avoir pour » oser comparer le fils de Sophronisque au fils de Marie! » Quelle distance de l'un à l'autre! Socrate mourant sans » douleur, sans ignominie, soutint aisément jusqu'au » bout son personnage, et si cette facile mort n'eût ho- » noré sa vie, on douterait si Socrate, avec tout son es- » prit, fut autre chose qu'un sophiste.

» Il inventa, dit-on, la morale. D'autres avant lui l'a- » vaient mise en pratique; il ne fit que dire ce qu'ils » avaient fait; il ne fit que mettre en leçons leurs exem- » ples. Aristide avait été juste avant que Socrate eût dit » ce que c'était que la justice; Léonidas était mort pour » son pays avant que Socrate eût fait un devoir d'aimer » la patrie; Sparte était sobre avant que Socrate eût loué » la sobriété; avant qu'il eût défini la vertu, la Grèce » abondait en hommes vertueux. Mais où Jésus avait-il » pris chez les siens cette morale élevée et pure, dont lui » seul a donné les leçons et l'exemple? Du sein du plus » furieux fanatisme, la plus haute sagesse se fit entendre, » et la simplicité des plus héroïques vertus honora le plus » vil de tous les peuples. La mort de Socrate philosophant » tranquillement avec ses amis est la plus douce qu'on » puisse désirer; celle de Jésus expirant dans les tour- » ments, injurié, raillé, maudit de tout un peuple, est » la plus horrible qu'on puisse craindre. Socrate, prenant » la coupe empoisonnée, bénit celui qui la lui présente

» et qui pleure ; Jésus au milieu d'un supplice affreux, » prie pour ses bourreaux acharnés. Oui, si la vie et la » mort de Socrate sont d'un sage, la vie et la mort de » Jésus sont d'un Dieu.

» Dirons-nous que l'histoire de l'Evangile est inventée » à plaisir? Mon ami, ce n'est pas ainsi qu'on invente ; » et les faits de Socrate, dont personne ne doute, sont » moins attestés que ceux de Jésus-Christ. Au fond, c'est » reculer la difficulté sans la détruire, il serait plus in- » concevable que plusieurs hommes d'accord eussent fa- » briqué ce livre qu'il ne l'est qu'un seul en ait fourni le » sujet. Jamais des auteurs juifs n'eussent trouvé ni ce ton » ni cette morale, et l'Evangile a des caractères de vérité » si grands, si frappants, si parfaitement inimitables, » que l'inventeur en serait plus étonnant que le héros. »

Ergo merito concluditur : ut Dei legatus vel Deo gratissimus est habendus ille vir cujus virtus in se considerata nihil habuit humanæ imperfectionis admixtum, et perfectionis gradum humanæ conditioni impervium attigit.

2° Hæc præstantia et virtus magis etiam e cœlo divinitus oriri videntur, si spectentur circumstantiæ inter quas prodiere. Christus enim, natus in loco humili, sine litteris fuit educatus ; absque omnibus humanis auxiliis ad perfectionem pervenit. Docuit veritates antea ab omnibus ignotas, et morum regulas inauditas. Propriæ nationis et sui sæculi præjudicia contemnens, omnes homines vocat ad lucem veritatis et ad veri Dei notitiam, dum Judæi Deum quasi ipsis solis asservabant; prædicat crucis amorem, paupertatis præstantiam, proximi dilectionem, dum iisdem temporibus omnes voluptatem appetunt, divitias et honores ambiunt, et quotidie præbent exempla animi crudelis et proximi odii.

Ergo tanta virtute et perfectionibus fuit præditus Christus religionis christianæ prædicator ut necessario pronuntiandum sit illum eas a Deo directe tenere, ac proinde esse ipsummet Deum aut saltem Dei legatum ; ergo religio ab eo prædicata inde jure divina dicitur.

§ IV. — De Christi resurrectione.

Certissima est resurrectio Christi, eo ipso quod authentici, veri et integri sint libri Novi Testamenti : attamen cum factum istud gravissimi sit momenti, paulo fusius illud explanare convenit; præcipuum est enim totius religionis nostræ fundamentum, ut ait Apostolus I Cor. xv, 14 : *Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est et fides vestra.*

PROPOSITIO.

Ex resurrectione Christi invicte demonstratur religionem christianam esse divinam.

Prob. 1°. Si Christus revera surrexit, ipsius religio, cunctis fatentibus, certo est divina : atqui Christus vere surrexit : vere enim surrexit si testes ipsius resurrectionem referentes decepti non fuerint, decipere noluerint, et decipere non potuissent etiamsi voluissent : atqui hæc tria suut certissima.

1° *Non fuerunt decepti.* Plurimi enim testes, ad credendum minime proclives, decipi non possunt circa factum sensibile, gravis momenti, quod ipsis multoties, conjunctim et unanimi sensuum testimonio manifestatur : atqui tales sunt testes qui resurrectionem Christi referunt.

— A) Sunt plurimi. I Cor. xv, 4 et seq. : *Christus .. resurrexit tertia die secundum Scripturas, et visus est Cephæ, et post hoc undecim : deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus : novissime autem omnium... tanquam abortivo, visus est et mihi.*

— B) Ad credendum minime erant proclives; ex ipsorum enim narratione constat eos hac de re spem jam abjecisse, et mulieribus resurrectionem factam esse testantibus credere noluisse : *Visa sunt ante illos sicut delira-*

mentum verba ista, et non crediderunt illis, Luc., XXIV, 11; et ejusdem XXIV, 36 : *Dum autem hæc loquuntur, stetit Jesus in medio eorum, et dicit eis : Pax vobis : ego sum, nolite timere : conturbati vero et conterriti, existimabant se spiritum videre. Et dixit eis : Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra? videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum; palpate et videte : quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes. Adhuc autem illis non credentibus et mirantibus præ gaudio, dixit : Habetis hic aliquid quod manducetur?* Et apud Joan. XX, 24 et seq., S. Thomas, qui erat absens quando Christus discipulis primo apparuit, cæteris dicentibus ei : *Vidimus Dominum,* respondit : *Nisi videro in manibus ejus, fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam.* Certe hujusmodi testes ad credendum non erant nimis proclives. — C) Factum quod testantur est sensibile, ut patet ex modo dictis et ex tota narratione; est gravis momenti, ut nemo diffitetur; multoties ipsis fuit manifestatum; Apostolis enim *præbuit seipsum vivum post passionem suam, in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei,* Act. 1, 2; ipsis conjunctim apparuit, *nempe undecim, omnibus Apostolis, et plus quam quingentis fratribus simul.*

— D) Hoc factum unanimi sensuum testimonio fuit comprobatum; Christum namque redivivum sæpe viderunt, audierunt, allocuti sunt, et sanctissimam ipsius carnem propriis manibus contrectaverunt : ergo, etc. Ergo.

2° *Decipere noluerunt.* Illi enim testes merito judicantur decipere noluisse, qui manifestos præ se ferunt sinceritatis characteres; atqui testes resurrectionis Christi manifestos præ se ferunt sinceritatis characteres : *id constat ex dictis* ubi de veritate librorum Novi Testamenti. Præterea, supponi non potest omnes Apostolos casu fortuito sibi consensisse ad decipiendum, fingendo Christum resurrexisse; si enim decipere voluissent, aliquod secum inire debuissent pactum ante vel post mortem

Christi; atqui neutrum dici potest. — A) Non ante mortem Christi, quia Christus hujus fraudis particeps fuisset, quod evidenter repugnat; absurdum est enim illum ignominiosæ morti se devovisse, præcise ut futura ipsius resurrectio prædicaretur. Insuper, sperare non potuisset fore ut discipuli sui imperiti, ignobiles et timidi, tale fictitium dogma insuperabili constantia prædicarent, periculo vitæ et sanguinis effusione confirmarent : aliunde non ita nuntiasset Judæis resurrectionem suam tertia die futuram esse, ultro enim aperiebat eis viam imposturam prohibendi. Ergo.

— B) Nec post mortem Christi. Si enim Christus tertia die, secundum promissionem, non resurrexisset, aperte vidissent discipuli se turpiter ab illo delusos fuisse, nihilque ab eo sperandum; repugnat autem tot homines, ita delusos et nulla spe emolumenti incitatos, consentire ad fingendum factum cujus falsitatem norunt, propter gloriam impostoris a quo fuerunt decepti; repugnat eos factum ab ipsis excogitatum usque ad sanguinis effusionem ita testari, ut ex tot discipulis ac mulieribus nullus fraudem aperiat. Repugnat insuper Christi discipulos in summo gradu omnes habuisse dotes sibi contradictorias : at, si finxissent et prædicassent Christum resurrexisse, dum revera non surrexisset, dicendum foret illos in summo gradu omnes habuisse, etc.; ostendissent quippe in summo gradu simplicitatem et dissimulationem, timiditatem et audaciam, ignobilitatem et animi celsitudinem, fanatismi delirium et altam sapientiam, crassam ignorantiam et exquisitam persuadendi artem, impiam et sacrilegam in cœlos conspirationem et summam in Deum pietatem atque in proximum charitatem; denique fuissent simul monstra perversitatis et prodigia sanctitatis; ergo decipere noluerunt.

3° *Decipere non potuissent etiamsi voluissent.* Decipere enim non potuissent, nisi corpus Christi e tumulo sustulissent; alioquin, ostenso cadavere, fraus eorum statim patuisset : at nulla via Apostoli corpus Christi e tumulo anferre potuerunt; nam conditum erat in monumento in

rupe exciso, cujus ostium lapide claudebatur et publico signatum erat sigillo, ibique præpositi erant milites præcise ne discipuli furarentur corpus et dicerent : *Resurrexit a mortuis*, Matth. xxvii, 64; unde Apostoli illud auferre non potuerunt nisi vi aperta milites vincendo, vel dolo eos aliquo modo decipiendo, vel pecuniis eos corrumpendo, vel subterranea via ad sepulcrum perveniendo : atqui nihil horum dici potest.

— A) Non vi aperta milites vicendo; nam adeo timidi erant ut, apprehenso Domino, statim fugerint, et eum adhuc vivum cum juramento et detestatione negaverit Petrus ad vocem unius ancillæ, licet cæteris constantior videretur : supponi autem non potest tales homines inermes ausos fuisse milites vi aperta debellare, et si id tentassent, certe hoc Judæos non latuisset, frausque statim detecta fuisset. Ergo.

— B) Non per dolum, custodes decipiendo et vigilantiam eorum fallendo; nam ibi positi fuerant custodes ne corpus ab Apostolis subriperetur : magna ergo cum circumspectione invigilare debuerunt. Præterea, nulla fingi potest hypothesis in qua corpus sic per dolum ablatum fuisset : quomodo enim istud contingere potuisset? an dum omnes dormirent? Sed prorsus incredibile est custodes qui speciale mandatum caute invigilandi accipere debuerant, omnes simul correptos fuisse somno, et adeo gravi ut nullus strepitu fuisset excitatus; nam frangendum erat sigillum, ingens revolvendus erat lapis. Insuper tam periculosum opus aggredientes discipuli, quam potissimum festinassent, ac proinde corpus statim abstulissent, nec sudarium solvissent, nec linteamina per ordinem in varias sepulcri partes posuissent. Aliunde, qui tantam adhibuerant curam ne tale accideret furtum, impunitam non reliquissent militum negligentiam et discipulorum fraudulentiam. An dicetur discipulos opium militibus præbuisse sumendum, ut profundiori somno dormirent? At verisimile non est Apostolos, qui præ timiditate fugerant, hoc medium tentasse; incredibile est omnes custodes, sine exceptione et suspicione, soporiferum

bibisse liquorem; si id fecissent, fraudem sibi illatam aperuissent, ut Judæorum animadversionem devitarent. Ergo.

— C) Dici non potest discipulos corpus Christi abstulisse, custodes pecuniis corrumpendo nam erant pauperrimi, et insuper naturali hominum indoli repugnat omnes custodes suo sic defuisse officio, dum religione et præjudiciis tam fortiter oppositi essent Apostolis, et extrema a Judæis pertimescenda haberent. Et certe, tanta infidelitas impunita remanere non debuisset : attamen nullibi legitur talem corruptionem fuisse punitam vel exprobratam, sive militibus, sive Apostolis aut Christianis. Ergo.

— D) Dici non potest eos per viam subterraneam ad sepulcrum pervenisse, et corpus sic abstulisse; sepulcrum enim in petra erat excisum : via ergo subterranea impossibilis erat. Aliunde, spatium unius diei sufficiens non fuisset ad hujusmodi operationem; insuper talis via effodi non potuisset sine gravi strepitu, proindeque visibilis remansisset, et totum artificium aperte patuisset : ergo, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Prob. 2°. Nullo modo suspecti sunt testes qui factum quod narrant veris miraculis confirmant : sed Apostoli resurrectionem Christi narrantes, veris miraculis confirmarunt testimonium suum; dispersi sunt enim per orbem universum, et ubique resurrectionem Christi annuntiabant, ubique vera patrabant miracula, ut ex libro Actuum constat : ergo.

Prob. 3°. Quinquaginta dies post mortem Christi, cœperunt Apostoli prædicare publice et coram omni multitudine illum surrexisse; semper exprobaverunt Judæis quod illum interemissent : *quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis,* Act. IV, 10. Confidenter asserebant principes Synagogæ pecunia induxisse milites ut dicerent se dormientibus supervenisse discipulos, et corpus ejus e tumulo sustulisse; accusatio hæc fuit publica, constans et gravissima; attamen Judæorum principes, sacerdotes, scribæ et pharisæi nihil dixerunt ut accusationem

adeo sibi injuriosam destruerent; vocaverunt duntaxat Apostolos seditiosos, rebelles, blasphemos, templi violatores, legis contemptores : *Comminemur eis ne ultra loquantur in nomine hoc* (Jesu) *ulli hominum*, Act. IV, 17. Tacite ergo confitebantur veram esse resurrectionem, aut saltem nihil peremptorium contra illam se habere dicendum. Ergo.

Plures utilissime legi possunt auctores circa resurrectionem Christi, et in primis *Ditton, La religion chrétienne prouvée par le seul fait de la résurrection de J.-C.*; *West, Observations sur l'histoire et les preuves de la résurrection de J.-C. Sherlock, Les témoins de la résurrection de J.-C. examinés suivant les règles du Barreau; Littleton, Observations sur la conversion et l'apostolat de S. Paul.* Quatuor illi auctores sunt Angli, sed eorum opera citata in linguam Gallicam fuerunt conversa. Utilissime etiam legi possunt opera dicta, *Triomphe de l'Evangile, lettre neuvième; Appel à la raison sur la vérité religieuse, par M. Barthe, ch.* 6.

Solvuntur objectiones.

Minime credendum est Christi resurrectioni nam — a) de ejus morte non constitit; — b) testimonium de ista resurrectione vel nullum vel saltem insufficiens est; — c) Apostolorum narratio scatet contradictionibus, v. g., inter prædictionem juxta quam Christum tribus diebus et tribus noctibus in tumulo fore oportebat, et spatium temporis quo revera mansit in sepulcro; item de hora qua mulieres ad sepulcrum venerunt inter narratores gravis discrepantia apprehenditur; — d) eadem narratio refert circumstantias minime verisimiles, sic timidas mulieres ad tumulum a militibus asservatum accedere, Christum resurgentem, et nunquam Judæis apparentem, ut hoc prodigio de sua divinitate convincat. Unde sic in forma :

Obj. 1° Plures viri docti, inter quos *Paulus et Dam*, Germani, dixerunt Christum non realiter mortuum

fuisse, sed tantum sensibus et animo defecisse (*évanoui*): ergo, etc.

R. 1° *Dist. ant.* Plures quidem dixerunt Christum realiter non fuisse mortuum quando sublatus est de cruce, sed immerito, *concedo;* merito, *nego ant.* Etenim alii viri doctissimi, ut *Volger*, *Triller*, *Bartholinus*, *Eschenbach*, et præsertim ambo *Grüner*, ex seria investigatione et stricta principiorum medicinam respicientium applicatione demonstrarunt assertionem objectam, probationibus destitutam esse et absurdam. Vide *Wiseman*, 5e *Discours*; *Ed. Barthe*, *c.* 6, *etc.*

R. 2° *Nego conseq.* Etiamsi Christus revera non fuisset mortuus quando in monumentum fuit depositus, ibi vivere non potuisset. Præterea, nulla via inde potuisset exire. Aliunde decipi non potuissent Apostoli, repugnat illos decipere voluisse aut potuisse, ut supra ostendimus. Ergo.

Obj. 2° Facta et circumstantiæ quibus probatio nostra ex resurrectione Christi desumpta nititur, a solis referuntur Apostolis : atqui testimonium eorum suspectum est : ergo.

R. Nego min. Hæc enim facta referunt Apostoli tanquam publica et præsentia, has circumstantias describunt tanquam omnibus notas : nullus autem impostor fabulas sic contexeret, nec eas tanta impudentia publice et iteratis vicibus annuntiare auderet, velut certissimas veritates ab omnibus cognitas; si autem adeo insaniret ut fictitias hujusmodi historias prædicaret, in derisum omnium ac ludibrium deveniret, et nemo fidem illi adhiberet : attamen multi ex Judæis fidem adhibuerunt Apostolis resurrectionem Christi annuntiantibus : certum est ergo Apostolos mentitos non fuisse quando publice retulerunt mortem Christi, ejus sepulturam in sepulcro novo, et curas quas adhibuerunt Judæi ne corpus per furtum e tumulo auferretur, etc. Ergo. Si vero Judæi firma quædam habuissent argumenta contra resurrectionem, ea de manu ad manum posteris transmisissent : in cunctis sæculis fraudem et mendacium exprobassent, sicque im-

pediissent ne tale dogma ab omnibus crederetur. Ergo.

Inst. Apostoli in diversas abierunt regiones, sicque unus tantum erit testis resurrectionis respectu gentium: atqui testis unus testis nullus, juxta axioma : ergo resurrectio Christi non erat certo credibilis respectu gentium.

R. — a) Etiamsi resurrectio Christi primum non fuisset credibilis respectu gentium apud quas unus aut alter Apostolus eam annuntiabat, nihil adversum nos sequeretur; quæstio est enim an in se et respectu eorum qui Apostolorum et discipulorum testimonium cognoscunt, revera sit credibilis : atqui demonstravimus illam sic spectatam omnino credibilem esse. — b) Apostoli testimonium suum de resurrectione Christi veris confirmabant miraculis : at testis etiam unicus, qui testimonium suum veris confirmat miraculis, dignus est fide. — c) Ordinarie unicus non erat Apostolus in una regione, sed unusquisque plures secum habebat discipulos. — d) Omnes gentes brevi tempore cunctorum Apostolorum testimonium de resurrectione et aliis miraculis Christi cognoscere potuerunt, sive per communem famam, sive per eorum scripta. Ergo.

Obj. 3° Christus prædixerat, Matth. XII, 40, se tribus diebus et tribus noctibus futurum esse in sinu terræ, sicut Jonas tribus diebus et tribus noctibus fuit in ventre ceti : attamen, juxta narrationem Evangelistarum, Christus non fuit tribus diebus et tribus noctibus in sinu terræ. Ergo.

R. Nego min. Christus enim alibi et pluribus in locis prædixerat quod *tertia die* resurgeret : tres igitur dies et tres noctes de diebus noctibusque integris intelligi non debent; sufficit vero ut tres dies in numero ordinali, prima, secunda et tertia, a sepultura Christi usque ad resurrectionem ejus computari possint : atqui, juxta narrationem Evangelistarum, tres dies in numero ordinali computari possunt; sepultus est enim Christus die veneris, tota die sabbati mansit in tumulo, et die dominica, quæ erat tertia, surrexit. Tres similiter numerari possunt noctes; licet enim per unam noctem physice

sumptam, illud intelligatur spatium quod a vespere ad mane excurrit, in usu communi tamen dies integra a media nocte ad mediam noctem sequentem computatur : in hac autem supputatione, Christus fuit tribus noctibus in monumento sicut et tribus diebus, nempe per integram diem sabbati cum sua nocte a media nocte ad mediam noctem, per mediam noctem ad diem veneris pertinentem, et per aliam portionem noctis dominicæ. Ergo.

Insuper scripserunt Apostoli Christum die veneris mortuum, prima sabbati seu die dominica, de monumento exiisse, et nihilominus affirmant illum tertia die surrexisse; morem supputandi apud Judæos usitatum non ignorabant : ergo dici non potest eos tam aperte sibi contradixisse. Hoc aliunde ipsis non fuit exprobratum a Judæis neque a paganis. Sic quotidie apud nos octo dicitur esse dies ubi septem sunt tantum.

Obj. 4° Testes qui sibi contradicunt nullam merentur fidem : at quatuor Evangelistæ, resurrectionem Christi referentes, evidenter sibi contradicunt ; mulieres enim venerunt ad sepulcrum *vespere sabbati*, juxta Matth. XXVIII, 1 ; *valde mane, una sabbatorum..... orto jam sole*, juxta Marc, XVI, 2; *valde diluculo*, juxta Lucam, XXIV, 1 ; *mane, cum adhuc tenebræ essent*, secundum S. Joan, XX, 1. Ergo.

R. 1° *Dist. maj.* Testes qui sibi contradicunt in ipsamet facti substantia, nullam merentur fidem, *conc.;* qui sibi contradicunt in quibusdam facti circumstantiis duntaxat, *nego maj.* Ubi enim plures testes circa substantiam alicujus facti sibi concordant, testimonium eorum a criticis non rejicitur, sub prætextu quod circumstantias eodem modo non referant; imo testimonium eorum quodam modo inde firmatur, siquidem inde patet illos non esse impostores. Porro quatuor Evangelistæ perfecte sibi consentiunt in referenda resurrectione : etiamsi ergo admitteretur eos in assignanda hora qua mulieres venerunt ad sepulcrum sibi contradixisse, sequeretur duntaxat incertam esse horam qua Christus e monumento surrexit.

R. 2° *Nego min. et ejus probationem.* Dies enim religiosus apud Judæos a vespere ad vesperam computabatur,

sicut dies festivi apud nos a primis vesperis ad secundas in usu ecclesiastico existimantur : dies hebdomadis vocabantur una seu prima, secunda, tertia, etc., sabbati. Unde cum transiisset sabbatum, et incipiente prima die sabbati seu hebdomadis sequentis, quæ est dominica, mulieres emerunt aromata, paraverunt ea, profectæ sunt, et diluculo ad monumentum advenerunt : est autem valde mane quando sol super horizontem incipit apparere, præsertim versus æquatorem, ubi minus sensibile est crepusculum ; imo aliquo modo tenebræ adhuc sunt super terram. Aliunde hæc verba S. Joannis, *cum adhuc tenebræ essent*, intelligi possunt de hora qua profecta est Maria Magdalena. Insuper Evangelistæ non omnes nominant mulieres quæ venerant ad sepulchrum, nec in eodem ordine, fieri potest ut plures diverso tempore advenerint, vel ut eadem pluries continuo iter fecerint ; ergo minime constat Evangelistas sibi contradixisse.

Obj. 5°, Si Christus vere surrexisset, scribis, pharisæis, legis doctoribus et sacerdotibus se ostendere debuisset ut eos convinceret : atqui nedum id fecerit, perhibetur se manifestasse tantum nonnullis mulieribus et suis discipulis : ergo.

R. 1°. *Nego maj.* Christus enim nihil scribis et pharisæis, doctoribus et sacerdotibus debebat : satis erat ut sufficentia illis præstaret motiva credendi : at, licet post resurrectionem ipsis, non apparuerit, sufficientia illis præstitit motiva credendi ; multi enim prædicabant resurrectionem, tanquam factum cujus testes oculati fuerant, splendissima operabantur miracula quibus testimonium suum confirmabant, mortem inter acerbissima tormenta alacriter oppetabant : certe hujusmodi testes fide sunt dignissimi. Præterea quando in causa civili et coram tribunalibus sufficienter producti sunt testes, nemo conqueritur quod alii non fuerint convocati : porro illi resurrectionis Christi testes quos protulimus, ad veritatem istiusmodi facti astruendam sufficiunt : ergo.

Forte etiam dici posset Christum seipsum post glorificationem suam pharisæis, etc., manifestare noluisse,

quia talis manifestatio insigne erat privilegium quo se constituerant prosus indignos. Ergo.

R. 2° *Nego min.* Nam testimonium mulierum et discipulorum, quibus Christus post resurrectionem suam se manifestavit, minime suspectum est: *id est, prima responsione ad majorem, et ex dictis in probatione propositionis, sequitur.* Mulieres enim tam idoneæ sunt quam viri ad factum aliquod sensibile cognoscendum et testandum : testimonium earum admittunt judices in causis criminalibus; quare igitur illud non admitteremus ubi de resurrectionis Christi agitur? Ergo.

Obj. 6° Incredibile est quasdam mulieres ausas esse sepulchrum a militibus caute custoditum et signatum adire; incredibile est pariter milites benigne passos esse, ut illæ ad sepulcrum accederent, omnia inspicerent, libere redirent. Ergo.

R. Nego ant. Nam 1° mulieres ignorare potuerunt lapidem fuisse obsignatum et ibi appositos milites; Joseph ab Arimathæa et Nicodemus prompte ligaverant corpus Jesu, cum aromatibus illud sepelierant, *et saxum magnum ad ostium monumenti* advolverant : mulieres quæ venerant de Galilæa erant præsentes, et *viderunt monumentum et quemadmodum positum erat corpus ejus*, Luc XIII, 55. Postea omnes regressi sunt et *sabbato siluerunt secundum mandatum*, ibid. 56. Altera die post parasceven, principes sacerdotum petierunt a Pilato ut custodiretur sepulcrum, Matth. XXVII, 62 et seq. Ergo.

R. 2°. Ex narratione Evangelistarum, angelus descendit de cœlo ut lapidem revolveret, contremuit terra, fractum est sigillum, apertum est monumentum, egressus est Christus, et sedebat angelus super petram revolutam : *Erat autem aspectus ejus sicut fulgur, et vestimentum ejus sicut nix. Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui,* Matth. XXVIII, 3 et 4; abierunt postea custodes in civitatem et *nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant*, ibid. 11 : ergo custodes jam non erant ad sepulcrum quando huc advenerunt mulieres. Ergo.

§ V. — De excellentia doctrinæ Christi.

PROPOSITIO.

Ex præcellentia doctrinæ Christi demonstratur religionis ejus divinitas.

Prob. Doctrina Christi est sanctissima, et aliunde constat doctrinam tam sanctam non nisi a Deo venire posse.

1° *Est sanctissima.* Spectari potest ex parte dogmatum, ex parte præceptorum, ex parte consiliorum et ex parte effectuum : atqui sub his respectibus summa relucet ejus sanctitas.

— A) *Ex parte dogmatum.* Profundissima enim et lucidissima de Deo affirmat, scilicet eum esse unicum, omnium rerum creatorem, conservatorem, arbitrum et moderatorem, esse potentissimum, sapientissimum, justissimum virtutis remuneratorem, criminis vindicem, nostri amatorem, largum benefactorem, etc. Docet altissima mysteria perfecte concatenata, qualia sunt mysteria Trinitatis, Incarnationis, lapsus hominis, redemptionis, peccatorum remissionis, gratiæ operationis, etc. Ratio humana, admiratione stupefacta, nullam in hujusmodi dogmatibus invenire potest contradictionem. Ergo, etc.

— B) *Ex parte præceptorum.* Sapientissima sunt ipsius præcepta, sive erga Deum quem præcipit adorare, toto corde diligere, fide et pietate colere; sive erga proximum etiam inimicum, quem vult a nobis ita amari, ut illi compatiamur, auxiliemur et omnia charitatis officia præbeamus; sive erga nosmetipsos, jubet enim ut omnia fugiamus vitia, v. g., ambitionem, superbiam, avaritiam, luxuriam, intemperantiam, etc., et cunctas colamus virtutes his vitiis oppositas. Ergo.

— C) *Ex parte effectuum.* Statim enim atque doctrina Christi prædicata et credita fuit in mundo, undique apparuerunt eminentissimæ virtutes huc usque penitus ignotæ, et prodigia fortitudinis, temperantiæ, castitatis,

abnegationis et sanctitatis : unde ipse Plinius Junior, lib. 10, Epist. 87 ad Trajanum, post diligentem de moribus Christianorum inquisitionem, juxta mandatum imperatoris, aiebat : « Soliti statuto die ante lucem con» venire... se sacramento, non in scelus aliquod, obstrin» gere, sed ne furta, ne latrocinia et adulteria committe» rent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abne» garent. » Et Julianus Apostata, in gremio Ecclesiæ educatus, sed infensissimus Christianorum inimicus, sic de moribus eorum loquitur apud Sozomenum, lib. 5, cap. 18 : « Turpe fuerit impios Galilæos, præter suos » pauperes nostros etiam alere ; nostros autem mendicos » nostra ope ac subsidio destitutos videre. » Novimus quid scriptores ecclesiastici de moribus primorum Christianorum scripserint ; ut cunctis postea sæculis semper emicuerunt miranda perfectionis exempla : si vero multi jugiter exstiterint qui suam vitam ad normam Evangelii non composuerint, id tribuendum cupiditatibus, non autem defectui doctrinæ. Ergo, etc.

2° Doctrina tam perfecta *non nisi a Deo venire potuit ;* impossibile est enim hominem a parentibus pauperibus oriundum nullo studio excultum, humanarum scientiarum adminiculo destitutum, talem excogitasse doctrinam sapientia philosophorum adeo superiorem, illam coordinasse, prædicasse et cuncto persuasisse mundo. Aliunde eam ab hominibus non accepit. Ergo. Hinc adhuc *Rousseau :* « L'Evangile a des caractères de vérités si grands, » si frappants, si parfaitement inimitables, que l'inven» teur en serait plus étonnant que le héros. » Hac de materia exquisitum citatur opus in Anglia editum : *Principes fondamentaux de la religion chrétienne, par Hearn,* 1807 : *Nicolas, Etudes philosophiques sur le Christianisme, t.* II, *part.* 2, etc.

Hoc argumentum adversus incredulos directum valet etiam contra Judæos : Judæi enim habent Christum ut ab obcuris parentibus ortum, cultura scientiæ et artium destitutum. Quomodo autem vir hujusmodi suis duntaxat viribus potuisset libros Veteris Testamenti tam perfecte

cognoscere, mirabili eorum doctrinæ novam doctrinam perfectissimam adjungere, eam persuadere? etc.

Obj. Religio christiana jubet, — a) diligere inimicos, reddere bonum pro malo; et prohibet vindictam; — b) præcipit humilitatem, et sic extinguit æmulationem ac stimulum gloriæ qua accenduntur homines et ad magnas incitantur actiones; — c) consulit paupertatem et bonorum hujus mundi contemptum : hoc autem producit ignaviam, commercii destructionem, atque graviter nocet societati; — d) virginitatem et perpetuam continentiam valde commendat, sicque propagationi generis humani, quantum in se est, opponitur : atqui hæc dici non possunt recta et sancta : ergo.

R. Nego min. Ad singula autem respondendum est. Itaque

1° Religio christiana prohibet quidem ne vindicta propria auctoritate suscipiatur, sed recursum ad magistratus ut injuria repellatur vel illata reparetur non prohibet, modo ex odio et vindictæ desiderio id non fiat; *a fortiori* non prohibet ne publici debellentur hostes, et intra justos coerceantur limites, porro interest societatis ut privatæ prohibeantur vindictæ, et proximi ac etiam inimicorum præcipiatur dilectio; id nemo inficiabitur : ergo.

2° Religio christiana præcipit humilitatem, non vero animi demissionem; ingens enim est inter utramque discrimen. Vanæ gloriæ desiderium reprimit, sed animi fortitudinem non ideo frangit : illam potius accendit alia hujus virtutis incitamenta nobiliora et efficaciora suppeditando; docet enim pro patria injuste oppressa vel oppugnata fortiter moriendum esse, et infinitam a Deo propter hanc mortem exspectandam remunerationem; docet principibus obtemperandum; vitam præsentem parvi pendendam, futuram felicitatem toto corde desiderandam esse : qui ergo his stabunt principiis, semper erunt animo fortes et constantes, nec pericula belli, nec ipsam mortem formidabunt. Et revera christiani milites qui in exercitibus infidelium arma gerebant, nunquam ignaviæ

fuerunt accusati, sed e contra virtus eorum plurimis monumentis commendatur. Ergo 2°.

3° Voluntaria paupertas laudatur in Evangelio tanquam perfectio : at simul præcipitur labor, ignavia et otiositas graviter reprobantur. Cuncta bona hujus mundi contemnere debemus, id est paratos esse oportet ea abjicere et perdere potius quam Deum offendere ; tenemur tamen rationabilem de illis curam habere pro circumstantiis in quibus constituimur, et bono publico semper invigilare : atqui, nedum hæc animi dispositio societati noceat, disponit e contra ad memorandos liberalitatis et abnegationis actus, qui semper sunt utiles et aliquando necessarii : ergo.

4° Christus omnibus commendavit virginitatem et continentiam tanquam perfectionem a qua neminem excludere volebat : sed perfecte sciebat non multos hanc perfectionem amplexuros, ac proinde nullum inde oriturum fore societati detrimentum. Ad bonum soaietatis non requiritur numerosior populus, qui aliquando vera est calamitas, nempe ubi sufficientia simul non existunt media quibus omnes convenienter occupari et sibi necessaria acquirere possint ; tunc enim multiplicantur otiosi, vagabundi, fures et latrones, etc. Multo magis ergo bonum societatis exigit ut omnes cives bene sint ordinati, recte educati, moribus integri, probitate conspicui, fidelitate in contractibus commendati, legibus obsequiosi, etc. Virginitas autem et continentia his virtutibus non nocent ; multo e contra qui vitam cælibem ducunt aptiores sunt, saltem ordinarie, ad mores aliorum recte informandos, ut experientia constat.

Præterea, qui perpetuam paupertatem et castitatem profitentur, ut soli Deo sint consecrati, et utilitati hominum addicti, multa facere possunt quæ patresfamilias ne tentare quidem auderent : v. g., S. Franciscus Xaverius, si propriam habuisset familiam regendam, nunquam Evangelium apud Indos, Japones, etc., prædicasset : St. Vincentinus a Paulo nunquam tot et tanta charitatis opera exercuisset, etc. Insuper omnes sacerdotes, minis-

terium sacrum exercentes, multo magis generis humani propagationi inserviunt, vera morum principia persuadendo, quam si singuli suam haberent uxorem.

§ VI. — De mira religionis christianæ propagatione.

Quod religio christiana per orbem celerrime annuntiata fuerit, est factum ab omnibus admissum. Legimus enim in Actibus Apostolorum, ipsos multas in diversis regionibus instituisse ecclesias; B. Paulus, Rom. 1, 8, gratulabatur Romanis quod fides eorum annuntiaretur *in universo mundo*; secundo sæculo, S. Justinus, in Dialogo cum Judæo Tryphone, asserebat confidenter, « nul» lum esse genus hominum, sive barbarorum, sive Græ» corum, sive etiam aliorum populorum, quocumque » nomine appellentur, apud quos non fiant preces Patri » et Creatori omnium per nomen Jesu Christi. » Antea jam dixerat Plinius, in sua Epistola ad Trajanum citata, multos esse Christianos omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque sexus, et addit : « Neque enim civitates tan» tum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius » contagio pervagata est. » In tertio sæculo, Tertull. Apol. cap. 37, imperatorem et senatum Romanum alloquens, sic eos compellat : « Hesterni sumus, et vestra » omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, » conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, » senatum, forum; sola vobis relinquimus templa. » Serie non interrupta omnis generis monumentorum constat magis ac magis numerum Christianorum semper crevisse, et eos tempore Constantini Magni jam numero valde prævaluisse : unde sit

PROPOSITIO.

Divinitas religionis christianæ ex mira ejus propagatione invicte demonstratur.

Prob. Illa religio est divina quæ sic propagari non po-

tuit, nisi auxilio Dei corda hominum pro nutu inflectentis : atqui religio christiana sic mirifice propagari non potuit nisi auxilio Dei ; si quædam enim causæ naturales in illius propagationem influere potuissent, repeterentur vel ex parte doctrinæ quæ annuntiabatur, vel ex parte prædicatorum qui illam annuntiabant, vel ex parte eorum quibus annuntiabatur, vel denique ex parte mediorum quibus utebantur præcones ad illam persuadendam : atqui sub diversis his respectibus nulla causa naturalis propagationi religionis christianæ inservire potuit, sed omnia e contra illi adversabantur.

1° *Non ex parte doctrinæ quæ annuntiabatur.* Hæc enim doctrina proponebat dogmata et mysteria rationi impervia, imo et rationi apparenter valde repugnantia, ut adorare tanquam Deum hominem inopem, obscurum, turpissima morte a suis concivibus damnatum ; austera tradebat morum præcepta, universis cupiditatibus adversa ; præcipiebat divitiarum terræ contemptum, honorum mundi fugam, voluptatum abnegationem, injuriarum condonationem, inimicorum dilectionem, jejuniorum observantiam, totiusque naturæ corruptæ mortificationem. Sublimis quidem est hæc doctrina et seminibus veritatis homini ingenitis valde conformis, ut sapienter observat et luculenter dicit *P. Thomassin*, de Incarnatione : at nihilominus constat homines corruptos ad eam amplectendam naturaliter adduci non potuisse. Præterea, inde sequitur sublimem hanc doctrinam, rectæ rationi et naturæ hominis tam perfecte congruentem, meram non esse fabularum congeriem, sed a Deo omnis veritatis fonte originem ducere. Ergo 1°.

2° *Non ex parte prædicatorum qui doctrinam Christi annuntiabant.* Erant enim duodecim viri pauperes, illiterati, idiotæ, timidi in infima conditione populi nati et educati, vilissimam exercentes artem ut victitarent ; nullis divitiis, nulla eloquentia erant præditi, nulla consideratione inter homines gaudebant : atqui tales præcones naturaliter risum excitare debebant, potius quam persuasionem obtinere : ergo 2°.

3° *Non ex parte eorum quibus doctrina Christi annuntiabatur.* Erant enim Judæi et pagani: atqui Judæi et pagani naturaliter non inclinabantur ad religionem christianam amplectendam, multum vero ipsi opponebantur: nam Judæi addictissimi erant legi Moysis et ritibus suis; Messiam sibi figurabant tanquam principem potentissimum. Ad fides christiana religionem Moysis abrogabat, ritus et traditiones Judæorum reprobabat, hominem ab ipsis velut malefactorem et impostorem morte damnatum proponebat ut Messiam promissum, ut Deum simul et hominem ab omnibus adorandum. Similiter paganis suadendum erat ut tanquam inania simulacra suos abjicerent deos, sua everterent templa, patrum suorum religionem, cupiditatibus faventem, velut superstitionem abnegarent, et alteram profiterentur doctrinam cunctas libidines et cupiditates coercentem, ut quemdam Jesum Nazarenum a Judæis cruci affixum sicut Deum haberent et adorarent: atqui hæc paganis naturaliter placere non poterant. Hinc B. Paulus, I Cor. 1,23: *Prædicamus Christum crucifixum: Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Ergo 3°.

4° *Non ex parte mediorum quibus ad persuadendum utebantur primi Evangelii præcones.* Omnibus enim subsidiis humanis erant destituti, nulla spe boni aut emolumenti temporalis alliciebant homines, nihil in hac vita promittebant sectatoribus suis præter ignominiam, opprobrium, ærumnas, tormenta et mortem; patronos non habebant potentes et principes sæculi, sed e contra infensissimos eos experti sunt inimicos; Apostolorum enim eorumque discipulorum prædicatio omnibus modis fuit impugnata, a Judaismo et paganismo, invidia sacerdotum, perfidia Judæorum, subtilitate philosophorum, eloquentia rhetorum, prudentia politicorum, superstitione populorum, immanitate tyrannorum, omni genere suppliciorum, etc. Christiani atrocissimis persecutionibus istis per trecentos annos ubicumque immaniter fuerunt vexati, et nihilominus ita crevit eorum numerus, ut tandem omnino prævaluerint, et idolorum cultus penitus

cessaverit; ergo 4°, etc.; aliunde, etc.; ergo nulla excogitari potest causa naturalis, etc. Ergo.

Vide opus citatum, *Appel à la raison*; etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Illud divinam esse religionem non probat quod falsis competit religionibus : atqui celeritas propagationis doctrinæ christianæ falsis competit religionibus, nempe paganismo, Mahumetismo, Lutheranismo et Calvinismo : ergo.

R. Dist. maj. Illud non probat, etc., quod falsis competit religionibus eodem modo, *concedo;* diverso modo, *nego maj.* Similiter *distincta minore nego conseq.* Itaque libenter fateor quod celeritas prapagationis non probaret divinam esse religionem christianam, si eodem modo aliis competeret religionibus : sed falsum est illam aliis religionibus eodem modo et sub eodem respectu esse communem; divinam enim esse religionem christianam non ideo concludimus quia celeriter per orbem fuit propagata, sed quia evidens est stupendam ejus propagationem nulli causæ naturali tribui posse : prompta vero aliarum religionum diffusio causis naturalibus tribui potest.

1° Paganismus, nedum sicut religio christiana cupiditatibus adversaretur, illis e contra multum favebat, innatæ hominum propensioni ad libidinem blandiebatur, auctoritate principum nitebatur, etc. Ergo 1°.

2° Mahumetismus pariter multis cupiditatibus et præsertim luxuriæ habenas laxat, et ipsius institutor non persuasione, sed armis et bello illum propagavit : contra vero Apostoli et cæteri religionis christianæ præcones, non bellando et interficiendo, sed moriendo, orbem ad Christum adduxerunt. Ergo 2°.

3° Lutherana et Calviniana religio viis naturalibus suam debuit propagationem; ipsarum enim fundatores et prædicatores erant docti et eloquentes, plures ex principibus et aliis magnatibus habuerunt patronos, præcepta religionis christianæ emolliebant, sicque cupiditatibus

favebant; religiosos et moniales a votis solvebant, his et clericis connubia permittebant, confessionem peccatorum, abstinentiam, jejunia aliaque præcepta naturæ corruptæ importuna sustulerunt; bona ecclesiastica principibus concesserunt : his omnibus causis concurrentibus, non mirum si tam celeriter propagata fuerit illa reformatio. Ergo 3°.

Obj. 2°. Tempore Christi et Apostolorum, orbis erat litteratus, et vanitatem idolorum cognoscere incipiebat : ad Christum ergo naturaliter adduci potuerunt homines, sive propter idololatriæ absurditatem, sive propter perfectionem doctrinæ Christi, sive propter virtutes Apostolorum, sive propter eleemosynas quas elargiebantur Christiani, etc.

R. 1° *Nego ant. quoad secundam partem.* Plurimi quidem in sæculo Augusti erant homines litterati, sed non ideo orbis vanitatem idolorum agnoscebat; multi enim erant philosophi Epicurei qui nihil credebant, nullum colebant deum; sed omnis populus idolis adhuc serviebat, suis antiquis superstitionibus addictus erat, et velut atheos persequebatur eos qui contrarium sentire videbantur. Ergo.

R. 2° *Nego conseq.* Etiamsi enim omnes vanitatem idolorum tunc cognovissent, non idcirco parati fuissent religionem christianam amplecti, ut patet exemplo philosophorum et rhetorum qui difficilius et in minori numero eam amplexi sunt. Etenim qui cupiditatibus solent indulgere, naturaliter non amplectuntur doctrinam quæ eas severe cohibet : porro qui vanitatem idolorum intelligentes, nihil credebant, liberius adhuc cupiditatibus indulgebant : ergo.

Dici autem non potest naturaliter adductos fuisse ad doctrinam christianam propter ejus sanctitatem; hæc namque doctrina multis in punctis captum vulgi superabat et philosophis displicebat, quia superbiam eorum conterebat : unde contra illam totis viribus insurrexerunt. Non propter virtutes Apostolorum : si vera enim non fuissent facta quæ narrabant Apostoli, ut impostores

et delirantes necessario habiti fuissent; si e contra hæc facta sint vera, tunc eorum missio fuit divina. Non propter eleemosynas quas faciebant Christiani : si abundantes enim elargirentur eleemosynas, apud eos igitur nonnulli saltem erant divites qui liberaliter donabant; at illi divites ad religionem sub spe eleemosynæ recipiendæ non adducebantur : ergo.

Obj. 3° Sola plebs ignobilis et imperita primum religionem christianam suscepit, ut ipse dicit Apostolus, I Cor. I, 26 : *Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles :* atqui solus amor novitatis potuit hanc plebem ad religionem christianam impellere : ergo.

R. 1° *Nego maj.* Ipse enim Christus, dum in terris degebat, plures habuit discipulos conditione, genere et doctrina conspicuos, Nicodemum scilicet, Judæorum principem, regulum Capharnaiticum, Jairum Synagogæ principem, Lazarum et sorores ejus, Zachæum publicanorum principem, Centurionem qui divinitatem Christi morientis confessus est, Josephum ab Arimathæa nobilem decurionem, et plures alios sic generatim indicatos apud Joan. XII, 42 : *Ex principibus multi crediderunt in eum.* Paulo post mortem Christi innumeri doctrinam ejus amplexi sunt, tum ex Judæis, tum ex gentilibus; inter eos autem multi erant docti et nobiles, ut SS. Clemens, Ignatius, Irenæus, Cyprianus, ut Arnobius, Athenagoras, Origenes, Tertullianus, etc. Ergo.

R. 2° *Nego min.* Nam plebs ignobilis et imperita multo magis suæ religioni, suis consuetudinibus suisque moribus adhærere solet quam viri nobiles et docti; et, licet novitatis ordinarie sit amans, non libenter tamen ad ea fertur quæ ipsius præjudiciis, cupiditatibus et commodis temporalibus opponuntur : atqui religio christiana præjudiciis, cupiditatibus et commodis temporalibus plebis ignobilis, sicut eruditorum et nobilium, erat opposita : nihil namque plebs poterat exspectare nisi vexationes, gaudiorum profanorum privationes, supplicia et mortem : ergo.

§ VII. — De numero et fortitudine martyrum.

I. Quid martyr et martyrium. — *Martyr* idem est ac testis ; martyrium igitur et testimonium sunt quid unum et idem. Christus suis Apostolis et discipulis mandaverat ut post mortem suam et acceptam virtutem supervenientis Spiritus sancti essent sibi testes : *Eritis mihi testes in Jerusalem et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ.* Act. I, 8.

Hinc Petrus et Paulus, Jacobus et Stephanus aliique Christi præcones apud Judæos et Gentiles de Christo testificati sunt, et testimonium istud seu *martyrium* sua morte signaverunt.

Sublata vero generatione prima Christi discipulorum, alii prodiere qui item testes sese exhibuere de Christo, ejusque religione ; qui item effuso sanguine suum obfirmaverunt testimonium seu martyrium. Unde ex eo tempore inductus est usus quo vocantur *martyres* qui in odium Christi morte afficiuntur, et martyrium eorum supplicium. — *Confessores* vero, ex more usurpato, dicuntur, qui coram hostibus infensis religionem profitentur, qui pro ea jam patiuntur, et licet mors non subsequatur, ad eam patiendam libenti animo sunt parati.

II. Argumentum ex numero et animo martyrum. Omni ætate ab incunabulis christianæ religionis usque ad hodiernum tempus semper hic aut illic prodiere Martyres qui fortiter Christum confessi sunt, ac pro tuenda fide christiana vitam effuderunt. At nunquam istud prodigium majori luce resplenduit quam tribus prioribus Ecclesiæ sæculis, quum in eam Imperii Romani vis tota ruit ; itaque attentis his solum temporibus statuitur ac probatur sequens

PROPOSITIO.

Divinitas religionis christianæ ex numero et fortitudine martyrum demonstratur.

Prob. Mors et supplicium tot christianorum, qui tribus prioribus Ecclesiæ sæculis pro tuenda fide christiana sanguinem suum fuderunt est miraculum portentosum in ordine morali, ergo inde demonstratur religio christiana.

Mors et supplicium, etc..... est miraculum portentosum; id enim constat. 1° *Ex numero et conditione eorum :* Equidem innumeri homines, duodecim quippe millia millium, juxta communiorem sententiam, omnis ætatis, viri et mulieres, juvenes et virgines, docti et indocti, divites et pauperes, quorum plerique in primis Ecclesiæ sæculis exstiterunt, mortem probrosam et crudelem pro fide Christi servanda subierunt : atqui factum istud, numero solum martyrum attento, est miraculum.

2° *Ex tormentorum specie :* horret enim animus meminisse suppliciorum quæ in eos exercebantur; omnes historici scriptores, ipsique pagani, commemorant cruces, equuleos, pectines, ungues ferreos, fustes plumbatos, picem bullientem, plumbum liquefactum, prunas ardentes, ferra candentia, bestiarum dilacerationes et quidquid crudelitatis malitia hominum excogitare potuit.

3° *Ex modo patiendi :* Christiani, etiam debiliores, mulierculæ et teneræ virgines erant placidi, tranquilli; alacres; pro tortoribus orabant, dicentes cum beato Stephano : *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Act. VII, 59.

4° *Ex effectu persecutionum :* nedum tanta crudelitas homines a christiana religione averteret, eos e contra quasi allicielat; pullulabant ubique Christiani : unde hæc famosa Tertulliani verba : *Semen est sanguis Christianorum.* Apol. cap. 48. Accerrimæ autem hujusmodi persecutiones per trecentes annos duraverunt. Quis autem bona fide negare poterit tam mirandam constantiam inter tot hor-

renda supplicia opus esse divinum ac verum miraculum ?

5° *Ex motivo tantæ constantiæ.* Equidem Christiani tot et tanta supplicia non passi sunt cæco furore, ignorantiaque fanatica pressi. Etenim religioni Christianæ adhærebant, et circa ejus divinitatem falli non potuerunt ; non potuerunt enim falli circa illius religionis divinitatem, nisi defectu examinis, vel defectu mediorum ad ejus divinitatem cognoscendam idoneorum : atqui neutrum dici potest.

— a) *Non defectu examinis.* Repugnat enim tot hominum millia leviter et sine examine aliquam gravis momenti amplecti opinionem ; multo magis repugnat eos crudelem patienter et voluntarie subire mortem pro tuenda opinione temeraria et absque sufficienti motivo adoptata. Ergo.

— b) *Non defectu mediorum,* etc. Nam religio christiana divina est si vera sint facta miraculosa quibus nititur ; atqui multi saltem ex martyribus facile cognoscere potuerunt vera esse facta quibus religio christiana nititur ; illa enim facta supponuntur publica, diuturna et sæpissime iterata, multi autem martyres illorum fuerunt testes oculati aut coævi. Ergo, etc. ; aliunde, etc. Ergo, etc. Unde *Pascal, Pensées,* cap. 28 : « Je crois volontiers les » histoires dont les témoins se font égorger. » Vide *Ed. Barthe, Appel, etc.*, cap. 10.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Nec defectu mediorum veritati detegendæ idoneorum, nec defectu examinis, sed fanatismo forsitan abrepti, decepti sunt martyres : ergo ex eorum numero et fortitudine non probatur, etc.

R. Nego ant. Constantia enim qua martyres oppetebant mortem placida et tranquilla erat, per tria sæcula perseveravit, et etiam nunc perseverat in Ecclesia, in omnibus conditionibus inventa est, apud divites et pauperes, doctos et indoctos, juvenes et senes : porro hujusmodi

determinatio tam constans, tam placida et tranquilla, fanatismo non tribui potest ; fanatismus enim est quædam delirii species quæ mentem absque motivis et contra rationem abripit : at perabsurde diceretur constantiam martyrum quamdam fuisse delirii speciem; quis enim credet tot viros, quorum opera propter sapientiam et eloquentiam nunc demiramur, vere fuisse delirantes? Ergo.

Obj. 2° Fieri potest ut martyres ex desiderio vanæ gloriæ mortem oppetierint, nempe ut celebre acquirerent nomen apud posteros. Ergo.

R. Nego ant. Nam — a) in primis Ecclesiæ sæculis probrosum et indecorum erat in mundo nomen Christianum, vanæ gloriæ igitur cupido ad illud desiderandum impellere non poterat. — b) Pauci admodum inveniuntur qui pro vana obtinenda gloria mortem libenter subeant. — c) Martyres nullo modo sperare poterant fore ut nomen suum celebre esset apud posteros; non ignorabant multos saltem ex iis qui pro fide Christi sanguinem effundebant, oblivioni tradendos esse. Ergo.

Obj. 3°. Paganismus Mahumetismus et diversæ hæreses suos etiam habent martyres : ergo ex numero et fortitudine martyrum nihil concludi potest in gratiam religionis christianæ.

R. Dist. ant. Suos habent martyres, sed multum est discrimen ipsos inter et martyres religionis christianæ in genere, *concedo*; et nullum est discrimen, *nego ant.* Nam — a) pauci sunt eorum martyres, nostri vero sunt innumeri; — b) pro opinionibus speculativis, in quibus facilis est illusio, moriebantur; nostri autem, præsertim in primis Ecclesiæ sæculis, pro asserendis factis publicis, sensibilibus, iteratis, circa quæ decipi non potuerant, mortem oppetebant ; — c) multi ex martyribus Judaismum et Paganismum deseruerant, ut fidem Christi amplecterentur, sicque pro nova religione moriebantur, quod saltem de plerisque falsarum religionum martyribus dici non potest : ergo ingens datur discrimen, etc.

Inst. Plerique martyres non fuerunt testes factorum quibus veritas religionis christianæ nititur, ac proinde

pro opinione speculativa moriebantur : ergo eorum testimonium non plus probat in favorem religionis christianæ quam testimonium aliorum in gratiam falsarum religionum.

R. Nego ant. Nam — a) multi fuerunt testes oculati sive miraculorum Christi, sive miraculorum Apostolorum, sive effusionis Spiritus sancti aliorumque prodigiorum ; alii fuerunt testes coævi, et facile cognoscere potuerunt prædicta facta esse vera : atqui tales testes omnimoda fide sunt digni. — b) Qui deinde a falsis religionibus ad Christum conversi sunt stricto examini subjecerunt facta quibus veritas religionis christianæ nititur, et similiter multi ex iis qui in Christianismo nati sunt sedulo fundamenta suæ fidei discusserunt : sic utrique plenam acquisierant certitudinem de existentia illorum factorum ; his ergo factis testimonium vere reddebant, quando pro tuenda fide christiana supplicia tolerabant et sanguinem fundebant. — c) Tot millia millium puerorum, juvenum, virginum, mulierum, senum, etc., tam crudelia et acerba tormenta tanta fortitudine et patientia naturaliter sufferre non potuerunt : in eis ergo divina agnoscenda est operatio.

Nobis adhuc objiciuntur incredibiles Brahmanum apud Indos et Dervicharum apud Turcas austeritates, quæ morte longe sunt acerbiores. Sed in illis manifesta apparent insulsitatis et fanatismi signa, et aliunde motivis humanis inspirari possunt, v. g., fama inde apud populum oriente, pecunia quæ sic acquiritur, facilitate libidinibus sub velo sanctitatis securius indulgendi, etc. Idem dicendum est de mulieribus quæ in India vivæ cum marito mortuo comburuntur ; ad hanc enim combustionem a parentibus defuncti coguntur, et illam refugere non possunt quin perpetuam et intolerabilem sibi acquirant infamiam : atqui hujusmodi austeritates et supplicia nullo modo cum testimonio martyrum nostrorum comparari possunt, ut patet : ergo.

Obj. 4° Plurimorum nefandorum criminum accusati sunt primi Christiani, v. g., infanticidii, comestus carnis humanæ, incestus, odii erga imperatores, et seditionis :

ergo non mirum est si tanta severitate eos insectati sint principes et magistratus.

R. Dist. ant. Plurimorum accusati sunt nefandorum criminum, sed non fuerunt convicti, *concedo;* et fuerunt convicti, *nego ant.* Equidem rumore quodam identidem sparso, pluries dictitarunt pagani Christianos horrendorum scelerum esse reos; id concludebant ex imperfectis quas habebant notionibus mysteriorum nostrorum, præsertim sacrifici Missæ et Eucharistiæ, ex eo quod viderent eos ordinarie tempore noctis convenire, et ex absurdis principiis et perversis actionibus quorumdam hæreticorum qui sub generali nomine Gnosticorum designati sunt. At nunquam veri Christiani prædictorum convicti sunt criminum, alioquin edicta imperatorum adversus eos lata et sententiæ judicum mentionem de hujusmodi criminibus facerent. Solumodo quærebatur a martyribus an essent Christiani; quod si confiterentur, ad mortem mittebantur : si vero Christum abnegarent, statim liberi fiebant : principes ergo et magistratus nullo modo persuasum habebant eos nefandorum criminum esse reos.

Nusquam autem rebellionis erga principes serio fuerunt accusati, nisi eo sensu quod legibus et mandatis contra jus divinum naturale aut positivum parere recusarent; in cæteris vero promptum imperatoribus præstabant obsequium : at in ea agendi ratione nulla est seditio vel rebellio, nisi dicatur principibus aliquid evidenter contra jus divinum præcipientibus obediendum esse; quisquis autem rectam consuluerit rationem, nunquam id affirmare audebit. Ergo.

Præterea, si martyres seditiosi et rebelles fuissent, legio Thebana, quæ 6,600 bellatores complectebatur, vim injustam sibi illatam repulisset, nec tanta patientia crudelem mortem subiisset : fortissimi illi milites non ultro, depositis armis, se trucidandos obtulissent. Insuper Tertull. in Apol. cap. 37, scribens ad senatum Romanum, asserit Christianos tanto tunc esse numero, ut ipsum imperium facile evertere possent, si arma contra suos persecutores suscipere vellent : nunquam tamen id tentarunt,

licet immanissimis vexati tormentis. Nullibi denique legitur in historia Christianos fuisse rebelles; semper e contra in exercitibus, sicut in aliis publicis officiis, fidelissimos erga principes se præstiterunt. Ergo.

CONCLUSIO.

Multipliciter igitur divinitas religionis christianæ demonstratur. Si autem unumquodque ex eis quæ protulimus argumentis seorsim sumptum sit invictum, et plenam animi convictionem obtineat, quanto majorem omnia simul juncta pariunt certitudinem? Sese enim corroborant, mutuam vim sibi præstant, intellectum magis ac magis illuminant et firmiorem mentis adhæsionem suadent : unde, quicumque bona fide hæc omnia fidei nostræ fundamenta attente considerat et sedulo pensat, clarissima luce undique coruscante velut perfunditur, et statim in hæc Psalmistæ verba ex intimis præcordiis erumpit : *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*, Ps. XCII, 5.

TRACTATUS

DE ECCLESIA CHRISTI.

I. Hujus tractatus objectum et divisio. — In præcedenti Tractatu nostro demonstravimus solam religionem christianam esse veram et divinam, solamque admittendam : omnes igitur homines tenentur, quantum in se est, eam cognoscere et amplecti.

Qui autem eam profitentur in varias dividuntur societates, quæ plurimis in punctis sibi contradicunt : earum igitur doctrina æqualiter vera non est, quia Deus non potest revelare falsum : unde vel omnes a vera Christi doctrina recesserunt, et in errorem plus minusve impegerunt; vel unica ex illis genuinam Christi doctrinam in sua integritate servat. Apertissimam hanc veritatem nemo inficiatur. Maxima ergo cum diligentia a nobis investigandum est an vera Christi doctrina in sua integritate adhuc existat, quomodo a diversis erroribus circa illam existentibus secerni possit et cognosci debeat, ad salutem consequendam.

Postea, vera Ecclesia in tuto reposita, et a quacumque usurpatione distincta, maximi interest ut inquiratur quænam constitutio interna et socialis ei a Christo Domino data fuerit.

Itaque in duplicem partem præsens tractatus distribuetur. Prior erit de notione in genere, et inquisitione veræ Ecclesiæ; posterior de ejus constitutione.

II. De argumentis in hoc tractatu adhibitis. — Notan-

dum est quod, decurrente hocce tractatu de Ecclesia, præter rationem theologicam, argumenta præcipua haurientur tum ex Scriptura Sacra, tum ex Traditione. In præcedenti tractatu Sacræ Scripturæ divinitatem demonstravimus, et ideo ex ea apte firmissimæ desumuntur rationes. De Traditione fusius in tractatu *de Fide* videbitur. Hic vero in memoriam revocare liceat SS. Patres ex quibus præcipue Traditio texitur apprime haberi posse saltem ut doctores et ut testes doctrinæ suis temporibus vigentis, et sub hoc respectu maximam eorum testimonio adhibendam esse fidem.

PARS PRIOR.

DE NOTIONE ECCLESIÆ IN GENERE ET DE EJUS INQUISITIONE.

Hujus partis tria erunt capita : 1^um^ instituetur de notione Ecclesiæ in genere; 2^um^ de notis veræ Ecclesiæ; 3^um^ de notarum applicatione.

CAPUT PRIMUM.

DE NOTIONE ECCLESIÆ IN GENERE.

Ut in titulo indicatur, in hoc primo capite de Ecclesia quædam elucidabuntur notiones generales e quibus subsequens materia vim et splendorem mutuabitur. Dicetur in triplici articulo, de origine Ecclesiæ, — de ejus natura, — ac de necessitate ei adhærendi.

ARTICULUS PRIMUS.

DE ORIGINE ECCLESIÆ.

De duplici Ecclesiæ origine, juxta duplicem ejus aspectum. — Quæritur in hoc præsenti articulo quando existere inceperit religio vel Ecclesia Christi. Ut quæstioni præpositæ satisfaciat, respondendum est diverso modo intelligi posse Christi Ecclesiam : Ecclesia intelligi potest *sensu stricto* scilicet sub forma determinata, præcisa et perfecta quam accepit a Christo, Dei filio, quum ad hoc opus in terris descendit, et cum hominibus, homo ipse, conversatus fuit. *Sensu* verum *lato*, Ecclesia considerari potest velut *Societas fidelium Deo servientium sub Christo capite*. Ad hanc societatem pertinent quicumque in Christum crediderunt, in Christum speraverunt, et per Christum salvi fiunt.

Porro in hoc posteriori sensu lato intellecta, Ecclesia incepit ante natalem Christi, viguitque tempore legis naturalis, et legis Mosaicæ, ab eo momento quo Deus protoparentibus lapsis mediatorem futurum promisit, et per hunc mediatorem salutem æternam. Sub sensu stricto considerata, id est tanquam nunc existit, ut societas perfecta, prædita doctrinis explicitis ad fidem, variis potestatibus ad regimen, sacramentis et cultu divino ad communicationem Dei et ejus gratiarum, Ecclesia ad adventum Christi respicit et ab hoc tempore existere incepit. Unde ad majorem explicationem utraque origo sub utroque respectu consideranda est in duplici sequenti paragrapho.

§ I. — De primæva origine Ecclesiæ Christi et ejus vigore sub lege naturali et lege scripta.

PROPOSITIO.

Ecclesia Christi, seu cœtus fidelium in Christo credentium, prima Christi redemptoris promissione incepit nec abhinc desinit exstere.

Prob. 1° *Ratione theologica.* Ut Ecclesia Christi coalescat, ut jam diximus, requiritur et sufficit ut Christus sive explicite sive implicite noscatur, et per illum spes redemptionis foveatur, et obtineatur æterna felicitas; atqui a protoparentibus usque ad adventum Christi, sive temporibus legis naturalis sive legis scriptæ, Christus magis ac magis fuit notus, exspectatus, dilectus et etiam implicite divino cultu honoratus.

A) *Sub lege naturali.* — Protoparentes, uti in decurrente Gratiæ tractatu demonstrabitur, a primo existentiæ momento, supernaturalibus prædiți muneribus, cum Deo mirabili utebantur commercio quod sub nomine *religionis* indicari potest. An Christus jam fuerit istius religionis institutor, centrum et mediator, hic non est inquirendum. Sed extra dubium situm est quod, generis humani capite in culpam lapso, qualecumque commercium inter ipsum et Deum jam existere desierit, et hoc fœdus nunquam iniri potuisset iterum, nisi Deus ipse misericordissimus hocce suscepisset opus. — At Deus hominum posteritati promisit in futurum liberatorem a quo omnia a ruina ad salutem erigerentur. Hinc per istum liberatorem relationes inter Deum et hominem de novo sancitæ sunt; hinc per istum mediatorem, scilicet Christum, et in Christo nova religio Christiana instaurata est et jam vigere cepit, et in futurum et usque ad consummationem sæculi et ultra, *societas fidelium Deo servientium sub Christo capite.*

Ad qualemcumque religionem pertinent fides, præ-

cepta moralia, cultusque Deo debitus. Porro in primæva ecclesia hæc omnia reperies. Fides pro objecto quasdam amplectebatur veritates, id est, Dei unici et summe providentis existentiam, hominis e nihilo creationem, ejus lapsum, vitam futuram, in æternum ad malorum pœnam et bonorum præmium duraturam, ac præsertim huncce liberatorem ad quem omnis spes salvationis respicit, qui est fons et origo totius justitiæ et religionis. — Præcepta moralia non alia fuere ab initio nisi ea quæ in propria natura sua reperiit homo insita, et ideo vocantur lex naturalis, — Cultus et ipse probabiliter non alius fuit nisi naturalis reverentia erga supremum dominum exterius expressa, timor pro justitia, et quædam precationes ad summum benefactorem.

Mox hæc elementa religionis creverunt. Sic Abel justus, primus omnium, signo sensibili piisque sacrificiis Deo placuisse videtur. — *Abel obtulit de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum. Et respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus.* (Gen. IV. 4). His actibus religionis, in quibus summe constituitur cultus Deo exhibendus, et maxima erga ipsum pietas, meruit Abel haberi ut Ecclesiæ institutor. Sic docet S. Gregorius Magnus, hom. XIX in Evang. : « Ecclesiam incipere ab Abel justo usque ad ul- » timum electum. »

In primordiis cultus erat quasi individuus. Enos autem videtur cœtus hominum instituisse et in Ecclesiam eos congregare cepisse ad publicas preces, ad publicum cultum, per sacrificia, aliosque ritus et cæremonias, ita ut dicatur merito S. Ecclesiæ visibilem formam dedisse. (Corn. a Lap. in v. 24, cap. IV, Gen.) — Cum autem homines in prava declinarentur, ne Ecclesia periret, et Christi venturi memoria e terris evanesceret, et simul rueret religionis fundamentum, hanc fidem servavit Deus primum in familia Noe, et post diluvium, invadente idololatria, in familia Abrahami, Isaac et Jacob. Diversis modis, beneficiis multiplicibus, ac præsertim solemnibus promissis, hanc Christi liberatoris, ducis et capitis in quo omnes benedicendæ sunt gentes,

renovavit et ampliavit. Ergo jure dicitur, temporibus legis naturalis fuisse quosdamhomines pie et religiose viventes sub Christo capite, in Christum sperantes, per Christum merentes, et cum Deo acceptabili commercio utentes; ergo his temporibus jam existebat Ecclesia sensu lato intellecta.

B) *Sub lege scripta.* Si jam Ecclesia Christi tempore legis naturalis vigebat, a fortiori pronuntiandum est eam viguisse tempore legis Mosaicæ. Populus Hebræus specialiter a Deo conditus fuit, auxiliantibus multis miraculis, ut sanctæ traditiones asservarentur illæsæ, ut cultus Deo debitus semper exhiberetur, ut præsertim spes in salvatorem multis modis enutrita nodus esset et centrum et fons divinæ religionis. — Ad hanc asservandam fidem, providentia mirabili Deus gentem hebræam prosecutus est ne, ab inimicis exagitata, periret; ne in ipsius mente, ad pravitatem et errores proclivi, sanctæ notiones evanescerent. — Præterea, Deus leges et formam cultus instituit in quibus vivit Christus futurus, ad quem omnia prospiciunt, quem cæremoniæ adumbrant, quo attento, solummodo, sacrificia valent. His omnibus, quæ videnda sunt evoluta in præcedenti tractatu, non solum idea Christi servabatur, sed et Christus magis ac magis notus fiebat. — Tandem quid dicemus de prophetis quos Deus suscitavit tanquam sui filii præcones, qui anhelantes liberatorem Israel, spem in eum sermone igneo fovebant, qui describebant fideliter ejusdem characteres, virtutes, vitam futuram, mortem, triumphum et ipsius Ecclesiæ gloriam?

Ergo, ante natalem Christi, multi homines Christum noverunt, in eum speraverunt, per eum Deo servierunt et salutem adepti sunt, ac proinde sub Christo capite veram efformarunt Ecclesiam.

Prob. 2° *Auctoritate.* Istam veritatem testimoniis illustrare juvat. Legatur imprimis caput XI Epist. B. Pauli ad Hæbræos. Diserte docet Euseb., Hist. 2, Lib. cap. IV. Christianos non esse a recenti tempore ortos, sed omnibus temporibus fuisse : « Verum, inquit, tametsi

» absque controversia novelli sumus, et hoc novum certe » Christianorum nomen nuper omnibus innotuit; sectam » tamen rationemque vivendi non recens a nobis compo- » sitam, sed jam inde a primo, ut ita dicam, conditu ge- » neris humani, ex notionibus a natura insitis, ab homi- » nibus Deo acceptis, institutam atque excultam fuisse sic » demonstrare conabimur. » — S. Augustinus, diversis locis, ac summe his verbis eamdem perhibet doctrinam : « Ecclesiam accipite, non his solis qui post Domini adven- » tum et nativitatem esse cœperunt sancti; sed quotquot » fuerunt sancti, ad ipsam Ecclesiam pertinent. » — Juxta Tertullianum, ex prima hominis e limo formatione, Christus incipit esse maximum fidei et religionis objectum. « Quodcumque, ait concise et belle doctor citatus, » quodcumque enim limus exprimebatur, Christus cogi- » tabatur homo futurus. »

Hinc Bossuet his verbis eloquentiam redolentibus antiquitatem Ecclesiæ Catholicæ merito illustravit. « Quelle » consolation aux enfants de Dieu ! mais quelle convic- » tion de la vérité, quand ils voient que d'Innocent XI, » qui remplit aujourd'hui si dignement le premier siége » de l'Eglise, on remonte sans interruption jusqu'à » saint Pierre, établi par Jésus-Christ, prince des Apô- » tres ! D'où en reprenant les pontifes qui ont servi sous » la Loi, on va jusqu'à Aaron et Moïse; de là jusqu'aux » patriarches et jusqu'à l'origine du monde !

» Quelle suite, quelle tradition, quel enchaînement » merveilleux ! Si notre esprit naturellement incertain et » devenu par ses incertitudes le jouet de ses propres rai- » sonnements a besoin dans les questions où il y va du » salut, d'être fixé, déterminé par une autorité certaine, » quelle plus grande autorité que celle de l'*Eglise Catho-* » *lique*, qui réunit en elle-même toute l'autorité des » siècles passés et les anciennnes traditions du genre hu- » main jusqu'à la première origine. Ainsi la société que » Jésus-Christ, attendu durant tous les siècles passés, a » enfin fondée sur la pierre, et où saint Pierre et ses suc- » cesseurs doivent présider par ses ordres, se justifie

» d'elle-même par sa propre suite et porte dans son éter-
» nelle durée le caractère de la main de Dieu... » *Discours sur l'Histoire Universelle, 2e partie, chap.* 21.

§ II. — De Ecclesia quatenus a Christo oritur.

Ex evoluta nuperrime doctrina apertum est Ecclesiam, decurrentibus sæculis, sub diversis formis exstitisse. Tempore legis naturalis habemus eam sub umbra obscura, in lege Mosaica figuram et imaginem; ab evangelio autem, umbra evanuit, figura et imago rebus repræsentatis locum dedere, ita ut hæc evolutio comparari possit infantiæ, adolescentiæ et ætati virilitatis perfectæ. Nunc exponendum est quod Christus istam ætatis perfectæ naturam et virilitatis dederit Ecclesiæ, illamque instituerit sub forma perfecta et permanenti, donec post sæcula, justis cum Deo regnantibus in cœlis, in æternum sit consummata. Ob elucidiorem explicationem, in duplici propositione probandum sit Christum instituisse Ecclesiam, et ejus institutionem sub eadem forma perfecta usque ad finem mundi duraturam.

PROPOSITIO PRIMA.

Christus instituit Ecclesiam.

Prob. 1°. Christus instituit Ecclesiam, si homines vocaverit in societatem sub regimine cujusdam ministerii gubernandos, et in ea societate dogmata, præcepta cultumque e quibus efformatur religio instituerit : atqui hæc omnia patent.

— A) *Homines vocavit in societatem religiosam sub regimine quodam gubernandos ;* frequenter etenim comparat opus suum, id est Ecclesiam, regno, civitati, familiæ, ovili, operariis in agro laborantibus, quæ omnia supponunt conjunctionem membrorum. — Ministerium instituit, scilicet plures sibi adjungit discipulos, quibus

pluries potestatem propriam subministrat : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Joan. xx, 21.— Inter hos Apostolos primatum quemdam erigit : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matth. xvi, 18. — His ministris obedientiam præcipit : *Qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit.* Luc x, 16.— Ac tandem hæc societas et potestas conditæ sunt ad supernaturalia et religionem, cum ipse Christus declaraverit suum regnum non esse de hoc mundo.

— B) *Fidem seu dogmata credenda tradidit Christus Ecclesiæ.* Turbam ad suos sermones attentam, ac præcipue suos discipulos multa docuit de Deo, de seipso, de sua Ecclesia ; ac præsertim certum est quod per tres annos in colloquiis privatis Apostolos instituerit; certum est etiam quod hæc documenta mentem eorum superassent; sed Spiritu sancto illuminante, clara et viva fieri debebant, ut ipse Christus monuit : *Adhuc multa habeo vobis dicere. sed non potestis portare modo, quum autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Joan. xvi, 12. Istæ Christi institutiones, sive scriptæ, sive per traditionem servatæ efformarunt in Ecclesia thesaurum divinæ scientiæ et fidei christianæ objectum. — Hæc fides ad Apostolos fuit tradita, ut per eos societas christiana ejusdem fidei fiat particeps : *Docete omnes gentes, docentes eos servare quæcumque mandavi vobis.* Matth. xxviii. — Et tandem hæc fides a Christo fuit commendata ut omnino ad salutem necessaria : *Qui non crediderit condemnabitur.* Matth. xvi.

— C) Christus inter sua documenta et instructiones sæpissime *præcepta moralia* illustravit, et virtutes commendavit, pietatem et confidentiam erga Deum, charitatem erga proximum, ac summe docuit omnia opera esse vivificanda interna et pura intentione. Præterea nitidissima præbuit sanctitatis consilia, paupertatis, modestiæ, demissionis, mortificationis, quibus attentis, homines ad summum perfectionis gradum pervenire possunt.

— D) *Ad cultum etiam respexit ;* quamplurimum orare semper et non deficere commemoravit, docuitque for-

mam precationis externam et sublimem omnibus notam. Formam cultus instituit tradens substantiam et formam sacramentorum quæ sunt ut fontes gratiæ in Ecclesia, et viæ quibus directa communicatio fit inter Deum et homines; nec dubium est quin et tradiderit ritus præcipuos et cæremonias quibus Deo cultus dignissimus exhibetur.

Ergo omnia quæ ad Ecclesiam pertinent Christus instituit, ergo instituit Ecclesiam.

Prob. 2°. Neminem fugit immediate post Christi ascensum exstitisse societatem quamdam religionis a synagoga diversam, et sub nomine Ecclesiæ jam designatam; sic dicitur post mortem Stephani, magnam in *Ecclesia* arsisse persecutionem; et Saulum devastasse *Ecclesiam*; Act. Ap. VIII, 1, 3. Hæc Ecclesia Christum prædicabat, et a Christo provenire profitebatur: *Ego accepi a Domino, quod et tradidi vobis.* I ad Corinth. XI, 23; quæ mox Christiana vocata est ut origo magis præluceret; quæ tandem ab omnibus, Judæis et Paganis habita est tanquam a Christo orta. Innumeris monumentis id constat, et aliunde nimis notum ab omnibus ut in hoc immoremur. Ergo Christus Ecclesiam instituit.

PROPOSITIO SECUNDA.

Christus instituit Ecclesiam sub forma perfecta a qua non recedet in terra.

Explicatur propositio. — Christus instituendo Ecclesiam, non equidem primum dedit formas diversas et explicitas, sub quarum aspectu visa est per decursum temporis; lineamenta tantum principalia depinxit, et principia generalia posuit e quibus omnia evolvenda erant velut e radice : nihil igitur sive quoad fidem, sive quoad disciplinam post Christum fuit sancitum et expressum, nisi quod ex ejus revelatione et institutione ortum fuerit. Itaque in propositione enuntiata affirmare tantum volumus Christum has generales instituisse formas quæ in perpetuum permanebunt.

Prob. 1°. Christus commendavit pluries apostolis doctrinam et religionem ipsis traditam prædicare et docere, et nunquam innuit hanc religionem mutandam aut perficiendam fore. *Docete omnes gentes... docentes eos servare quæcumque mandavi vobis.* Matth. XXVIII. Ergo in mente Christi ista institutio in perpetuum erat duratura.

2°. Christus promisit discipulis ipsis adfuturum esse usque ad consummationem sæculi, porro cum discipuli essent morituri, illa promissio pro objecto habebat formam Ecclesiæ quam ipse per ministerium eorum instituebat, ergo hæc forma, auxiliante Christo, subsistet usque ad consummationem temporum.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE NATURA ECCLESIÆ.

Hic totam Ecclesiæ naturam describere nolumus quod ex toto peracto tractatu solum fieri potest, sed tantum de ea quasdam pertingere notiones e quibus jam agnoscenda patet. Ideo dicemus de ejus nominibus ;—de ea tanquam sub forma societatis constituta; — de ejus anima et corpore; — et tandem de ejus definitione.

§ I. — De diversis Ecclesiæ nominibus et typis.

I. DE GENUINO NOMINE ECCLESIÆ.—Vox *Ecclesia*, a verbo græco ἐκκαλέω, evoco, congrego, oriens idem significat ac cœtus. In Scripturis sacris et in usu, promiscue usurpatur, tum pro qualicumque congregatione, etiam perversa : *Odivi Ecclesiam malignantium.* Psalm. XXV, 5 ; tum pro ea fidelium societate quæ sive in una domo, sive in una diœcesi, sive in una provincia, vel natione vel regno coadunatur; — tum pro tribunali Ecclesiæ quod penes est judicare, docere et omnimodo pronuntiare, sic Christus dixit : *Si autem non audierit dic Ecclesiæ.* Matth. XVIII, 17; tum, ut scitum est, pro templis, ubi sacra religionis perficiuntur, sic sumpsit Apostolus, I ad Corinth. II, 22 :

Numquid domos non habetis ad manducandum aut bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis. Mos autem prævaluit ut vox illa sumeretur ad designandam societatem Christi religionem profitentem, sive coactam, sive diffusam; et in præsente nostro tractatu, præcipue sub hac significatione usurpabitur.

II. De aliis nominibus ad designandam christi ecclesiam assumptis.—Varie nominatur Ecclesia ab auctoribus sacris vel scriptoribus ecclesiasticis sive ad ipsius dignitatem et excellentiam, sive ad alias eximias dotes spectent. — a) Appellatur *Domus Dei, Civitas Dei, Templum Dei, Tabernaculum Dei,* propter in ea immanationem divinam : *ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari quæ est Ecclesia Dei vivi.* Ap. I ad Tim. III, 15. — b) *Castrorum acies ordinata* et quidem *terribilis,* intentis præliis et victoriis quæ reportat de omnibus Christi hostibus; — c) *civitas supra montem posita,* cum ab omnibus facile perspiciatur; — d) *Corpus Christi, sponsa Christi, ovile Christi regnum Christi,* propter unionem intimam quam cum Ecclesia contraxit Christus, ita ut regat eam, sicut rex cives et subditos, pascat et ducat ut gregem suum pastor, diligat eam quemadmodum uxorem vir diligit, et influat in eam eo modo quo caput in totum corpus influit.

III. De præcipuis ecclesiæ typis.—Cum Ecclesia Christi maximum et dilectissimum Dei opus sit in terra, nemo mirabitur quod sub multiplici figura ante Christum fuerit adumbrata et annuntiata, quemadmodum prophetarum ministerio sæpissime depicta fuit. — Modo Ecclesiæ fuit figura paradisus terrestris, modo omnium mater Eva, quæ de dormientis Adami latere educta fuit; Ecclesia pariter e latere Christi dormientis in cruce scaturit, et omnium vere viventium fit mater. — Arca Noe, extra quam nullus ab aquis salvus fuit aliam præbet figuram Ecclesiæ, extra quam a nemine salus obtineri potest. — Quædam uxores Patriarcharum repræsentant Ecclesiam Dei, genitricem veram veræ plebis divinæ. — Templum hierosolymitanum latum et adornatum, centrum totius judaicæ religionis figuravit Ecclesiam ad quam

gentes omnes confluunt, quæ et fulgore aspectus et dotibus diversis antiquum templum superat. — Item lapis, uti videtur apud Danielem, II, 35, qui primum tenuis, crescit in montem, et universam faciem terræ implet, intelligitur de Ecclesia, quæ primum parvula, mox in totum orbem diffusa est. — Inter figuras in libris Novi Testamenti adornatas eminet ea quæ ex duplici piscatione miraculosa sumitur, et repræsentat tum affluere in Ecclesia fideles, tum ex bonis et malis eam coalescere. — Vestis dominica inconsutilis, juxta B. Augustinum interpretanda est de unitate Ecclesiæ a nemine frangenda. S. Aug. tract, 118, in Joan.

IV. De parabolis christi ecclesiam repræsentantibus. Nullum latet quod etiam eadem Ecclesia in multiloquiis Christi adumbrata fuerit sub specie Parabolarum. Præcipuæ citentur. — Ager, in quo zizania cum tritico crescit juxta B. Augustinum de Ecclesia intelligendus est ubi boni cum malis permiscentur. — Idem audiendum de sagena in mare missa et omnis generis pisces congreganti, Matth, XIII, 47 et seq.; de pascuis, Matth. XXV, 32; de nuptiali convivio et area, Matth. XXII; Luc. III, 17.

§ II. — De natura externa Ecclesiæ seu de ejus institutione sub forma societatis.

I. Quid societas in genere. — Societas quævis, generatim sumpta, est coadunatio plurimorum hominum, qui iisdem legibus submissi, sub eorumdem principum regimine, ad finem communem tendunt. Natura edocti et necessitate mutua instante, homines inter se varia instituere consortia; inter istas societates, illæ melius notæ sunt, nationes scilicet vel populi dictæ, quarum membra exquirunt tum securitatem internam externamque, tum adeptionem honorum quæ ad felicitatem temporalem pertinent. In omni societate proprie dicta tria distinguuntur, ut jam diximus, videlicet membra vel subjecta societatis, quæ in numero quasi ingenti adunantur, cum duo vel plures sint impares ad ineundam societatem; finis obti-

nendus, qui est bonum commune causa consortii ; media e quibus unio sequitur, id est leges communes, et sub communi regimine obedientia, unde oritur vinculum quo membra inter se connectuntur.

II. De ecclesia sub ratione societatis instituta. — Nunc vero a nobis demonstrandum est Christum in terris suam religionem instituisse sub hac depicta societatis forma, idest, ex Christiana institutione homines hujus religionis participes inter se coadunandos esse, iisdem legibus, et regimine communi moderandos, et una ad bonum commune tendere. E quibus membris coalescere debeat hæc societas, quinam sint ejus magistratus et leges infra speciatim videbitur ; hic quæstionem redactam habemus ad sequentem generalemque thesim :

PROPOSITIO.

Christus instituit Ecclesiam sub forma societatis.

Prob. 1° *Ex dictis Christi.* Frequentissime Christus loquendo de sua Ecclesia eam adumbrat sub nominibus et figuris quæ societatem supponunt. Sic eam quasi semper sub nomine regni designat; et si quidem nomen regnum cœlorum usurpat, evidenter nihilominus patet quod de regno in terra vigenti intendat; porro hæc designatio eminenter probat homines Ecclesiæ participes esse quasi cives ejusdem regni aut societatis perfecte ordinatæ. Itidem pluries eamdem Ecclesiam assimilat familiæ, Matth. xxii, in quâ, paterfamilias imperat, et operarii laborant; ovili, Joan. x, 16, ubi sub regimine pastoris ad pascua ducuntur oves, a lupis defenduntur; porro istæ comparationes supponunt membrorum conjunctionem, et quodam modo societatem ; ergo.

Prob. 2° *Ex institutionibus Christi.* In institutione christiana reperiuntur omnia quæ societatem supponunt et efformant, scilicet plebs numero sufficiens, leges communes, magistratus et regimen, præceptaque obe-

dientiæ, ac tandem finis communis intentus. — *Plebs numero sufficiens*; etenim dum aliæ societates sive civiles, sive religiosæ e numero membrorum restricto coalescun, Christus ad suam Ecclesiam omnes homines vocat; sic Act. ap. XIII; 46, Petrus ad Judæos loquens dicit apostolos ex præcepto Domini se conversuros ad Gentes, ut evangelium ad extremum terræ luceat : *Ecce convertimur ad gentes; sic enim præcepit nobis Dominus : Posui te in lucem gentium ut sis in salutem usque ad extremum terræ.* — *Leges communes*; quæ sint hæ leges hic non interest, unum sufficit eas existere, quod inter alia ex his verbis Christi deducitur, Matth. XXVII, 20 : *Docete omnes gentes... docentes eos servare quæcumque mandavi vobis.* — *Ministerium* et *regimen* pluries commendatur a Christo, v. g., Matth. XVI, 18 : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam...* Joan. XX, 21 : *Sicut misit me pater et ego mitto vos*; scilicet eadem potestate qua usus sum, et vos uti debetis. Tandem nemo nescit quod iis apostolis claves concesserit regni cœlorum, ligandi solvendique potestatem, et miserit eos in mundum tanquam suos et sui Evangelii præcones. — *Obedientiam et obsequium* huic magistratui præcepit etiam Christus; Matth. XVIII, 16, 17 : *Si te non audierit* (frater tuus)... *dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus et publicanus;* et Luc. X, 16 : *Qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit.* — *Finis communis intentus*, qui est, inter diversa, salus obtinenda ab omnibus hominibus ut expresse dixit Apostolus ad Ephes. IV, 12, *Ipse dedit quosdam quidem apostolos... ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.* Ergo in institutione Christi omnia reperimus quæ constituunt societatem; ergo sub forma societatis suam instituit Ecclesiam.

Prob. 3° *Ratione convenientiæ.* Deus ipse voluit statum societatis esse humanæ indoli insitum, et aliunde non fore hominibus aliam viam qua possint suas evolvere facultates, crescere, vivere secure, et uno verbo ad suum finem temporalem pervenire. Porro, nisi Deus omnia sub-

verteret quoad supernaturalia, quod est ab ejus providentia alienum, conveniens erat et sapientissimum eum suppeditare hominibus eamdem viam ad finem supernaturalem, qua utuntur ad finem temporalem ; scilicet convenientissimum erat instituere societatem communem qua bonum commune inquirendum erat; qua singuli possint nasci in hac nova vita, ibi crescere et instrui, ibi facultates diversas evolvere, ibi secure vivere, ibi ab inimicis defensionem invenire, et ibi finem suum consequi.

§ III. — De natura interna simul et externa Ecclesiæ.

Christus, cum suam Ecclesiam juxta formam reipublicæ bene compositæ depinxerit, ei naturam indidit exteriorem et visibilem, prout infra et fusius declarabitur. At præter hanc formam externam, aliam ei expressit interiorem quæ licet aciem oculorum effugiat, nihilominus revera existit. Hæc forma est quasi quædam vita divina quæ in Ecclesia latet. Hanc interiorem et exteriorem naturam simul nobis studiose inspicientibus apparebit Ecclesia efformata ad imaginem hominis viventis; quasi Christus homo fuerit suæ Ecclesiæ typus exemplaris, vel quasi ipsa fuerit quædam permanens incarnatio Christi, simul filii Dei et hominis.

In quovis homine, vita prædito, perspiciuntur caput, anima, corpus. In hac nova Ecclesiæ descriptione, item videbimus *caput* quod ei præeminet, *animam* quæ sensibus non attingitur, et *corpus* visibile quod membris diversis componitur.

Si quid vero videtur claudicare, memento quod in aptissimis comparationibus aliquod deficere et desiderari solet.

1. De ecclesiæ capite. Duplici quæsito responsum præstabitur : Quis sit caput Ecclesiæ? qua ratione sit Ecclesiæ caput.

1° Veluti societas religiosa suis magistratibus instructa, Ecclesia summum Pontificem Romanum caput externum

et visibile habet. De hoc infra videbitur, at de eo tunc non movetur quæstio. — Veluti interna et divina vita pollens, Ecclesia non aliud habet caput nisi Christum Jesum, Dei filium.

Hocce caput Ecclesiæ multoties extollunt et prædicant SS. Patres, sacræ litteræ, et præsertim B. Paulus qui mire istam illustrat doctrinam ; sic ad Eph. I, 22, 23 se habet : *Omnia subjecit sub pedibus ejus, et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius* ; et ibid. IV, 15 : *Crescamus in illo per omnia qui est caput Christus ;* et ad Colos, I, 18 : *Et ipse est caput Ecclesiæ.*

2° Duplici ratione Christus capitis vices in Ecclesia gerit, quemadmodum duplici ratione caput principatum tenet in membra. Hanc duplicem rationem explicat D. Thomas, 3, Q. VIII, art. 6 : « Quodam scilicet intrinseco » influxu, prout scilicet virtus motiva et sensitiva a capite » derivatur ad cætera membra ; alio modo secundum quam- » dam exteriorem gubernationem, prout scilicet secundum » visum et alios sensus qui in capite radicantur, dirigitur » homo in exterioribus actibus. » — Sic Christus duplici hoc modo, actione scilicet interna et externa gubernatione Caput Ecclesiæ habendum est.

— A) Actione interna Christus est caput Ecclesiæ. Quemadmodum, juxta veterum sententiam, caput influit in membra viventis corporis, in eaque infundit vitam, motum et robur, ita in Ecclesiam a Christo capite effluit vera spiritualis vita. Etenim vita spiritualis in Ecclesia est quasi infusio et communicatio divinæ vitæ ; hæc vita vero divina apparet per fidem, spem charitatemque, alias virtutes et bona opera quibus præcellunt viri sanctitate insignes. Porro hanc vitam a Christo accipiunt, quod Christus sæpe innuit, ac præcise docet quum sese sub imagine vitis, Apostolos et fideles sub figura palmitum repræsentat : *Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me et ego in eo hic fert fructum multum.* Joan. XV, 5. — Scilicet eo modo quo e viti et ejus radicibus ascendit vitalis succus, ac per ramos diffusus erumpit in frondem et uvas, sic e Christo

capite, vita spiritualis diffunditur per membra ipsimet capiti adhærentia, et erumpit ipsa in flores et fructus virtutum et bonorum operum.

Præterea sicuti, membra corporis humani viventis mutuo consortio inter se gaudent, et unumquodque suum officium implere potest, si capiti adhæret, dum nihil valet e capite avulsum; ita fideles, Ecclesiæ membra, ex Christo capite accipiunt vinculum quo inter se uniuntur, quo singula singulis muneribus fungi valent, dum unum aut alium e capite avulsum jam aridum est et ab aliis membris penitus alienum. Istam theologiam mirifice evolutam a B. Paulo accipere juvat : *Ex quo* (Christo capite) *totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in caritate...* Eph. IV, 16.

Tandem, Christus Caput Ecclesiæ, non solum vitam et motum in corpus immittit, non solum omnia membra connectit et eis dat suum officium adimplere, sed etiam augmentum et perfectionem eisdem membris subministrat. Siquidem corpus humanum tenerum et minusculum ab infantia, paulatim, annis accedentibus, adolescit et roboratur, ita ut ad diem, maturum et virile exhibeatur. Sic membra et corpus Ecclesiæ, Christo influente, adaugent, invalescunt et corroborantur. Quod denuo affirmat B. Paulus : *Veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Ecclesiæ.* Ephes. IV, 15. — Hoc verbum Apostoli, post S. Chrysostomum, eo modo belle interpretatur Cornelius a Lapide : « Christus quasi » caput influit gratiam et vim crescendi et augescendi in » singula membra totius corporis, id est, Ecclesiæ, ita ut » corpus hoc et singula ejus membra crescant in Christo, » id est Christi capitis sui virtute et inflexu; et vicissim » Christus quasi caput in Ecclesia, quasi in suo corpore. » Dum enim Ecclesia crescit, crescit quasi Christus, id » est Christi influxus et gratia. »

Ad confirmationem totius hujus doctrinæ sint hæc verba sequentia SS. Synodi Tridentinæ : « Christus Je-

» sus, tanquam caput in membra, et tanquam vitis in » palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influit, » quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, et co- » mitatur et sequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata » et meritoria esse possunt. » Sess. VI, cap. XVI.

— B) Actione pariter externa Christus est adhuc caput Ecclesiæ. Etenim ad mentem D. Thomæ modo laudati, quemadmodum caput, in quo radicantur visus et alii sensus, eorum ope, gubernat exterius totum corpus, sic Christus exterius etiam gubernat totam Ecclesiam. In hoc sensu B. Paulus ad Coloss. I, 18 : *Ipse est caput Ecclesiæ*, ait, *ut sit in omnibus ipse primatum tenens*. Christus quidem duplici modo gubernat Ecclesiam : primum, auctoritate et virtute propria, dum alii qui istius ministerii sunt participes nonnisi ejus legatione utuntur. Et inde apertum est quod solum in specie duplex sit caput Ecclesiæ, Christus nempe et Pontifex romanus, dum unum ad alterum quoad potestatem referatur. Deinde Christus gubernat Ecclesiam modo perfecto, id est omnia membra ad Ecclesiam pertinentia, quocumque sint loco, tempore et statu, dum alii qui item regunt Ecclesiam, vel quemdam limitatum subjectorum numerum administrant, veluti episcopi; vel omnes fideles, sed ad tempus restrictum, uti summus Pontifex, id est tempore sui pontificatus, vel relative ad unum statum, scilicet viatoris. — *Vid. S. Thomam* loco citato.

II De anima ecclesiæ. — Duplici substantia coalescit homo perfectus, anima videlicet et corpore; Ecclesia vero quæ quasi ad imaginem viri perfecti creata est aliquid quod ad duplicem hanc naturam referatur nobis observantibus exhibere debet. Et revera theologi de natura Ecclesiæ intima disserentes ejus distinguunt corpus e animam. Ideo nunc de anima Ecclesiæ dicendum; scilicet quid et ubi sit anima Ecclesiæ; — quænam sint ejus manifestationes aut operationes; — quinam ad hanc animam pertineant.

1° *Quid et ubi sit anima Ecclesiæ?* Anima Ecclesiæ est Spiritus Sanctus a Christo capite per membra viva

Ecclesiæ diffusus, et in Ecclesia quasi in templo inhabitans.—Certum est Spiritum sanctum Ecclesiam in genere sumptam inhabitare ac simul singula membra ejus viva. — a) Istius Spiritus effusio in vaticinio Joel prophetæ jam fuit annuntiata : *Effundam spiritum super omnem carnem.* Joel II, 28. — b) Christus sæpe promisit Apostolis postquam abierit ad Patrem, se missurum ad eos hunc Paraclitum Spiritum. — c) Die Pentecostes, in discipulos cum Maria matre Jesu una congregatos, et veluti primævam Ecclesiam habendos, iste Spiritus illapsus fuit. — d) Post Pentecostes diem, sæpius patuit inhabitatio Spiritus per diversa dona, signa et charismata, ut videre est in multis locis Act. Apost. — e) Apostolus, inter multa dixit : *spiritus sanctus habitat in vobis... Membra vestra templa sunt Spiritus sancti.* I. Cor. III, 16.

Porro, si Spiritus sanctus Ecclesiam in genere sumptam et ejus membra inhabitet, quasnam partes illic adimplebit nisi partes animæ? Anima enim in homine est substantia spiritualis, intellectus fons et voluntatis, vitæ et motus principium ; atqui Spiritus sanctus multo, scilicet infinite, animæ est superior, ipse intellectus spiritualis fons est et rectæ voluntatis, ipse principium veritatis et gratiæ; ab ipso quivis ad bonum motus incitatur, ergo in Ecclesia ad animæ modum sese gerit Spiritus sanctus. —Idem docet S. Augustinus, lib. de *Gratianovi Testamenti:* « Spiritus sanctus, ait, est Patris et filii amor et connexio, » ad ipsum pertinet societas qua efficimur unum; corpus » hominis multis constat membris, et vegetat omnia » membra una anima, faciens in oculo ut videat, in aure » ut audiat, et sic in cæteris : ita Spiritus Sanctus membra » corporis Christi, quod est Ecclesia, continet et vegetat.» —Et S. Joan. Chrys. : « Spiritus Sanctus est copula unio- » nis, nostræ in Christo..... Nostræ imaginis est reforma- » tio, mentis perfectio spiritualis, mentalium oculorum » nostrorum sol, interni hominis notris lumen, Lucifer in » pectoris cœlo. (Hom. 2.). »

2° *De operationibus animæ Ecclesiæ.* In constitutione humana, anima non jacet iners et omni virtute destituta.

In ea reperitur principium vitæ, fons et origo cujusvis motus spiritualis vel corporalis. Item et in Ecclesiæ constitutione Spiritus sanctus animæ vices gerens vitam generat et alias operationes producit. — Quæ seorsim examini subjicienda sunt tum quoad singula membra, tum quoad Ecclesiæ corpus.—a) Quoad singula membra anima Ecclesiæ eis infundit vitam qua prædita sunt. — Uti jam vidimus, e Christo tanquam e capite effluit vita manans per totam Ecclesiam. Quoties hujus vitæ mentionem fecerit Chistus nullum præterit, v. gr., ap. Joan. x, 10.— *Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant*;—et ibidem etiam VI, 52 : *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* — Hæc vita vero nihil aliud est quam ipsamet vita Christi fidelibus communicata per Spiritum sanctum. — Spiritus sanctus adhuc et operatur in membris Ecclesiæ, fidem, charitatemque, et alias virtutes, et bona opera quæ inde procedunt et ex animâ interiori vivificantur. — Sic dicitur ad Rom. v, 5; *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum qui datus est nobis.* — Si plura quæras de natura hujus vitæ, de ejus origine, diffusione, et operationibus, diversos speciatim adeas tractatus de Incarnatione, de Gratia, de Decalogo, ubi de virtutibus theologicis.

— b) Ecclesia in genere, animata a spiritu sancto, ex ipso accipit speciales virtutes. — Primumque vivit, operationesque vitæ spiritualis patitur. — *Vivit*; ac semper in ea reperies sat membra gratia vitæ spiritualis animata ut et ipsum corpus vivere pronunties : ac proinde veluti corpus particeps est vitæ et operationum cujusvis membri, Ecclesia veluti corpus animatum associatur operationibus membrorum quibus coalescit. — Aliunde in ea quasi in fonte vel thesauro deposita sunt instrumenta, vel organa quibus vita et gratia spiritualis per membra distribuitur. Sic quoad fidem accepit depositum veritatis quod intactum asservat, et omnibus veluti pastum vitæ exhibet. Unde eleganter dixit S. Irenæus, adv. Hær. lib. III, cap. 4 : — « Non oportet adhuc quærere apud » alios veritatem quam facile est ab Ecclesia sumere; cum

» apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in » eam contulerint omnia quæ sunt veritatis; uti omnis » qui velit sumat ex eâ potum vitæ. » Quoad et vivificationem spiritualem suorum membrorum, Ecclesia et accepit depositorium dives gratiæ, ita ut eam infundat multimodis, sive per baptismum primam justificationem, sive per *impositionem manuum*, plenam S. Spiritus inhabitationem; sive per *fractionem panis*, cibi angelici communicationem, etc. Hoc exprimit S. Irenæus ejusdem lib. cap. 24, hoc exornato sermone :... « Hoc enim Ecclesiæ » creditum est Dei munus, ad hoc ut omnia membra vi- » vificentur : et in eo disposita est communicatio Christi, » id est Spiritus sanctus, arrha incorruptelæ et confir- » matio fidei nostræ, et scala ascensionis ad Deum..... »

3° *De iis qui pertinent ad animam Ecclesiæ.* De iis qui hic supra evolvuntur facile pronuntiatur quinam ad animam Ecclesiæ pertineant. Anima enim Ecclesiæ, est Spiritus Sanctus seu vita spiritualis per Spiritum Sanctum, Christo capite communicata. Quicumque igitur vitæ ejus sunt participes ad animam Ecclesiæ pertinent. Porro omnes et soli justi, prout involvit hæc vox justus et justitia, illustrati sunt hâc complexione virtutum divinarum quibus juxta effatum B. Petri fiunt *divinæ consortes naturæ*. — Diximus *omnes* quia involveret contradictionem quod si alii hujus animæ essent participes, alii vero ea orbati. — Sive coadunantur corpori Ecclesiæ, sive non, justi pertinent ad ejus animam. Licet difficille sit eos qui extra sunt Ecclesiæ Christi corpus, vitæ Christi et S. Spiritus inhabitationis esse participes id non est impossibile, ut demonstratur ex cathecumenis, et ex iis qui, licet in quodam statu naturæ et infidelitatis, fide vel explicita vel implicita in Christum redemptorem vivificantur, dummodo justitiam extra Ecclesiam inde acquisitam, per peccata non amittant. — Diximus soli justi hodie et actu. Hinc de anima Ecclesiæ non sunt actu etiam prædestinati et electi, quibus vita spiritualis pro momento adepta est per peccatum. Cum hanc amissam gratiam recuperabunt ad animam Ecclesiæ unientur,

sed hac die nondum illucente, membra mortua sunt. — Item animæ non associantur Ecclesiæ peccatores sive sint de corpore Ecclesiæ sive extra istius corporis compagem; nam e peccatoribus vita Christi et Spiritus sanctus exiere; operationum hujus vitæ non sunt capaces; et ideo animæ e qua vita et motus oriuntur omnino sunt expertes.—Professione externa fidei, sacramentorum communicatione et submissione principibus ecclesiasticis, corpori Ecclesiæ adhærent, sed jacent veluti membra arida, ad quæ animæ influxus non jam extenditur, et Ecclesiæ viventi non secus ac per vinculum externum uniuntur.

Absque re non est hic notare quod sæpe dicatur anima Ecclesiæ collectio omnium justorum qui ad animam Ecclesiæ pertinent, uti jam explicatum manet.

III. De corpore ecclesiæ.—Ecclesia ad modum hominis viventis efformata non e sola animâ constare potest, sed ex anima et corpore inter se mire ordinatis. Huc usque de capite et anima, nunc de corpore disserendum et scilicet quid sit corpus Ecclesiæ, et quibusnam coalescat istud corpus.

1° *Quid sit corpus Ecclesiæ.* Quemadmodum in homine ad corpus pertinent illæ partes exteriores materia compositæ et visibiles, item in Ecclesia formæ exteriores a Christo excogitatæ, quibus fit societas religiosa, ad finem supernaturalem bene instructa, constituunt illud quod dicunt corpus Ecclesiæ. — Porro homines quibus cohæret ista societas ipsimet efformant idem corpus; et vinculum quo inter se uniuntur consistit in eadem externa professione fidei, communicatione eorumdem sacramentorum, submissione sub eodem regimine, videlicet, uno verbo in externis ministeriis quæ in Ecclesia distribuuntur. Item membra quibus corpus humanum coagmentatur diversis muneribus funguntur, sic in Ecclesiæ corpore, membra multa inter se sociata diversa implent officia ad bonum communitatis vertentia, ut explicat B. Paulus in I ad Corinth. xii, 12 et seq. — Quomodo membra Ecclesiæ corporis in diversa officia dividantur, alia docentia, alia discentia, alia aliis muneribus et potestate prædita per decursum tractabitur.

2° *De iis qui pertinent ad corpus Ecclesiæ.* Ad Ecclesiæ corpus pertinent omnes Christi fideles baptizati, sive justi sive peccatores. — Hoc verbo Christi fideles intelligimus eos qui baptismatis gratia Ecclesiæ coaptati sunt, nec quacumque de causa ab ea sunt separati. — Omnes autem fideles sive justos sive peccatores ad corpus Ecclesiæ pertinere, alia membra viva, alia mortua et arida ex sequentibus probatur momentis. — *Ex Scriptura Sacra.* Frequenter Christus depinxit Ecclesiam sub figuris unde appertum est in Ecclesia esse bonos et malos, sic Matth. XIII, 47 eam assimilat sagenæ missæ in mare et ex omni genere piscium congreganti; — ibid. XXII, 2, convivio nuptiali, ubi sedet homo veste nuptiali non vestitus, id est gratia destitutus; — XXV, 1, seqq. decem virginibus e quibus quinque sunt sapientes, quinque vero fatuæ; — XIII, 25 et seqq. agro ubi zizania cum bono frumento accrescit; — areæ ubi paleæ cum grano miscentur. Ex his parabolis Christus videtur evidentius declarasse in suo regno passurum malos cum bonis adesse quam ut inutile sit instare. Eadem attengemus pluries, v. g., ubi de subjectis Ecclesiæ.

§ IV. — De definitione Ecclesiæ.

Definire est intra fines certos et notos aliquid circumscribere, et a quocumque alieno separare. Hoc modo Ecclesiam definire in initio hujus tractatus non decet, quum definitio vera et legitima sit totius operis conclusio. Attamen hanc definitionem aggredimur, tum ut ex ea jam pateat Ecclesiæ natura, tam ut circa eam vanas hæreticorum fictiones effugiamus, tum ut ea definitio sit quasi generalis propositio cujus diversas partes decurrente tractatu, in tuto reponemus. Primum igitur de definitionibus ab hæreticis excogitatis dicemus, deinde de legitima Catholicorum definitione,

I. DEFINITIONES HÆRETICORUM PRAVÆ. — Hæretici, aliique ab Ecclesia Catholica separati varia figmenta de Ecclesia sibi effinxerunt, juxta varios suos errores. In uno tamen

consentire videntur, scilicet quod Ecclesia componi debeat ex hominibus plus minusve sanctis. Alii etenim contendebant, ut Wiclefus, Lutherus, Calvinus, et antiqui Pelagiani, prædestinatos et solos justos sanctosve esse membra veræ Ecclesiæ; alii autem ut Novatiani et Donatistæ volebant Ecclesiam constare non ex aliis quam probis, ab omni crimine saltem graviori alienis. Ideo, verbis quidem diversis, sensu vero unanimi, dicunt *Ecclesiam esse cœtum, seu societatem Justorum et Prædestinatorum juxta legem Christi in terra degentium.* Inde sequitur — a) hanc definitionem Ecclesiæ, (saltem exclusa hacvoce prædestitorum ob rationem supra expositam) sumi ab hac parte quam dicimus animam;— b) Ecclesiam non esse visibilem, quum vinculum hujus societatis, id est prædestinatio et justitia, sit quid omnino internum et oculorum aciem effugiens, ac proinde hanc definitionem prorsus inutilem esse quum inter limites certos et notos rem non circumscribat; — c) tandem homines, qui hanc justitiam non adepti sunt, et tamen quasi exteriori vinculo, professione doctrinæ Ecclesiæ, et usu sacramentorum coadunantur, non pertinere ad veram Ecclesiam, sed ad externam societatem quæ Ecclesiæ nomen solummodo retinuit. Ita Lutherus, Calvinus, Melancthon et alii.

II. Definitiones catholicæ.— Catholici ab istis sententiis recedunt. Etenim juxta illorum doctrinam, supra expositam, Ecclesia multimodo considerari potest, et præsertim dupliciter, scilicet juxta *animam*, et est *societas sanctorum sub uno capite Christo servientium Deo.* Quæ si in sensu latiori intelligas, habebis Ecclesiam Christi esse cœtum eorum qui per mediationem Christi sive nunc in terris, sive in Purgatorio, sive in cœlis Deo adunati sunt; videlicet habebis Ecclesiam quam dicunt militantem in terris, patientem in purgatorio, triumphantem in cœlis. De duabus posterioribus sermo non habendus est.—Quoad Ecclesiam militantem, sentiunt Catholici Theologi non definiendam esse attenta solummodo ejus anima. Definitio enim adhibetur ut res ab aliqua aliena separetur, et clare videatur, et prorsus inutilis est et ad finem non

pertinens præcedens definitio, cum Ecclesiam attingat sub aspectu omnino invisibili; utentibus hac definitione impossibile semper erit pronuntiare : hic adest vera Ecclesia, illic vero abest.

Iidem theologi considerant Ecclesiam sub alio respectu, scilicet quatenus est corpus. Juxta hunc novum aspectum Ecclesia est ea societas quam Christus in terris fundavit super ipsum, quasi lapidem in fundamento positum, et per ministerium apostolorum. Sic considerata *Ecclesia est societas hominum viatorum, ejusdem fidei professione, eorumdemque Sacramentorum participatione conjunctorum, sub regimine legitimorum pastorum, ac præsertim summi pontificis.* — Hæc quidem definitio est accurata et naturam Ecclesiasticæ institutionis perfecte describit : etenim delimitat eam intra limites vitæ præsentis, et ideo ab ea excludit Ecclesiam quam dicunt patientem aut triumphantem, de quibus hic non est sermo; requirit confessionem ejusdem fidei, et ita excluduntur hæretici; communionem eorumdem Sacramentorum, et per hanc conditionem jam non de Ecclesiæ corpore habendi sunt Catechumeni, excommunicati, infideles etiam justi; requirit subjectionem legitimis pastoribus, et sic ab ea excluduntur schismatici.

Legitimitas hujus definitionis magis ac magis patebit, ex dicendis in decursu tractatus. Adversarii vero quibuscum nobis dimicandum est eam totis viribus infirmare conantur. Requiritur tamen ut cum illis commune habeamus principium extra dubium positum, ex quo procedentes methodicam instituamus discussionem. Eodem motivo permotus, *Bossuet* Ecclesiam sic definivit in exordio famosissimi sui cum ministro *Claude* colloquii.— *Societas hominum viatorum veram Christi doctrinam profitentium.*-- Fatentur ipsi Protestantes definitionem istam esse veram et accuratam; hanc igitur, si necesse sit, licet maxime remotam, admittamus.

ARTICULUS TERTIUS.

DE NECESSITATE ADHÆRENDI VERÆ ECCLESIÆ.

I. STATUS QUÆSTIONIS ET MAXIMI MOMENTI PRÆNOTANDA. — Hic nobis tuendum occurrit illud axioma percelebre . *extra Ecclesiam nulla speranda est salus,* quod nobis Catholicis sæpe exprobratur veluti immanissima doctrina, et liberalitati , tolerantiæque prorsus aliena. Quam vero istud effatum, recte intellectum, sit rationi consentaneum, et institutionibus Christi conveniens ex dicendis patebit.

Notandum est 1° : Hic per salutem intelligitur Dei possessio in vita futura, seu æterna supernaturalisque beatificatio. Quivis status extra hanc salutem dicitur mors æterna, quæ etiam quosdam patitur gradus. In hac æterna morte reperitur semper Dei privatio seu finis supernaturalis damnum, hujus boni perditi visus et desiderium, ac sæpissime, non vero semper, pœna sensus seu cruciatus per ignem in damnatos exercendi,

Notandum est 2° et in memoriam revocandum, Ecclesiam esse vivam , scilicet corpore et anima coalescere. Anima Ecclesiæ, uti vidimus, est, uno sensu, Spiritus sanctus, ac proinde vita spiritualis e Christo capite in membra Ecclesiæ perfusa ; altero sensu, anima Ecclesiæ dicitur societas omnium qui huic vitæ communicant, et anima Ecclesiæ vivificantur.— Corpus Ecclesiæ est societas externa a Christo instituta, cujus vinculum externum est professio ejusdem fidei, eorumdem sacramentorum communicatio, et submissio eidem regimini.

Notandum est 3° : non solum ad animam Ecclesiæ pertinent cives externæ societatis ecclesiasticæ, qui pie sancteque vivunt, sed etiam illi, qui extra hanc societatem inculpabiliter positi, in Christum mediatorem, sive implicite, sive explicite credunt et sperant, dummodo contra leges naturales aut positivas quibus adstringuntur non peccent. Ad hunc hominum ordinem referuntur catechumeni, hæretici et schismatici, in suis sectis bona fide morantes

et decedentes, et etiam infideles, qui per traditionem, aliove modo, de Christo redemptore audierunt, et quodam modo per votum baptismum supplent.

Notandum est 4° : non desperandam esse salutem eorum omnium qui huic animæ Ecclesiæ uniuntur et corpori non adhærent, modo istud corpus invincibiliter ignorent, vel ei bene noto impossibile sit eos adjungi; v. g., si quis in insula deserta, vel solus inter paganos moratur. Etenim isti ad veram Ecclesiam pertinent, cum animæ interioris ejus sint participes, et ipse B. Augustinus docet eos qui errant, non ideo hæreticos esse dicendos, Epist. 43, ad Glorium et Elensium, cap. 1 : « Sententiam suam quam» vis falsam atque perversam, nulla pertinaci animositate » defendunt, quærunt autem cauta sollicitudine verita» tem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt » inter hæreticos deputandi. » Ergo istis non applicandum est axioma : *Extra Ecclesiam nulla speranda est salus.*

Quæstio igitur spectat ad eos qui nec de corpore nec de anima Ecclesiæ sunt. Duplici modo hæc absentia fieri potest : vel culpabiliter, quando quis scilicet renuit vel amplecti, vel inquirere Ecclesiam quam scit aut suspicatur esse veram religionem; vel absque culpa, quando quis nihil scit de Ecclesiæ existentia, nec de Christo mediatore; hi et illi, quicumque sint, proprie dicuntur et habendi sunt tanquam extra Ecclesiam.

II. Comprobatur axioma. « Extra Ecclesiam, nulla salus » recte intellectum. — Porro pronuntiamus nullam esse sperandam salutem eis qui sive culpabiliter, sive inculpabiliter extra corpus et animam Ecclesiæ morantur et decedunt, etiamsi morientes nullam actualem culpam commiserint, uti infantes nondum baptizati et ante ætatem rationalem decedentes, uti amentes, et etiam infideles qui ita viverent ut omnia præcepta naturæ aut positiva implerent, et nunquam deficerent.—Hanc assertionem, evoluta sequenti propositione, tueri conabimur. De his qui corpori adhærentes extra animam Ecclesiæ moriuntur hic non loquimur.

PROPOSITIO.

Qui extra corpus et animam Ecclesiæ sive culpabiliter sive absque culpa morantur et decedunt salutem æternam obtinere nequeunt.

Hæc propositio est de fide, inscribitur enim cap. Firmiter Concilii Later. IV, his verbis : « Una est fidelium » universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salva» tur. »

Aliunde duplicem partem continet, juxta quam sic infra probatur.

Prob. prima pars. Qui extra corpus et animam Ecclesiæ culpabiliter decedunt salutem æternam obtinere nequeunt.

Prob. 1°. *Scripturæ sacræ diversis locis.* Legitur apud Luc. x, 16. *Qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit.* — Apud Matth. xviii, 17. *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* — Apud Marc. xv, 16. *Prædicate Evangelium... qui vero non crediderit condemnabitur.* — Apud B. Paul. ad Thess. i, 18. *Qui non obediunt Evangelio... dabunt pœnas in interitu æternas,* etc... Unde sic argumentari datur : Qui culpabiliter extra corpus et animam Ecclesiæ morantur et decedunt spernunt Deum, nam spernunt Ecclesiam quam audire recusant, habendi sunt propterea sicut ethnici et publicani; a Christo condemnabuntur, nam credere prædicantibus Apostolis per Ecclesiam renuunt, et dabunt tandem in æternum pœnas, ut expresse loquitur Apostolus, cum Evangelio obedire nolint, ergo salutem æternam non consequentur.

Prob. 2° *Ex traditione.* Synodus Cirtensis in Numidia sub Innocentio celebrata sic loquitur de separatis ab Ecclesia : « Quisquis ab Ecclesia fuerit separatus, quantum » laudabiliter vivere se existimet, hoc solo scelere quod a » Christi veritate sejunctus est, non habebit vitam, sed » ira Dei manet super eum. » — S. Cyprianus, lib. de unitate Ecclesiæ de iisdem sic se habet : « Nec perveniet

» ad Christi præmia qui relinquit Ecclesiam Dei ; alienus » est, profanus est, hostis est. Habere jam non potest » Deum Patrem qui non habet Ecclesiam matrem. » Multi alii Patres, inter quos SS. Ignatius, Justinus, Cyprianus nominibus probrosis compellunt eos qui veritatem deserentes ad errorem sese convertunt. Dicunt eos esse *atheos, impios, prædones, veneficos*, etc. — Unde sic argumentor : Nulla speranda est salus iis quorum separatio ab Ecclesia dicitur scelus, qui ob hanc causam habentur ut alieni a Deo, *profani*, id est a religione sejuncti, *hostes* quidem veritatis, *prædones* honorum scilicet divinorum, etc... Atqui ita increpantur omnes qui culpabiliter ab Ecclesia separantur et in ejus sinum ingredi renuunt, ergo salus ab eis non est exspectanda.

Prob. 3° *Ratione*. Vel nulla speranda est salus iis qui extra Ecclesiam dies degunt, vel dicendum in vanum multos labores Christum sustulisse, in vanum Ecclesiam instituisse; etenim multis curis, laboribus et sanguine Christus sibi acquisivit Ecclesiam, ut hominibus suppeditaret medium ad vitam, seu salutem æternam perveniendi; porro hæc omnia essent prorsus inutilia, si alia via, scilicet, si extra Ecclesiæ tramites homines salvari possint, quod repugnat sapientissimæ Dei Providentiæ ; ergo extra hanc Ecclesiam nulla speranda est salus.

Prob. 4°. *Ex confessione Acatholicorum ac præsertim Protestantium*. Propositionem nostram libenter admittunt ipsi Protestantes; cum enim hic agatur de vera Christi Ecclesia in genere fatentur extra eam nullam obtineri posse salutem. Vid. *Bossuet, Histoire des Variations, liv.* 15. Calvinus aiebat, Inst. l. IV, c. 1. *Extra Ecclesiæ gremium nulla est speranda remissio peccatorum, nec ulla salus* — Confessio Belgica, art. 28. *Credimus... quod salus nulla sit extra Ecclesiam*. Confessio Helvetica, art. 17 : *Communionem cum Ecclesia Christi vera tanti facimus, ut negemus eos coram Deo vivere posse qui cum vera Ecclesia non communicant. Jurieu*, celebris minister in secta calviniana, idem confessus est, et hodierni protestantes ab ea sententia minime recedunt. — Ergo nulla speranda est salus eis qui

voluntarie et culpabiliter extra Ecclesiam remanent et decedunt. Quod magis appertum et demonstratum videbitur ex posteriori parte propositionis, cujus argumenta a fortiori in eosdem redundant.

Prob. secunda pars.— Nulla speranda est salus eis qui vel involuntarie et inculpabiliter extra corpus et animam Ecclesiæ morantur et decedunt.

Prob. 1° *Scriptura sacra.* — A) Ex Parabolis quibus Ecclesia a Christo figuram accepit, et ex nominibus quibus abeo fuit designata. Ecclesia adumbratur sub figura *Sagenæ* missæ in mare, Matth. XIII, *Areæ* tritici, Luc III, *Pascui*, Matth. XXV, *Convivii* nuptialis, Matth. XXII, et Luc, XIV; — nuncupatur *Regnum Dei*, Matth. XIII; *Civitas*, Matth. V; *domus Dei*, passim. — *Corpus Christi*, I ad Tim. III; — unde sic argumentamur : Nulla fit electio piscium nisi ex sagena; nullum conditur triticum in horreum Patrisfamilias, nisi ex area; nullæ in ovili locum tenent oves, nisi quæ pastorem secutæ sint in pascuis; nullus aderit convivio nuptiali, nisi veste nuptiali cooperiatur; sic regni cœlestis seu æternæ felicitatis participes esse nequeunt, qui Ecclesiæ minime adhærent, etiamsi ex sua parte hæc separatio sit involuntaria et inculpabilis, cum non detur ulla exceptio. — Item qui extra regnum morantur, sunt exules; extra civitatem totidem peregrini; extra domum nullus familiaris; extra corpus membrum arescens; sic extra Ecclesiam nulla salus.

— B) Ex dictis Christi et Apostolorum sententiis. Apud Joan. XIV, 6, legitur : *Ego sum via, veritas et vita, nemo venit ad Patrem nisi per me.*— Act. IV, 12 : *Non est in alio aliquo salus* (Christo scilicet) *nec aliud nomen est sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.* Gal. II, 16. *Scientes autem quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi.* Argumentum sic instituitur. Qui ad Ecclesiam minime pertinent, etiamsi ex sua parte nulla sit eis culpa imputanda, nullo vinculo cum Christo uniuntur, ab eoque sunt prorsus alieni; atqui, ut patet ex textibus supra citatis, per Christum solum, via ad salutem patet; ergo qui ad Ecclesiam non

pertinent vel inculpabiliter salutem sperare nequeunt.

Prob. 2° *Argumenta traditionis.* — A) *Ex testimoniis SS. Patrum.* S. Cyprianus, *de unitate Ecclesiæ* dicit : « Si potuerit evadere quisquam qui extra arcam Noe fuit, » et qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadet. » S. Augustinus, concione de Gestis, cum Emerito Donastita, hanc prætendit sententiam : « Salutem habere non potest homo, » nisi in Ecclesia catholica ; extra Ecclesiam catholicam, » totum potest extra salutem. » — Hic a salute excluduntur non solum homines volentes et ideo peccato obnoxii, qui extra Ecclesiam vivunt, sed omnes quicumque sint ; ergo et ii qui in eo culpa eximuntur. — B) *Ex traditione practica Ecclesiæ.* A primævis temporibus Ecclesia deputavit nuntios et prædicatores ad gentes ab ea alienas, sive ut ab infidelitate, sive ut ab erroribus hæreticis eas removeret, ergo quovis tempore credidit extra veram Ecclesiam salutem obtineri esse impossibile.

Prob. 3°. *rationc.* Unicum Deus instituit medium quo homines ad salutem post lapsum pervenire possent, scilicet, unionem cum Christo Redemptore et mediatore ; porro qui ab Ecclesia sunt omnino alieni, nullo vinculo Christo uniuntur, nam si Christo adhærerent, saltem eo ipso in Ecclesiæ anima partem haberent ; ergo salutem consequi non valent ; — ergo qui vel inculpabiliter extra Ecclesiam morantur et decedunt salutem consequi non possunt.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Justitia pro Deo non secus ac pro hominibus consistit in eo quod cuique juxta meritum tribuatur ; atqui Deus æque eximens a salute homines qui non sunt ex Ecclesia, sive sint culpabiles sive non, minime tribuit cuique juxta meritum, ergo justitiam Deus offendit.

Resp. Distinguo min. Si homines culpabiles, aut inculpabiles a salute exempti eamdem patiantur sortem, *concedo ;* — si tamen sors eorum sit diversa, *nego.* — Porro, ita se res habet. Etenim qui extra Ecclesiam decedunt, salutem non obtinent, scilicet a deifica visione

et æterna beatitudine sunt orbati et hæc privatio omnibus est communis; præter hanc luctuosissimam privationem dant alias pœnas damnati, id est remorsus conscientiæ indefessos, et in membris per ignem cruciatus, quibus eximuntur forsan qui, absente culpa, Ecclesiæ non adhæserunt. — Ergo sors diversa pro meritis cuique tribuitur.

Obj. 2° Christus vult omnes homines salvari, id est nulli esse impossibile salutem obtinere; ergo non recusat salutem eis qui absque culpa Ecclesiam non amplexi sunt.

Resp. Dist. Ant. — Christus vult omnes homines salvos fieri, id est medium invenit et præbet quo possunt omnes homines salvi esse, *conc.* — Circumstantias in quibus quidam homines versantur ita mutari voluit ut hoc medium in eorum manibus reponeretur, *nego ant.* Nam Deus noluit cursum naturæ subvertere, miraculaque operari ut quivis homo medium salutis obtineat. Hoc medium in notitiam cujusque pervenire oportet viis naturalibus, et si quidam his viis uti nequeunt, id non impedit quin Deus a priori eorum salutem voluerit.

CAPUT SECUNDUM.

DE NOTIS VERÆ ECCLESIÆ.

Ex his quæ, capite præcedenti, versus finem perducta exposuimus, scilicet extra Ecclesiam salutem obtineri non posse, inferendum est unumquemque pro suis viribus et diligenti studio teneri hanc veram Ecclesiam inquirere, et ei corde et animo adhærere. Plures vero religiosæ societates, inter se contendentes, a Christo originem suam ducere prætendunt; quod revera prorsus impossibile est, omnibus in multa contradictoria impengentibus. Inter eas igitur sedulo eligendum est quænam sit vera et sincera Christi institutio, seu Ecclesia. Ut hæc inquisitio et

electio recte fiat, necessario debent esse externi characteres, signa sensibilia quibus manifeste Ecclesia a sectis pseudochristianis tuto secernatur, cum *Deus omnes homines velit salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*, I Timoth. II, 4, quod equidem fieri non posset, si nullum esset exterius medium hanc veritatem dignoscendi.

Itaque, in hoc incepto capite, quærendum a nobis est quinam sint exteriores characteres seu notæ quibus innotescat vera Ecclesia. Hoc opus absolvetur in plurimis sequentibus articulis, qui erunt 1^us^ de Visibilitate et notis Ecclesiæ in genere; 2^us^ de Unitate; 3^us^ de Sanctitate; 4^us^ de Catholicitate; 5^us^ de Apostolicitate Ecclesiæ.

ARTICULUS PRIMUS.

DE VISIBILITATE ET NOTIS ECCLESIÆ IN GENERE.

Quidquid externis characteribus instruitur sensibus est obvium et visibile; e contra quidquid oculis perspici nequit his characteribus vel notis exterioribus eget, ac proinde est invisibile. Antequam igitur notæ Ecclesiæ assignentur, non erit inutile in tuto hanc reponere visibilitatem, quod perficietur in priori paragrapho, in posteriori de notis tractabitur.

§ I. — De visibilitate Ecclesiæ.

I. QUID VISIBILITAS ECCLESIÆ. — Visibilitas Ecclesiæ sub aspectu duplici haberi potest, *materialiter* scilicet *et formaliter:* materialiter, quatenus Ecclesia coalescit hominibus qui certo sensibus sunt obvii, licet eorum interior status pietatis et sanctitatis sit omnino impervius; — formaliter vero, quatenus efficit corpus morale, characteribus externis et sensibilibus insignitum, quibus, ut corpus, aperte videtur, et intra fines certos delineatur. De visibilitate Ecclesiæ materiali, scilicet prout est cœtus nominum visibilium hic agi non potest, ut patet, sed de formali visibilitate.

II. Errores circa Ecclesiæ visibilitatem. — Hæretici veteres, uti Novatiani, Donatistæ, multique ex Gnosticis, non aperte quidem professi sunt Ecclesiam invisibilem esse, sed ista assertio ex eorum sententiis necessario concluditur. Etenim ex sanctis purisve Ecclesiam solummodo cohærere affirmant; at cum sanctitas vel puritas sit mere interna, impossibile est scire quinam sint sancti, quinam vero impuri, et sequitur Ecclesiam certo indicari non posse, ita ut dicatur : hic adest, hinc abest. — Cathari et Albigenses, qui se solos puros et sanctos autumabant, Ecclesiam visibilem esse negarunt. « *Leur principale attaque fut dirigée contre l'Eglise visible,* » ut refert *F. Hurter*, vie d'Innocent III, tom. III, p. 23. — Wiclefistæ et Hussitæ idem docuerunt, et ob istum errorem damnatione plecti sunt a concilio Constantiensi et a Martino V, summo Pontifice. — Protestantes circa Ecclesiæ visibilitatem sæpe ancipites fuere. In prioribus fidei confessionibus agnoverunt veram Ecclesiam ex suâ naturâ et fine esse visibilem; ut clare demonstrat illust. *Bossuet, Histoire des Variations, liv.* 15[e]; sed a Catholicis graviter pressi ut ostenderent societatem quæ ante Lutherum doctrinam eorum profiteretur, maluerunt dicere veram Ecclesiam invisibilem fuisse, et in sinu Ecclesiæ Romanæ delituisse quam fateri se victos esse. Sic adhuc *Néander*, celebris professor in universitate Barolinensi, in suâ *Historia Ecclesiæ*, et in aliis scriptis. Plures tamen inter ipsos Reformatos ei contradicunt. — Janseniani et in eumdem errorem impegerunt sive directe sive indirecte; quod videre est præcipue in propositione 72[a] et seqq. ab opere Quesnelliano *Réflexions morales sur le Nouveau Testament* excerptis, et a Clemente XI bullâ *Unigenitus* damnatis. In his propositionibus innuit damnatus auctor ex Ecclesia tantum esse justos et prædestinatos, ac proinde Ecclesiam ipsam coram oculis hominum invisibilem jacere. — Iidem Janseniani et Quesnellistæ tenuerunt Ecclesiam tam densa caligine aliquando obscurari ut a rectis corde tantum dignosci possit. Hoc excogitaverunt systema ut suas opiniones contra Bullam *Unigenitus* ejusque defensores

tuerentur. Itaque Clerus Gallicanus, in comitiis anni 1715 merito damnavit librum cui titulus : *Le Témoignage de la vérité*. Eumdem obscuritatis errorem in synodo Pistoiensi adoptatum proscripsit Pius VI in Bulla *Auctorem fidei*, anno 1794.

III. VISIBILITAS ECCLESIÆ VINDICATUR. — Ex eo omnes supradicti hæretici suum hauriunt errorem quod Ecclesiam sub aspectu interiori, seu ipsius animam solummodo considerent. Nos vero, confitentes animam Ecclesiæ esse invisibilem, affirmamus societatem a Christo institutam, seu corpus, ubi anima delitescit veluti in corpore humano spiritus, esse sensibus obvium, et per corpus visibilem esse Ecclesiam ; hanc veritatem asserit et demonstrat sequens.

PROPOSITIO.

Ecclesia est visibilis et cognitu facilis.

Inconcussa manet ista propositio quæ invicte probatur scripturâ sacrâ, traditione et ratione theologica, atqui talis est enuntiata propositio.

Prob. 1° *Scripturâ sacrâ.* Legitur apud Isaiam II, 2, *Erit in novissimis diebus præparatus mons domini, in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes reges terræ.* — Apud eumdem LX, 3, *Ambulabunt gentes in lumine tuo et reges in splendore ortus tui ;* — Apud Daniel. II, 13, *Abcissus est lapis e monte sine manibus, et factus est mons magnus, et implevit universam terram.* — Apud Matth. V. 13, *Vos estis sal terræ... vos estis lux mundi... non potest civitas abscondi supra montem posita... sic luceat lux vestra coram hominibus.* — Unde sic argumentari datur : Ex his textibus probatur nostra propositio, si in his textibus citatis agatur de Ecclesia, et si ex eis Ecclesiæ visibilitas sequatur; atqui hæc duo constant. — A) Agitur de Ecclesia. — De Ecclesia primum ex Isaia depromptum vaticinium intelligunt S. Scripturæ interpretes, et SS. Patres inter quos citare juvat S. Cyril-

lum, Eusebium, lib. II, Demonst. Cap. XXXII, Athanasium, initio Epist. ad Epictetum. Posterius de Isaia, veluti totum caput e quo seligitur prædicat futuram Ecclesiam ejusque gloriam. — Lapis mons factus juxta visionem Nabuchodonosor vocatur regnum Dei, in æternum permansurum, ac proinde nihil aliud est nisi Ecclesia — Quoad verbum Christi apud Matth. relatum, nullum datur dubium, cum hic apostolos alloquatur tanquam docentes, et Ecclesiam efformantes. — B) Inde etiam exhibetur Ecclesia visibilis. Quid enim visibilius quam mons in vertice montium præparatus seu manifestus, ut ferunt *Septuaginta*, et super colles elevatus; quam mons implens totam faciem terræ, et illud figurans regnum quatuor imperiis maxime visibilibus successurum et in prophetia Danielis delineatum ; quam civitas supra montem posita, et lux coram hominibus præfulgens? Ergo visibilitas Ecclesiæ S. Scriptura demonstratur.

Prob. 2° *Ex traditione.* Sic habet Origines hom. 30 in Matth. : « Ecclesia, inquit, plena est fulgore, ab Oriente « usque ad Occidentem. » — S. Cyprianus, lib. de unitate Ecclesiæ : « Ecclesia Domini luce perfusa est, per to- » tum orbem radios suos porrigit. » — S. Joannes Chrysostomus, hom. IV, in cap. VI, S. Joan. : « Facilius est » solem extingui quam Ecclesiam obscurari. » — S. Augustinus inter multa : « Numquid digito ostendimus Ecclesiam... nonne aperta est? » Tract. I in Epist. Joan. Unde sic : Quod fulgore coruscat, radios porrigit per orbem, splendorem solis superat, et ita omnibus obvium est ut statim digito indicetur, merito visibile dicitur, atqui juxta citatos Patres, multis omissis aliis, sic se habet Ecclesia; ergo...

Prob. 3° *Ratione Theol.* — A) Omnes ad Ecclesiam venire tenentur, uti probatur, porro id impossibile esset si Ecclesia non videretur ; ergo est visibilis. — B) Christus instituit Ecclesiam sub forma societatis religiosæ ubi est quædam auctoritas, magisterium quo veritates sacræ servantur docenturque, cultus exterior et publicus quo Deus jure honoratur, id enim constat ex probatis, et ex

dicendis magis constabit, et per transennam deducitur ex his verbis : *Dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam...* Matth. XVII, 18. *Docete omnes gentes... Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* Act. XX, 28. — Atqui hæc omnia supponunt Ecclesiam esse perfecte visibilem ; etenim non est societas, ait Bellarminus, de Eccles. militante lib. III, cap. 12, nº 5, nisi se agnoscant qui dicuntur socii ; non autem se possunt homines agnoscere, nisi societatis vincula sint externa et visibilia. Item magisterium docens, cultus Deo exhibitus, auctoritas quæ jubet et subditi qui jubentur perfecte videntur. Ergo Ecclesia est visibilis.— C) Ex probandis Ecclesia moraliter quoad loca apparebit catholica, porro absque visibilitate Ecclesiæ catholicitas affirmari non potest, quomodo quis enim pronuntiabit talem societatem esse catholicam si eam minime videre valet. Ergo... Idem probatum manet Script. sacra et traditione ; ergo. Aliunde eadem argumenta probant visibilitatem Ecclesiæ esse diuturnam, et Ecclesiam non sese præbere interdum claram, interdum caligine involutam ad mentem Jansenistarum ; ergo concludendum eam esse simpliciter visibilem.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1º Quod discerni impossibile est ; quod in corde intimo reconditur, quod dicitur domus spiritualis, minime dicendum est visibile, atqui talis est Ecclesia, testibus sententiis sequentibus : apud Luc XVI, 21, Christus dixit : *Non venit regnum Dei cum observatione, neque dicent : ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est.* — Apud I Pet. II, 5 *: Ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis...* ergo...

Resp. Neg. min. et probationem. Quoad sermonem Christi ad Pharisæos non agitur de Ecclesia veluti societate considerata, sed de regno spirituali quod per gratiam in corde hominum constituitur, vel de adventu Messiæ in mundum, quo incipit regnum Dei. De isto adventu et de

regno Messiæ quærebant Judæi, Christus respondit: Ecce hoc regnum intra vos constituitur mea præsentia, et apud omnes qui me recipiunt, nolite igitur illud hic vel illic quærere. — Quoad B. Petri effatum appertum est hic agi tantum de regno instructo in anima cujusvis sancte pieque viventis per gratiam, ita ut virtutes actaque pia sint quasi hujus ædificii lapides.

Obj. 2°. Ecclesia consistit solum sanctis, ita ut dicatur sine macula aut ruga, atqui sanctitas est invisibilis, ergo et Ecclesia.

Resp. Dist. Maj. Ecclesia consistit solum sanctis id est anima Ecclesiæ solum ad sanctos extenditur *conc.* Ecclesia veluti corpus, *nego.* Alibi vero demonstravimus in corpore Ecclesiæ morari simul bonos et malos. Textus B. Pauli ad quem hic alluditur ab aliis intelligitur de Ecclesia triumphante, ab aliis de militante, quatenus partes superiores considerentur. Ergo...

Inst. Ecclesia est invisibilis, si impossibile sit indicare ubi sint una corpus et anima, cum his duobus constet, nec de corpore solo nec de sola anima; porro impossibile est indicare ubi sint una corpus et anima Ecclesiæ, cum anima sit invisibilis; ergo et Ecclesia.

Resp. trans. Maj. Nego min. Anima Ecclesiæ est in corpore uno modo, quatenus est Spiritus sanctus illud vivificans, ibi recondens thesaurum scientiæ et gratiæ; altero modo quatenus in hoc corpore sint membra spiritu Dei et gratia vivificata, et opera externa sanctitatis exhibentia, licet impossibile sit determinare an ille aut iste sit hoc membrum vivificatum.

§ II. — De notis Ecclesiæ in genere.

Demonstrata visibilitate Ecclesiæ, devenimus ad proprietates præcipuas quibus videtur et præsens hic aut illic affirmatur. Illæ proprietates dicuntur *notæ*. *Nota* igitur est Ecclesiæ proprietas, quæ cognita, ducit ad Ecclesiæ cognitionem, ideo supra diximus esse signum quo a sectis pseudochristianis tuto secernitur.

I. CONDITIONIS REQUISITÆ UT NOTÆ AD VERAM ECCLESIAM DUCERE VALEANT. — Ut notæ veræ Ecclesiæ ad finem propositum nos perducere valeant, tres specialiter habere dotes necesse est, videlicet : 1° debent esse notiores ipsa Ecclesia, alioquin immerito dicerentur notæ; 2° cognitu faciles, quia necesse est ut rudiores sicut et docti veram Ecclesiam cognoscere valeant; non necesse est tamen omnes notas captui idiotarum et ingenio peritorum esse simul proportionatas; 3° veræ Ecclesiæ propriæ ; si enim aliis sectis competerent, jam illarum ope, vera Ecclesia discerni non posset.

II. NOTÆ FALSÆ A PROTESTANTIBUS ASSIGNATÆ. —Lutherus, Calvinus et Ecclesia Anglicana duas admittunt Ecclesiæ notas, scilicet rectam doctrinæ Christi prædicationem, et legitimam sacramentorum administrationem; nonnulli addiderunt legitimam disciplinam, recte administratam. Illæ notæ ad unicam reducuntur, nempe ad veram Christi doctrinam examine privato ex Scriptura sacra cognitam : ita nunc omnes protestantes, ut ipsi dicunt et in scriptis suis palam exprimunt.

Catholici vero unanimiter affirmant in Ecclesia necessario quidem esse rectam doctrinæ Christi prædicationem, legitimam sacramentorum administrationem et rectam disciplinam ; sed negant has qualitates assignari posse tanquam Ecclesiæ notas.

PROPOSITIO.

Recta doctrina Christi prædicatio et legitima sacramentorum administratio immerito assignantur ut notæ Ecclesiæ.

Prob. Illæ enim qualitates immerito assignantur ut notæ Ecclesiæ, quæ non habent conditiones Ecclesiæ notis necessarias : atqui notæ a protestantibus assignatæ non habent conditiones Ecclesiæ notis necessarias. Prima namque conditio est, *ut sint ipsa Ecclesia notiores* : atqui notæ a protestantibus assignatæ non sunt Ecclesia notiores. Quærimus enim ubi sit vera Ecclesia, seu societas quæ veram Christi religionem profitetur : protestantes

respondent eam esse in qua vera est Christi doctrina: porro hæc responsio idem significat ac si diceretur veram Ecclesiam esse veram Ecclesiam : ergo.

Secunda conditio est *ut illæ notæ sint cognitu faciles:* atqui notæ a protestantibus assignatæ non sunt cognitu faciles; sunt e contra cognitu impossibiles, et captum fere omnium superant; ad hanc enim unicam reducuntur notam, nempe ad veritatem doctrinæ Christi sola discussionis methodo cognitam ; at communiter homines veritatem doctrinæ Christi sola discussionis methodo certo cognoscere non possunt, ut ex infra dicendis clarius patebit. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Res aliqua per essentiales proprietates suas innotescit : atqui veritas doctrinæ Christi est proprietas Ecclesiæ Christi essentialis : ergo. Ita minister *Dumoulin.*

R. Dist. maj. Res per essentiales proprietates suas innotescit, quoad naturam, *conc.;* quoad locum vel modum existentiæ, *subdist.;* per aliquas proprietates, *conc.;* per omnes, *nego maj.* Etenim naturam alicujus rei cognoscere non possumus, nisi per essentiales illius proprietates sed illius existentiam et existentiæ modum cognoscere possumus quamvis omnes qualitates ejus essentiales non noscamus : sic existentiam luminis, motus, frigoris, etc., novimus, licet plerasque eorum qualitates essentiales nesciamus. Porro de existentia Ecclesiæ, vel potius de illius distinctione a falsis sectis in præsenti quæstione agitur, non vero de ejus essentia. Ergo.

Obj. 2° Solæ veritates fundamentales sufficiunt ut vera Ecclesia certo distinguatur : atqui illæ veritates ex lectione Scripturarum facile noscuntur; ergo.

R. 1° *Nego maj.* Mox enim demonstraturi sumus distinctionem inter veritates fundamentales et non fundamentales admitti non posse.

R. 2° *Nego min.* Si enim fundamentales illæ veritates ex sola Scripturarum lectione tam facile noscerentur,

omnes protestantes eas unanimiter cognoscere deberent; at nedum unanimiter cognoscant veritates quas vocant fundamentales, nunquam eas determinare et sibimet ipsis consentire potuerunt, sed in multiplices abeunt sententias sibi contradictorias : ergo.

Obj. 3° Ecclesia cognosci non potest nisi per characteres a Christo assignatos; at illi characteres in ipsa Christi doctrina continentur : ergo.

R. 1° *Nego maj.* Ecclesia enim cognosci potest per characteres ex illius institutione et existentia fluentes, qui a Christo revelati non fuerunt, sed solo lumine naturali apprehenduntur, ut sunt illius antiquitas, ministerii successio, miracula evidenter patrata. Ergo.

R. 2° *Nego min.* Falsum quippe est characteres quibus vera Christi Ecclesia cognosci potest in sola Christi doctrina contineri, siquidem monumenta traditionis ad hoc etiam multum inserviunt.

Fatendum est tamen in doctrina Christi aliquas reperiri notas veræ Ecclesiæ, et eas quærendas ac servandas esse, sed non ad sensum protestantium. Ingens enim est discrimen inter solvere unam quæstionem ex uno aut altero Scripturæ sacræ testimonio ab omnibus admisso, et cunctas doctrinæ Christi veritates sola discussionis via inquirere, distinguere, ab objectis vindicare et integras conservare. Ergo.

Hinc facile explicantur nonnulli textus S. Aug. adversus Donatistas, in quibus dicit Ecclesiam in Scripturis, Ecclesiam in verbis Christi quærendam esse. Sensus est, in Scripturis quærendas esse notas Ecclesiæ; ostendit enim, ex Scripturis, Ecclesiam Christi debere esse catholicam; ostendit postea Ecclesiam Romanam esse catholicam; deinde concludit Donatistarum sectam non esse veram Christi Ecclesiam. Ergo.

III. Notæ a Catholicis assignatæ. — Multis variisque characteribus Ecclesia Christi præfulget; itaque auctores catholici plures pauciores ve assignarunt, sive diversos realiter inspexerint, sive eosdem sub diversis nominibus dederint, sive plurimos in unum contractos indicaverint,

sive unum diviserint per suos aspectus varios. S. Hieronymus, adversus Luciferianos dimicans, assignat primum continuam Ecclesiæ usque ad nos durationem quæ est quasi per tempora Ecclesiæ identitas; et postea nominis christiani appellationem, quæ originem a Christo designat eo tempore quo omnes sectæ ab auctoribus suis nomen accipiebant. — Vincentius Lirinensis, *Commonit*, cap. III, recenset universalitatem, antiquitatem et consensionem, quæ in notas quas dicimus catholicitatem, apostolicitatem et unitatem redundant. — S. Augustinus sex numerat, lib. contra epist. fundamenti, cap. IV. — Bellarminus quindecim enumerat, lib. IV de notis Ecclesiæ, cap. III. Sed ipse fatetur has quindecim revocari posse ad quatuor quæ communiter assignantur, et a concilio Constantinopolitano sunt traditæ his verbis : *Et unam sanctam, Catholicam et apostolicam Ecclesiam.* — Igitur quatuor a nobis præstantur notæ Ecclesiæ, videlicet, *Unitas, Sanctitas, Catholicitas et Apostolicitas.*

ARTICULUS SECUNDUS.

DE UNITATE ECCLESIÆ.

Quid et quotuplex sit unitas Ecclesiæ. — Pluribus modis considerari potest unitas Ecclesiæ. 1° Unitas considerari potest veluti *unicitas*, et in eo consistit quod fideles Christi unam numerice efficiant Ecclesiam, non vero plures Ecclesias plus minusve ab invicem independentes, sive successive sive simultanee.

2° Unitas considerari potest tanquam unio membrorum Ecclesiæ, et sic intellecta in eo consistit quod subjecti Ecclesiæ, inter se vinculo communi associati, perfectum corpus morale efficiant, ac vere eorum sit *cor unum et anima una.* Act. IV, 32. — Hæc unio seu unitas est *juris* vel *facti* : est *juris* si ex principio constitutivo et intrinseco profluat; est solum *facti*, si revera existat, sed non inhæret constitutioni Ecclesiæ.

De unitate Ecclesiæ, prout est unicitas et unio, tractabimus in primo paragrapho.

3° Unitas Ecclesiæ considerari potest in principio quo fit corpus morale perfecte unitum. Porro demonstratum est Christum instituisse Ecclesiam sub forma societatis ad religionem instructæ. In quâvis societate religiosa inveniuntur dogmata credenda, auctoritas seu regimen, et cultus quo commercium inter Deum et homines comparatur. Itaque unitas potest respicere ad dogmata et esse unitas fidei, quæ in eo consistit ut omnes fideles eamdem fidem profiteantur; de hâc in secundo paragrapho; vel ad regimen, et esse unitas regiminis, quâ iisdem pastoribus subjiciuntur; de illâ in tertio paragrapho; tandem vel ad cultum et vocatur unitas cultus seu sacramentalis, de ista in quarto paragrapho.

Notandum quod unitas sic intellecta, simul veluti proprietatem et notam Ecclesiæ sese præbeat. Tanquam proprietas considerata etenim est elementum constitutionis Ecclesiæ, tanquam nota est quoddam externum et omnibus perspicuum.

§ I. — De unitate Ecclesiæ in genere tum facti, tum juris.

Hujus generis unitati adversantur multi ex Protestantibus qui contendunt Ecclesiam Christi coalescere omnibus sectis quæ Christianæ vocantur, et cum Christo quid commune retinuerunt. Id jam finxerat *Jurieu* de quo infra fusius dicetur; id denuo evulgavit *R. Wodsworth*, qui in suo libro cui titulus : *De l'Eglise catholique et de sa branche anglicane*, comprobare nititur omnes Ecclesias particulares esse veluti ramos ex quibus componitur arbor totus Ecclesiæ. — Contra quos sit :

PROPOSITIO.

Ecclesiæ Christi competit unitas tum facti tum juris.

Probatur 1ª *pars, scilicet unitas facti.*

Prob. 1° *Scriptura sacra.* — A) Quando Christus et

Apostoli de Ecclesia loquuntur semper supponunt eam esse numerice unam, et nullibi ad plures Ecclesias alluditur. Sic Christus dicit ædificabo *Ecclesiam* meam et non *Ecclesias meas;* si *Ecclesiam* non audierit; etc. Apud Joannem expresse declarat *unum fore ovile, unum pastorem* ac proinde *unam Ecclesiam.* — *Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere... et fiet unum ovile et unus pastor.* — B. Paulus idem sæpe innuit, v. g., his verbis : *Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei;* — et ad Eph. I, 22. *Ipsum dedit* (Christum) *supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Ergo ex his textibus unitas numerica Ecclesiæ probatur.

— B) Sæpissime in Novo Testamento Ecclesia vocatur *Domus Dei, Regnum Dei, Corpus et sponsa* Christi, assimilatur ovili cujus est pastor, etc. Porro tales figuræ unitatem Ecclesiæ clare demonstrant. Etenim unitas seu unio membrorum deprehenditur in domo bene ordinata, in regno recte administrato, in corpore perfecto, in ovili pastorem sequenti.— Ergo Ecclesia pollet unitate quæ in unione membrorum consistit.

Prob. 2° Ex Traditione.—S. Ambrosius, de off. lib. III. Ecclesiam vocat : « Congregationem, quæ in unum con» nexum corpus atque compactum unitate fidei et cha» ritate assurgit. » S. Cyprianus totum composuit opus ut unitatem Ecclesiæ adstrueret et commendaret, a quo hanc egregiam sententiam colligemus : « Quomodo solis multi » radii, sed lumen unum, et rami arboris multi, sed ro» bur unum tenaci radice fundatum, et cum de fonte » uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusiva » videatur exundantis copia largitatis, unitas tamen ser» vatur in origine. Sic et Ecclesia Domini. » Ergo ex SS. Patribus probatur unitas Ecclesiæ.

Prop. 3° *Ratione theol.* — A) Christi promissiones relative ad Ecclesiam effectum suum consequi debuerunt, atqui inter eas adest unitatis promissio... *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam...* Ergo certum est Ecclesiam in unitate servari.

— B) Ecclesia formam perfectæ societatis induit : porro societas perfecta in unitate membrorum actuali et reali fundatur : ergo et in Ecclesia.

Prob. II^a^ Pars propositionis, scilicet unitas juris. — Unitas facti est proprietas essentialis Ecclesiæ, ergo semper in illa debet reperiri ; porro semper in illa deprehendi non posset si non haberet unitatem juris, scilicet principium fixum inconcussum, quo hæc unitas generari et servari possit, nam aliter timendum foret ne quando deficeret. Tandem sine unitate juris unitas facti ne concipi quidem potest. Ergo admittendum est in Ecclesia unitatem facti et simul unitatem juris.

§ II. — De unitate fidei.

I. Quid unitas fidei. — Unitas fidei, ut jam exposuimus, nihil aliud est quam professio ex parte omnium fidelium totius Christi doctrinæ, quæ insuper variari non potest.

II. Errores protestantium exposiți et debellati. — Novatores XVI sæculi primum unitatem fidei ad mentem Catholicorum admittere visi sunt. At, ut ab objectis quibus eum urgebant Catholici sese expediret, *Jurieu* excogitavit systema articulorum fidei fundamentalium et non fundamentalium. Duplicem unitatis speciem distinguit : unam generalem, quæ consistit in professione omnium articulorum fundamentalium ; et alteram specialem, quæ singulis sectis christianis propria est : sita est in eadem professione quorumdum articulorum non fundamentalium. Contendit veram Ecclesiam debere esse unam priori sensu, ac proinde esse *aggregatum* omnium sectarum in articulis fundamentalibus non errantium, licet in cæteris sibi adversentur. Ideo, juxta ipsum, societates particulares membra ejicere possunt extra unitatem sibi propriam, non vero extra unitatem generalem Ecclesiæ : nec proinde extra viam salutis. Hæc unitas essentialis solo errore in articulis fundamentalibus amitti potest. Tale est in substantia fomosum systema de quo tractat auctor in opere cui titulus : *Vrai système de l'Eglise*, l. 4, cap. 6 et seq.

quod a cunctis Protestantibus admissum est, et nunc ubique ab eis proclamatur, sic notanter *Benjamin Constant*, qui in opere dicto : *De la religion considérée dans sa source, ses formes et ses développements*, 3 vol. in-8°, affirmat Christum instituisse religionem quæ corda moveret, non vero quæ mentem fidei dogmatibus necessario admittendis obstringeret. Hinc, juxta ipsum, Ecclesia coalescit ex omnibus sectis, quæ in infinitum variari et perfici possunt, ratione perfectionis a spiritu humano semper progrediente acquisitæ,

Nos autem nunc probabimus distinctionem articulorum fundamentalium et non fundamentalium qua nititur totum *Juriæi* systema impossibilem esse ac proinde systema ipsum ruere.

PROPOSITIO.

Distinctio articulorum fundamentalium et non fundamentalium a Jurieu *excogitata, admitti non potest, ac proinde ruit ipsius systema.*

Prob. 1°. Illa distinctio admitti non potest quæ nullo nititur principio, impossibilis est in praxi et Deo injuriosa : atqui distinctio articulorum, etc.

— A) *Nullo nititur fundamento.* Fundamentum enim hujus distinctionis reperiri deberet in Scriptura sacra, siquidem protestantes nihil admittere volunt nisi quod ex Scriptura probatur, et fatentur veritates quas vocant fundamentales a voluntate Christi pendere : quærendum est ergo ex Scriptura utrum Christus voluerit has vel illas futuras esse fundamentales : atqui nullus assignari potest textus in Scriptura quo illa distinctio nitatur; multi, e contra, ei adversantur , quando nempe Ecclesia assimilatur regno, domui, sagenæ, navi, sponsæ, etc., quando dicitur unam esse fidem, sicut unum baptisma, quando Christus decernit eum qui non audit Ecclesiam habendum esse sicut ethnicum et publicanum : prædicta igitur distinctio est arbitraria et nullo innixa fundamento.

— B) *Impossibilis est in praxi.* Illa enim distinctio im-

possibilis est in praxi, si certæ non dentur regulæ quibus articuli fundamentales a non fundamentalibus tuto secernantur : atqui nullæ dantur hujusmodi regulæ. Fatetur *Jurieu* hanc questionem esse difficillimam : unde eo ipso plerisque hominibus fit solutu impossibilis.

Tres tamen assignat regulas ad distinguendos articulos fundamentales a non fundamentalibus : illi namque, juxta ipsum, sunt fundamentales, qui absque dispendio salutis negari non possunt, qui cum gloria Dei et beatitudine hominis connectuntur, qui perpetuo et consensu universali crediti sunt : atqui tres illæ regulæ sunt prorsus insufficientes.

— a) Ad nihil inservit prima regula. Asserit enim eos articulos esse fundamentales qui absque dispendio salutis negari non possunt : verum quæretur ab eo quinam articuli absque dispendio salutis possint vel non possint negari. Catholici quidem docent fidem *explicitam* nonnullorum articulorum, v. g., SS. Trinitatis et Incarnationis, ad salutem esse necessariam : sed negant licere vel unum articulum rejicere. Deberent ergo Protestantes declarare utrum hi vel illi tuto negari possint, et ob quas rationes : porro illud non faciunt : ergo.

— b) Non plus inservire potest secunda regula a *Jurieu* assignata. Necesse enim foret ut clare definiretur quinam articuli cum gloria Dei et beatitudine hominis connectantur, vel non connectantur : at illud nec a *Jurieu*, nec ab aliis Protestantibus determinantur : ergo.

— c) Nec pariter sufficit tertia regula ab eodem ministro tradita, scilicet universalis et perpetua christianorum populorum consensio, Nam, vel requiritur consensio metaphysice universalis, et tunc nullus articulus erit fundamentalis; nullum quippe est dogma quod non fuerit saltem aliquoties impugnatum : vel sufficit consensio moraliter universalis, et tunc fundamentales sunt omnes articuli, quod rejiciunt Protestantes; nam facile ostenditur illos consensu moraliter universali ante reformationem fuisse admissos. Ergo. Tres igitur regulæ quas tradit *Jurieu* sunt prorsus insufficientes. Ergo.

— C) *Est Deo injuriosa.* Ea enim admissa, vel negari possent veritates habitæ ut revelatæ, quod ipsi Protestantes non concedunt; vel licita erit negligentia in quærendis veritatibus revelatis quæ a priori judicantur non fundamentales, quod repugnat. Ergo.

Prob. 2° *ex traditione.* Certum est prædictam distinctionem ante *Jurieu* fuisse inauditam; fatetur ipse auctor evidentia coactus, dogma catholicum a tempore S. Cypriani semper admissum esse in Ecclesia : ergo semper creditum est. Vel enim semper creditum est, vel post Apostolos fuit introductum : at posterius dici non potest : tunc enim hæretici qui per illud a via salutis exclusi fuissent, statim reclamassent : illud saltem non admisissent : atqui tamen illud admiserunt : ergo.

Præterea, vox *Ecclesia* semper usurpata est ab hæreticis sicut a catholicis, pro unica societate omnes hæreticos excludente : hinc semper dictum est : *Ecclesia loquitur; Ecclesia præcipit; Ecclesia definivit,* etc. Porro hæc verba convenientia non essent, si Ecclesia Christi esset *aggregatum* omnium sectarum, juxta beneplacitum *Jurieu* et hodiernorum protestantium : ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Judæi ad fidem conversi, qui post decretum concilii Hierosolymitani ritus Mosaicos adhuc sequebantur, erant hæretici : attamen ab Apostolis fuerunt tolerati : ergo.

R. Nego ant. Illi enim Judæi non erant hæretici, si decreto concilii Hierosolymitani non fuerint oppositi : atqui decreto concilii Hierosolymitani non fuerunt oppositi : in illo namque concilio definiebatur observationem rituum Mosaicorum non esse necessariam, et jugum istud gentibus conversis non imponendum esse; sed non fuerat pronuntiatum ritus illos esse malos et fugiendos : atqui Judæi conversi non arbitrabantur eosdem ritus ad salutem esse necessarios, eos ex consuetudine et ex devotione observabant : Apostoli vero per aliquod tempus hanc con-

suetudinem toleraverunt, ut Synagoga cum honore sepeliretur. Ergo.

Obj. 2°. Catholici suos etiam habent articulos fundamentales qui a nemine negari possunt, et articulos non fundamentales, v. g., B. Mariæ in cœlum assumptionem; ergo.

R. Dist. ant. Catholici habent articulos fundamentales sed minime sensu Protestantium intellectos *concedo;* intellectos vero in sensu Protestantium, *nego.* Equidem fatemur et apud Catholicos esse articulos fundamentales, quos dicunt articulos fidei, sed ratio disparitatis inter hos et illos in eo sita est quod protestantes solo examine privato hos articulos discernant, et inde in varia et contradictoria abeant, dum Catholici agnoscunt existentiam auctoritatis docentis seu magisterium infallibile quo articuli fidei proponuntur, quod ipsum est vinculum unitatis circa fidem.

Obj. 3° Diversæ sectæ christianæ valide sacramenta administrant, ut omnes saltem de plurimis sacramentis admittunt; atqui sacramenta valide non administrarent inquit *Jurieu*, si de Ecclesia non essent : ergo.

R. Nego min, Nam validitas sacramentorum a sola voluntate Christi pendet : atqui Christus voluit ut quædam sacramenta a schismaticis, hæreticis, apostatis aliisque hominibus valide administrarentur. Sic tota intellexit et tradidit antiquitas de baptismate et de ordinatione; sed nihilominus illæ sectæ ut schismaticæ et hæreticæ constanter habitæ sunt. Non sua sic administrant sacramenta, sed sacramenta veræ Ecclesiæ, pro quibus conferendis sunt instrumenta : nam, ut observat S. Aug. contra Donat., de Bapt. lib. 1, c. 10, separantur quidem a vinculo charitatis et pacis, sed quibusdam in punctis adhuc juncti esse possunt cum vera Ecclesia, possunt retinere characterem et ritum externum cui, ex institutione Christi, annexa est gratia : in illo autem casu, vi characteris et ritus externi, valide conferuntur sacramenta : præfatum ergo argumentum, quod tantopere ventitat *Jurieu*, nihil probat.

III. Unitas fidei ad mentem Catholicorum.—Catholici, distinctione articulorum fundamentalium et non fundamentalium procul rejecta, contendunt unitatem fidei Ecclesiæ essentialem consistere in professione ejusdem doctrinæ, scilicet totius doctrinæ Christi, quæ ne varietur, pereatve, magisterio divine instituto et infallibili servatur, interpretatur et omnibus proponitur. Qui unitatem hanc fidei disrumpunt, aliquem fidei articulum pertinaciter negantes, dicuntur hæretici. Non requiritur autem unumquemque fide explicita tenere omnia dogmata quæ amplectitur ista doctrina; sufficit, ut paratus ad credendum omnia quæ proponit divinum Ecclesiæ magisterium, ea fide implicita teneat. Requiritur etiam non solum ut fides Ecclesiæ hic et nunc sit una eademque, sed etiam ut eadem sit omni tempore, ac proinde invariabilis. Sint igitur duæ propositiones sequentes.

PROPOSITIO PRIMA.

Unitas fidei, veræ Christi Ecclesiæ necessaria consistit in professione ex parte omnium ejusdem doctrinæ, scilicet totius doctrinæ Christi absque ullâ exceptione.

Illa propositio debet admitti quæ probatur scriptura Sacra, traditione et ratione, atqui talis est propositio nostra; etenim :

Prob. 1° *Scriptura sacra.* — A) Christus enim, apud Matth. xxviii, 20, dixit Apostolis : *Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Dixit *quæcumque,* absque ulla distinctione aut exceptione.

— B) Idem sequitur ex his verbis quæ in oratione post cœnam habita leguntur. Joan. xvii, 29. *Non pro eis rogo tantum, sed pro eis qui credituri sunt in me... ut omnes unum sint sicut tu, pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus quia tu me misisti. Et ego claritatem quam dedisti mihi dedi eis ut sint unum sicut et nos unum sumus.* In hac oratione postulat Christus, ut discipuli sui omnes coadunentur arctissima unione,

cujus erit exemplar unio quæ in Sanctissima Trinitate inter Patrem et Filium existit. Quater idem rogat in duobus versiculis. Porro tam arcta unio unitatem fidei ad mentem Catholicorum importat, cum sit præcipua conditio unitatis religiosæ. Ergo.

— C) B. Paulus sic se habet : *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Eph. IV, 3.

Philipp. II, 2, 3 : *Implete gaudium meum , ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam.*

Tit. III, 9, 10 : *Stultas autem quæstiones, et genealogias, et contentiones, et pugnas legis devita; sunt enim inutiles et vanæ. Hæreticum hominem, post unam et secundam correptionem devita.* Porro evidenter affirmari non potest sectas in doctrina sibi oppositas servare omnia quæcumque mandavit Christus, habere unitatem spiritus *in vinculo pacis,* unam profiteri fidem, *eamdem charitatem* habere, esse *unanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem* dicere, *hæreticum hominem* devitare, etc. Ergo.

Prob. 2° *Traditione.* — A) *Testimonio Sanctorum Patrum.* Multa a Patribus excipi possunt quibus nostra firmatur propositio. Hæc accipiantur a S. Irenæo, ex veteribus illustrissimo, lib. adv. hær. 2 : « Acceptam hanc » prædicationem et fidem..., Ecclesia tametsi per totum » orbem sparsa summo studio atque cura perinde atque » unam domum incolens, conservat; ac velut animam » atque unum idemque cor habens, his æque fidem ac- » commodat, et miro consensu quasi uno ore prædita, » hæc prædicat, docet, ac tradit. » — Hæc verba clarius Catholicam doctrinam tradunt quam ut explicatione indigeant.

—B) *Praxi Ecclesiæ.* Constat ex sanctis Patribus et totò historiæ ecclesiasticæ decursu, errantes in fide, etiam in articulis qui protestantibus minus essentiales visi sunt, semper exclusos esse ab Ecclesia velut hæreticos. S. Aug. nonaginta numerat hæreses ab Apostolis usque ad tem-

pus suum : inter eas saltem plurimæ articulos a protestantibus velut fundamentales assignatos procul dubio tenebant; attamen divus Aug. omnes similiter damnat; idem fecerant S. Epiphan. et S. Irenæus, lib. contra Hæreses. A tempore S. Aug. usque ad Lutherum, idem fere numerus hæreseon computatur, et omnes pari modo sine ulla exceptione proscriptæ sunt. Ergo.

Prob. 3° *Ratione theol.* — A) Quidquid Christus instituit ad nostram salutem et ad informandam Ecclesiam a nobis retinendum est, et nihil negligendum, veluti inutile aut minoris pretii : atqui Christus unum idemque doctrinæ corpus in Ecclesia instituit, quod tradidit Apostolis servandum et docendum : ergo hoc corpus totum est tenendum.

— B) Vel admittendum est systema Catholicorum circa unitatem fidei, vel saltem systema a Juriæo excogitatum, nam omnes fatentur saltem quamdam in Ecclesia Christi servandam esse fidei unitatem, atqui posterius dici nequit, nam ex hoc systemate ruit quævis fidei unitas, cum nullum detur principium quo veritates credendæ necessario a non credendis secernantur ; fides pendet a cujusvis gustu aut ratione, et nemo non scit quod erunt tot capita tot sensus, ac proinde ruet omnis fidei unitas. Ergo...

PROPOSITIO SECUNDA.

Invariabilis est Ecclesia in fide sua.

Prob. 1° Propositio hæc sequitur ex præcedenti : Si enim vera Christi Ecclesia essentialiter sit una in fide, ita ut negatio unius articuli constituat hæreticum, nulla admitti potest mutatio. Unde axioma Catholicum, a beato Stephano Papa contra rebaptizantes probatum, et toties repetitum : *Nihil innovetur, nisi quod traditum est* (S. Cypr. Epist. 74).

Prob. 2° Doctrina Ecclesiæ tradita est a Christo et ab eo quasi *depositum* custoditur ab eadem Ecclesia, atqui si mutaret hanc doctrinam depositum adulteraret, et doc-

trina nova jam Christi documentum esse desineret. — Ergo sic se habet de eodem argumento Vincentius Lirinensis, in Commonitorio, n. 22, loquendo de textu B. Pauli, I Tim. VI, 20 : *Depositum custodi :* « Quid est » depositum ? Id est quod tibi creditum est, non quod a » te inventum ; quod suscepisti, non quod excogitasti ; » rem non ingenii, sed doctrinæ ; non usurpationis priva- » tæ sed publicæ traditionis. »

Prob. 3° Doctrina ab Ecclesia servata est veritas; atqui veritas est absoluta, id est, veritas hodie, cras error fieri non potest ; ergo doctrina Ecclesiæ mutari non potest.

Notandum invariabilitatem in fide non esse oppositam definitioni novarum propositionum. Ecclesia enim novas definiendo propositiones, objectum fidei suæ non mutat, sed tantum decernit hanc aut illam veritatem in deposito revelationis contineri.

A fortiori theologorum opiniones, ad fidem minime pertinentes, variari possunt, absque læsione invariabilitatis fidei.

§ III. — De unitate regiminis.

I. Quid unitas regiminis. — Unitas regiminis est ea qua fideles, in societate constituti, legitimis pastoribus et præsertim summo Pontifici, Ecclesiæ supremo capiti, Christique vicario, subjiciuntur. — Qui vero ab hac unitate subjectionis separantur dicuntur schismatici a verbo græco σχίζω, *dilacero.*

II. Confirmatur unitatis regiminis necessitas. — Hanc regiminis unitatem non admittunt Protestantes contra quos sit sequens

PROPOSITIO.

Vera Christi Ecclesia ita est una ratione regiminis, ut a via salutis excludantur schismatici, etiamsi in doctrina non errent.

Prob. Illud pro certo tenendum est quod constat Scriptura sacra, traditione et ratione : atqui constat, etc.

1° *Scriptura sacra.* Ecclesia enim variis in locis Scripturæ comparatur ovili, regno, civitati, domui, familiæ, corpori, etc.; at illæ figuræ unitatem regiminis denotant: qui ergo a regimine ecclesiastico per schisma separantur, jam de Ecclesia non sunt, sicut oves a regimine pastoris sejunctæ non sunt de ovili, subditi a ductu regis separati non sunt de regno, etc.; hoc ipso extra viam salutis sunt positi. Ergo 1°.

2° *Traditione* — A) *Ex Historia Ecclesiastica.* Novatianus, contra regulas legitimas pontifex Romanus consecratus, et Donatus similiter in sede Carthaginensi intrusus, erant tantummodo schismatici; attamen ipsi ipsorumque sectatores semper habiti sunt ut extra Ecclesiam positi solo facto schismatis: unde S. Cyprianus, Epist. 76: « Novatianus in Ecclesia non est, nec Episcopus » computari potest, qui Evangelica et Apostolica tradi» tione contempta, nemini succedens, a seipso ortus » est. » Idem affirmat S. Aug. pluribus in locis de Donatistis.

— B) *Testimoniis SS. Patrum.* Unanimiter et explicite regiminis unitatem Patres commendant. Nihil reperitur eloquentius quam ipsorum adhortationes ut regiminis unitatem servari satagant; nihil terribilius quam anathemata quibus schismaticos percutiunt. Audiamus solos B. Clementem papam et S. Ignatium Antiochenum quorum verba commentariis non indigent. Sic B. Clemens in Epist. ad Corinth.: « Subditi estote præpositis vestris » honorem debitum senioribus vestris tribuentes. Præ» positos nostros revereamur, seniores nostros honore» mur. Turpia sunt, dilecti, et valde turpia, et christiana » conversatione indigna, audiri firmissimam et antiquam » Corinthiorum Ecclesiam propter unum aut alterum ho» minem contra Presbyteros seditionem movere. So» lum ovile Christi in pace degat cum constitutis pres» byteris. Qui hoc fecerit magnum decus in Domino » comparabit. »

S. Ignatius, in Epist. ad Philadelphos, dicit: « eos non » esse cum Christo qui non sunt in unitate Ecclesiæ cum

» Episcopo ; et eos qui schisma facientes sequuntur, re- » gnum Dei non hæreditare. » Idem habent S. Polycarpus, S. Justinus, S. Hieronymus, etc. Ergo 2°.

Prob. 3°. *Ratione.* — A) Vel enim Ecclesia est unica ratione regiminis, vel duo aut plura ministeria a se independentia simul existere possunt in Ecclesia : atqui posterius dici non potest; nam si plura ministeria a se independentia simul existerent, vel a Christo instituta, vel post Christum formata fuissent : atqui neutrum supponi potest. Non prius; quia certum est Christum unicam instituisse societatem sub unico regimine, sicut ovile est sub unico pastore, regnum sub unico rege, civitas sub unico magistratu, domus sub unico patrefamilias, etc. Non posterius ; nam hæc ministeria ab hominibus formata essent, et tunc vitam spiritualem non haberent; forent quippe sicut membrum a corpore separatum, vel ramus qui a trunco arboris sejunctus, statim arescit et perit : ergo 3°, etc.; aliunde, etc. Ergo. Vide exquisitum opus *Nicole, Unité de l'Eglise, c.* 10, etc.

— B) Ecclesia, ex institutione Christi, societas est et quidem perfectissima, porro regiminis unitas cuicumque societati necessaria est ut in ipsa maneant unio et concordia. Unitas illa vinculum est quo cives associantur, quo gignitur ordo, quo ad finem mutuo tenditur; amota illa, habes individua non cives nec societatem, lapides non ædificium, ramos non arborem. Ergo...

Inferendum est ex cunctis probationibus mox allatis omnes pastores regimini veræ Ecclesiæ præpositos unum efficere corpus, ac consequenter supremum agnoscere caput. scilicet Romanum Pontificem, cui subjiciuntur.

§ IV. — De unitate cultus.

I. Quid unitas cultus. — Unitas cultus in eo sita est quod eadem media sanctificationis ab omnibus admittantur, et fiant cultus publici fundamentum; hæc unitas igitur vocari potest unitas sacramentalis. Non requiritur vero ut omnes ritus et cæremoniæ sint ubique et absolute ad

minimam eædem, sed ut circa eadem sacramenta versentur.

II. Necessitas hujus unitatis varie demonstratur. — 1° Apud S. Paul. ad Eph. IV legitur : *Unus Dominus, una fides, unum baptisma;* et I ad Corinth. X, 17 : *unus panis, unum corpus sumus, omnes qui de uno pane participamus.* Circa Baptismum et panem Eucharisticum, qui pro toto cultu sacramentali sumuntur, Christiani debent esse in unitatem redacti eodem modo ac circa fidem, et ita ut unum corpus efficiant; porro unitas fidei, et unitas corporis perfecta est et absque ulla divisione, ergo et circa cultum. — 2° Unitas cultus servanda est si omnia sacramenta a Christo instituta, et non alia sint necessaria : atqui res ita se habet, etenim Christus ut pote sapientissimus et summe providens nihil inutile fecit, ideo omnia quæ instituit necessario sunt tenenda; non aliis vero utendum est cum solus potuerit medium instituere sanctificationis. Ergo unitas servanda est circa sacramenta.

ARTICULUS TERTIUS.

DE SANCTITATE ECCLESIÆ.

I. Quid et quotuplex sanctitas in Ecclesia. — Sanctitas quatenus pertinet ad Ecclesiam duplex est, *interna* scilicet et *externa*. Sanctitas *interna* seu *latens* prosequitur ex intima unione qua Christus conjungitur tum Ecclesiæ generatim sumptæ, Spiritu sancto in ea inhabitante, tum fidelibus per fidem, spem et charitatem aliasque virtutes, quibus vita spiritualis informatur.

Sanctitas externa nihil aliud est nisi internæ sanctitatis publica manifestatio quæ multipliciter fieri potest. Etenim sancta nobis apparebit Ecclesia si doctrinam puram præceptaque sancta semper doceat; si exhibeat cultum Deo dignum; si habeat pro fine semper gloriam Dei hominumque salutem; si media salutis quæ subministrat, v. g., oratio, sacramenta, jejunium apta sint ad

sanctificandum ; si misericordiæ et charitatis opera in sinu ejus exerceantur ; si virtutes colantur usque ad gradum heroicum ; si zelo et quidem efficacissimo pro hominum salute, infidelium errantiumque conversione nobilitetur ; si demum in ejus gratiam continuo patrentur miracula.

II. De sanctitate prout est nota Ecclesiæ. —Sanctitas interna est essentialis Ecclesiæ proprietas, cum constituat præcise *animam* de qua supra disseruimus, et sine qua Ecclesia vivere nequit. Attamen hæc interna sanctitas non reputanda est inter notas Ecclesiæ, quia soli Deo non vero hominibus est visibilis. Sanctitas autem externa coram omnium oculis patet ac proinde manifestum potest esse signum veræ Ecclesiæ. Aliunde certum est Ecclesiam sponte sua necessario, saltem sæpius, fulgere hac externa sanctitate. — 1° Etenim si spectes ad Ecclesiam generatim sumptam, vivificatur Spiritu sancto qui in ea residet, thesaurus est doctrinæ sanctæ et depositorium gratiæ ; porro hoc depositorium celare nequit nec thesaurum veritatis, ad instar avari, recondere ; et Spiritus sanctus in ea inhabitare non potest quin ejus influxus ad exterius manifestetur, veluti anima per operationes externas deprehenditur.

2° Si spectes ad fideles seorsim consideratos, sanctitatem externam esse essentialem saltem in genere veræ Ecclesiæ item pronuntiabis. Certum est enim in Ecclesia semper esse ac fore, ut vidimus, fideles sanctos, unde S. Petrus vocat Christianos, *gentem sanctam, populum acquisitionis ;* porro impossibile est sanctitatem mere esse internam, necessario enim prodit ad exterius, ut dicit B. Paulus de charitate, in qua omnes virtutes habent suum principium : *Charitas operatur.* Diximus *saltem sæpius, saltem in genere.* Non equidem necesse est ut omnia signa sanctitatis quæ mox enumeravimus simul reperiantur, sed requiritur ut saltem quædam observentur ; non requiritur ut omnibus diebus ea sanctitatis indicia fulgeant, sed necesse est ut dato quodam tempore videantur. Aliunde horum indiciorum præsentia optimam Ec-

clesiæ notam efformat, cum impossibile sit Deum talibus signis homines in errorem inducere.

ARTICULUS QUARTUS.

DE CATHOLICITATE ECCLESIÆ.

I. QUID CATHOLICITAS ET QUOTUPLEX. — *Catholicitas* idem significat ac universalitas. Triplici modo Ecclesia dici potest catholica, videlicet ratione doctrinæ, ratione temporum et ratione locorum. Est catholica ratione doctrinæ, si omnem profiteatur doctrinam a Christo traditam; est catholica ratione temporum, si semper sit duratura.

Ecclesia est catholica ratione locorum, si ubique sit diffusa; sub hoc respectu dici potest catholica, primo *successive*, si diversas orbis partes successive percurrat; secundo *simultanee*, si de facto per orbem universum diffundatur: quod triplici modo fieri potest, scilicet *physice* si reipsa totum orbem impleat; *moraliter*, si per maximam orbis partem extendatur, et *relative*, si diffusione sua alias societates christianas vincat.

II. SENTENTIA CATHOLICORUM CIRCA CATHOLICITATEM. — Nonnulli theologi dixerunt solam catholicitatem successivam veræ Ecclesiæ esse essentialem: sic Melchior Canus, de Locis theologicis, l. 4, cap. *Postremo*, resp. ad 13 um argumentum; Bellarm. l. 4 de notis Eccl., c. 7. Alii vero communiter docent catholicitatem simultaneam, sensu morali intellectam, veræ Ecclesiæ necessariam esse; hanc sententiam amplectentes, considerabimus catholicitatem in duplici paragrapho, in 1° de catholicitate quoad locum, et in 2° de catholicitate quoad tempus. De catholicitate quoad doctrinam silemus, quia in unitatem et apostolicitatem redundat.

§1. — De catholicitate quoad locum considerata.

Affirmatur et probatur in sequentibus propositionibus 1° veram Ecclesiam esse catholicam seu universalem;

— 2° hanc catholicitatem perpetuo duraturam fore; — 3° hanc catholicitatem esse non tantum successivam sed simultaneam; — 4° sufficere ad hanc catholicitatem diffusionem per magnam partem orbis; — 5° sed requiri ut Ecclesia catholica cæteras societates Christianas sua diffusione vincat.

PROPOSITIO PRIMA.

Vera Christi Ecclesia debet esse catholica seu universalis quoad locum.

Illud pro certo tenendum est quod probatur ex Scriptura sacra, ex Symbolo fidei et ex Traditione : atqui ex Scriptura sacra, etc.

Prob. 1° *Ex Scriptura sacra.* Gen. XXII, 18, Deus dicit Abraham : *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Unde sic : Ut ex illa promissione concludi possit Ecclesiam debere esse catholicam, duo sufficiunt : ut benedictio hic prænuntiata per Christum sit diffundenda; ut gentes illius participes fieri non possint nisi Ecclesiam ingrediantur : atqui hæc duo certa sunt.

— A) Benedictio hic prænuntiata per Christum est diffundenda. Nam eo præsertim textu nitebantur fides Judæorum de adventu futuro Messiæ, et ejusdem exspectatio. Præterea, B. Paulus ad hunc locum allusionem faciens, Gal. III, 16, ait : *Abrahæ dictæ sunt promissiones et semini ejus. Non dicit : Et seminibus, quasi in multis; sed quasi in uno : Et semini tuo, qui est Christus.* Ergo.

— B) Gentes benedictionis hujus participes fieri non possunt nisi Ecclesiam ingrediantur. Ideo enim promissus erat Messias, et in eo benedicendum erat genus humanum, ut deleretur maledictio per serpentem inducta, et salus obtineri posset : atqui, ex dictis, nulla est salus extra Ecclesiam : ergo nec benedictio in Christo. Porro omnes gentes benedicendæ sunt in Christo, ex prophetia : omnes igitur ingredi debent Ecclesiam. Ergo.

Idem probatur ex Daniele, II, 34 et 35 : *Abscissus est lapis de monte sine manibus : et percussit statuam in pedibus*

ejus....., et factus est mons magnus, et implevit universam terram. Hæc autem celebris prophetia, quæ integra legenda est, communiter de Ecclesia Christi intelligitur et revera aliter explicari non potest : porro Ecclesia sic designata est catholica.

Ps. II, 8 : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.*

Malach. I. 11 : *Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.*

Act. 1. 8 : *Et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ*; et XIII, 46, 47 : *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei : sed quoniam repellitis illud..., ecce convertimur ad gentes ; sic enim præcepit nobis Dominus : Posui te in lucem gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ.* Ex his textibus manifestum est Ecclesiam Christi debere esse catholicam, seu ubique diffusam.

Prob. 2° *ex Symbolo fidei.* Talis debet esse Ecclesia qualem eam esse profitemur : atqui profitemur, et protestantes nobiscum profitentur in Symbolo, eam esse ubique diffusam; profitemur enim eam esse catholicam, et vox *catholica*, obvio sensu accepta, significat extensionem ubique moraliter diffusam, ut ex innumeris SS. Patrum testimoniis probari posset.

Prob. 3° *ex traditione.* S. Cyrillus Hierosol. Catech. 18, n. 11 : « Catholica igitur vocatur (Ecclesia), quia per uni» versum sit orbem terrarum diffusa, a finibus terræ » usque ad extrema. »

S. Optatus, lib. 2 in initio, contra Parm. : « Ubi ergo » proprietas catholici nominis, cum Ecclesia dicta sit ca» tholica, nisi quod sit ubique diffusa?

S. Cyprianus, de Unitate Ecclesiæ, fere in initio : « Ec» clesia luce Domini perfusa, per orbem totum radios » suos porrigit. Unum tamen lumen est quod ubique dif» funditur, nec unitas corporis separatur; ramos suos in » universam terram copia ubertatis extendit, profluentes » largiter rivos latius expandit. »

S. Chrysost. in c. 11 Is., n. 2 : « Neque sol ita splendi-
» dus, neque lux ejus ita clara est ut sunt res ad Eccle-
» siam spectantes. »

S. August., I Tract. in Epist. Joan., n. 13, 2 part. :
« Numquid sic ostendimus Ecclesiam, fratres mei? Nonne
» aperta est? Nonne tenuit omnes gentes? Ecce mons in-
» plens universam faciem terræ; ecce civitas de quas dic-
» tum est : NON POTEST CIVITAS ABSCONDI SUPRA MONTEM
» POSITA. » Ergo.

Prob. 4 ex ratione. Deus Pater est omnium, omnium salvator D. N. J. C. qui omnes vocat ad salutem; porro salus omnium moraliter fieri nequit nisi Ecclesia per quam salus obtinetur fiat Catholica; ergo. Idem jam probatur ex traditione, symbolo fidei et sacris litteris ergo.

PROPOSITIO SECUNDA.

Ecclesia non tantum successive, sed simultanee catholica esse debet.

Prob. 1° Vox *catholica* sumi debet sensu obvio : atqui sensu obvio accepta, simultaneam et non successivam designat extensionem. — 2° Christus regnaturus est a mari usque ad mare, nomen ejus futurum est magnum ab ortis solus usque ad occasum, Ecclesia ejus futura est mons magnus totam implens terram : atqui hæc simultaneam et non successivam exprimunt dominationem. — 3° SS. Patres diversos urgebant hæreticos, dicentes eos non habere veram Ecclesiam, quia non erant catholici; si persuasum habuissent catholicitatem Ecclesiæ promissam esse successivam et non simultaneam, hoc argumentum nullius fuisset roboris, ut patet. — 4° Profitemur in Symbolo Ecclesiam catholicam : singulis igitur diebus catholica esse debet. Ergo.

PROPOSITIO TERTIA.

Sufficit Ecclesiæ catholicitas moralis nec physica requiritur.

Probatur propositio triplici argumento ex ratione theologica petito. — 1° Ea sufficit diffusio qua verificantur verba quibus catholicitas promittitur Ecclesiæ : atqui verificantur hæc verba, si Ecclesia per magnam orbis partem diffundatur; legitur enim in Scriptura, I Mach. I, 2 et seq. Alexandrum obtinuisse omnium munitiones, interfecisse reges, pertransiisse usque ad fines terræ, accepisse spolia multitudinis gentium; idem fere dicitur de Nabuchodonosor, Daniel, II, 38; dicitur Romanos possedisse mundum..... atqui hæc omnia non sunt vera nisi sensu morali, et de sola extensione per magnam orbis partem intelligenda sunt : ergo *a pari* sufficit ut Ecclesia, etc.

2° Prophetiæ de catholicitate Ecclesiæ mendaces esse non possunt : attamen mendaces essent, nisi in sensu morali supra exposito intelligerentur; nulla enim est societas christiana, nec ulla fuit unquam, quæ extensionem metaphysice universalem habuerit, imo nec eam habent homnes societates christianæ simul junctæ.

3° Sancti Patres dicebant Ecclesiam esse ubique diffusam : verum Ecclesia tunc non erat diffusa, nisi per magnam orbis partem. Ergo.

PROPOSITIO QUARTA.

Necesse est ut vera Ecclesia cæteras societates christianas diffusione sua vincat.

Prob. Ut certissimum illud admitti debet quod ex Scriptura sacra et ex sanctis patribus constat : atqui ex Scriptura sacra, etc.

1° *Ex Scriptura sacra.* In textibus enim allatis, Ecclesia prænuntiatur ut *mons magnus* implens *universam terram*, ut *a mari ad mare, ab ortu solis usque ad occasum,*

vel *usque ad extremum terræ* dominatura, ut *in omni loco* existens, etc. Porro talis figura alium excludit montem majorem vel æqualem, terram pariter implentem, aliam societatem similem, ubique pariter dominantem. Certe immerito dictum fuisset imperium Romanum totum occupare mundum, si aliud simul exstitisset regnum notum majus vel æquale. Ergo 1°.

2° *Ex Sanctis Patribus.* Unanimiter enim sancti Patres assignant catholicitatem velut characterem veræ Ecclesiæ distinctivum, ut videre est in testimoniis eorum supra citatis et in multis aliis quæ citari possent, v. g., S. Cyrilli Hierosol. Cat. 18 : « Catholica Ecclesia, hoc enim proprium est nomen sanctæ matris omnium nostrum, quæ » est sponsa Domini nostri; » S. Paciani Epist. I ad Sympronianum Donatistam : « Christianus mihi nomen est, » Catholicus vero cognomen. » Antea in eadem epistola dixerat : « Catholicum istud nec Marcionem, nec Apel» lem, nec Montanum sonat, nec hæreticos sumit auctores. » At sancti Patres catholicitatem velut proprium veræ Ecclesiæ characterem non assignassent, si eam universalitate sua cæteras societates christianas necessario vincere non credidissent. Ergo.

§ II. — De catholicitate quoad tempus.

I. Quid Catholicitas Ecclesiæ quoad tempus considerata. — Catholicitas quoad tempus pluribus modis intelligi potest. 1° Catholicitas Ecclesiæ quoad tempus considerata in eo sistere potest quod Ecclesiæ nunquam existere desinat. Sic si eam spectes generatim et late sumptam, dices eam incœpisse a Protoparentibus nostris pœnitentibus, præparatam esse tempore legis Mosaicæ sacrificiis, figuris et prophetiis, perfectam esse a Christo a quo jam non defecit, ut usque in æternum, fidelibus cum Christo regnantibus, in cœlis consummetur. — 2° Catholicitas vero aptata ad Ecclesiam, quatenus a Christo orta jam in terris manet, potest consistere in eo quod hæc Ecclesia non debeat deficere sive per quoddam

temporis momentum, sive omnino pereat; tunc ea Catholicitas a quibusdam indefectibilitas dici solet. — 3° Tandem Catholicitas quoad tempus significat Ecclesiam perpetuo et absque intervallo per totum orbem moraliter diffusam fore. — De Catholicitate, quatenus ad Ecclesiam late sumptam pertinet, hic abstinemus. — De Catholicitate quatenus est indefectibilitas seu perpetuitas jam paucis verbis diximus ubi de visibilitate, at propter maximi momenti materiam, de ea sermone prolixiori tractabimus. Item dicemus de Catholicitate, prout ad Ecclesiam pertinet semper perpetuoque per totum orbem esse diffusa.

II. Errores circa Ecclesiæ Catholicitatem. — Donatistæ contenderunt primi, aut in primis, Ecclesiam, quæ late per totum diffundebatur orbem, ita minuisse, ut intra limites Donatistarum sectæ comprehensa vigeret; contra quos S. Augustinus tractatum de Catholicitate Ecclesiæ habuit. — Berengarius, teste Ratramno in eo venit ut prædicaverit Ecclesiam defecisse et periisse. (Libermann). — Idem sæpe sensere Protestantes, inter quos minister *Claude* qui Ecclesiæ durationem in tres dividit ætates, eam quippe considerans ut crescentem sicut pueri crescere solent; ut aliquandiu in eodem statu permanentem, sicut viris consuetum est; et ut senescentem atque in senio catholicitate privatam. — Alii uti Sociniani quibus consentiunt hodierni philosophi a perpetua identitate Ecclesiæ recedunt, quasi hæc perpetuitas libertati humanæ, generisque humani progressibus adversetur. — Norunt omnes Jansenistas etiam a possibilitate defectionis Ecclesiæ non abhorrere, ac pluries confessos esse Ecclesiam revera defecisse. — Vide *Rohrbacher*, tom. xxv, p. 443, 3e éd.

III. Sententia Catholicorum circa Catholicitatem vindicata. — Nos vero probaturi nunc sumus ea gaudere quoad tempus catholicitate Ecclesiam Dei ut nunquam possit deficere, aut eclipsim pati : et præterea eam quoad locos esse ejus catholicitatem ut perpetuo perduret, *notando* tamen hanc universalitatem non fuisse possibilem

in suo exordio : fuit enim et debuit esse Ecclesia sicut granum sinapis, primum exigua, ut deinde velut arbor magna fieret.

PROPOSITIO.

Ecclesia debet esse perpetuo quoad tempus catholica seu indefectibilis.

Prob. 1° *Scriptura Sacra.* In veteri Testamento pluries prænuntiata fuit perpetuitas regni filii Dei seu Ecclesiæ, ac præcipue in hoc Vaticinio Isaiæ cap. IX : *Parvulus natus est nobis... multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis : super solium David et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud... a modo usque in sempiternum.* — Ab Angelo, antequam Christus nascatur, revocatur hæc prophetia, Luc. I : *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris sui, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.* — Christus idem declarat expressis verbis Petrum alloquens : *Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam et portæ inferi non prævalebunt adversus eam ;* et iterum Apostolos : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra : Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eas. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Matth. XVI. Unde sic : Quod, sub forma regni in sempiternum erit, quod ita fundatum est ut infernæ potestates illud destruere non valeant, quod semper præsenti et auxiliante Deo gaudebit, perpetuo durabit, et nunquam deficiet, atqui talis est Ecclesia ; ergo.

Prob. 2° *Traditione.* — A) Abundant libri SS. Patrum testimoniis e quibus erui possit perpetuitas et quasi Ecclesiæ æternitas. Quædam clariora seligamus. Origenes ait : « Ex quo constituta est Ecclesia in nomine Christi ad » consummationem usque perseverat. » — S. Chrysostomus, hom. de sui expuls. : « Ecclesiam vincere nulla vis » poterit, nam Deus est cum Ecclesia, qui est omnibus » fortior. » S. Augustinus, serm. de Symb. VI, 15 : « Ipsa » est Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia

» Catholica, contra omnes hæreses pugnans; pugnare, » expugnari non potest. Hæreses omnes de illa exierunt » tamquam sarmenta inutilia de vite præcisa; ipsa autem » manet in radice sua, in caritate sua, portæ inferorum » non vincent eam. »

— B) Apud symbolum fides in Ecclesiam continetur : porro perpetuo fideles tenebuntur confiteri et credere singulos articulos symboli ; ergo et Ecclesiam perpetuam.

Prob. 3° *Ratione.* — A) Christus voluit perpetuam esse religionem a se institutam; atqui ista religio nihil aliud est nisi Ecclesia; ergo et Ecclesia perpetua erit. — B) Spiritus Sanctus in sacris litteris nullum terminum assignat Ecclesiæ Catholicitati quam sæpe et liquide commemorat; porro punctum tanti momenti non omisisset, si Ecclesia sua Catholicitate destituenda foret, cum istud silentium homines in errorem induxisset. — C) Rationes cur Ecclesia debet esse Catholica a nobis supra expositæ perpetuo valebunt; semper enim Deus erit pater omnium, Christus omnium salvator; et aliunde Catholicitas non pertinet ad Ecclesiam tanquam transitorius character, sed quasi sua sponte ab ejus natura emanans; ergo hæc catholicitas perpetuo durabit. Idem jam probatum est argumentis ex traditione et Scriptura depromptis; ergo vera Christi Ecclesia debet esse perpetuo Catholica et indefectibilis.

Obj. Dices : Luc XVIII, 8 : *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Certe ubi non est fides, ibi non est Ecclesia : ergo saltem in ultimis temporibus Ecclesia non erit catholica.

R. 1° Etiamsi concederemus Ecclesiam in ultimis temporibus non futuram esse catholicam, nihil contra nos sequeretur; nam de illa tractamus prout debet esse usque ad consummationem sæculi, non vero prout erit in ipsamet sæculi consummatione.

R. 2° *Nego conseq.* Juxta communiorem enim et probabiliorem sententiam, verba Christi non sunt intelligenda de professione fidei, sed de fide efficaci et per charitatem formata : at fieri potest ut fides per charitatem

formata descrescat et rara inveniatur, licet Ecclesia maneat catholica. Unde, vel illa verba referenda sunt ad destructionem Jerusalem, ut multi volunt, et sensus est quod eo tempore Christus paucos invenire debuerit qui in ipsum crediderint; vel referri debent ad ultima tempora, ut alii docent, et sensus erit quod tunc pauci futuri sint sancti : at, in utraque hypothesi, nihil adversus propositionem nostram concludi potest. Ergo.

ARTICULUS QUINTUS.

DE APOSTOLICITATE ECCLESIÆ.

Quid apostolicitas. — Apostolicitas Ecclesiæ nihil aliud est quam ejus identitas cum Ecclesia ab Apostolis fundata. Illa igitur Ecclesia dicitur Apostolica quæ ab Apostolis originem ducit, doctrinam eorum profitetur integram, et habet ministerium ab eis legitima successione derivatum. Duplex igitur est Apostolicitas : una scilicet doctrinæ et altera ministerii. Notandum est hanc Apostolicitatem esse simul proprietatem essentialem veræ Ecclesiæ et notam aptissimam ad eam inveniendam, cum Ecclesia vera esse non possit quin sit apostolica; et nulla societas præter ipsam hac origine gaudere possit; et aliunde cum hæc filiatio signis certis possit apprehendi. In duplici paragrapho dicemus de Apostolicitate doctrinæ, et de Apostolicitate ministerii.

§ I. — De apostolicitate doctrinæ.

PROPOSITIO.

Vera Christi Ecclesia debet esse apostolica ratione doctrinæ.

Prob. 1° *Script. Sacr.* Christus dixit Apostolis, Matt. xxviii, 20 : *Docete omnes gentes servare quæcumque mandavi vobis.* Unde sic : Christi Ecclesia profiteri debet puram Christi doctrinam; atqui vera et pura doctrina

Christi ea est quam tradidit docendam Apostolis; ergo eamdem debet profiteri Ecclesia, ac proinde esse Apostolica ratione doctrinæ. — Non immoramur his probationibus, nam hanc propositionem admittunt protestantes, qui contendunt Ecclesiam Romanam esse deserendam, quia in pluribus a doctrina Apostolorum deficit.

§ II. — De Apostolicitate ministerii.

Apostolicitatis ministerii conditiones. — Illa Ecclesia dicitur ratione ministerii Apostolica cujus ministri serie non interrupta legitimorum pastorum usque ad Apostolos ascendunt ipsisque conjunguntur. Tria ministerii apostolicitatem constituunt, scilicet *successio, missio, et ordinatio :* successio locum habet cum minister sedem alterius ministri morte aut abdicatione vel aliter legitime vacantem occupat. Formalis est successio si legitima missione præcedatur; materialis tantum et insufficiens si fiat absque missione. — *Missio* est actus superioris ecclesiastici quo minister inferior a superiore deputatur ad regendam quamdam Ecclesiam vel munus implendum.— Ordinatio est complexio rituum quibus confertur potestas ordinis ad validitatem sacri necessaria. Ordinatio quidem non est absolute necessaria ut legitima fiat missio et successio, quia potestas ecclesiastica potestati ordini essentialiter non est connexa. Attamen, cum ex institutione generali Christi, in easdem personas utraque potestas cadat, merito veluti apostolicitatis ministerii elementum habenda est legitima ordinatio.

PROPOSITIO.

Vera Christi Ecclesia debet esse Apostolica ratione ministerii.

Uti mox diximus, in hac propositione probaturi sumus ministerium quo nunc regitur Ecclesia necessario ab Apostolis successiva et legitima missione venire, et

in hoc sensu Apostolicam esse Ecclesiam. His præmissis,

Probatur propositio Scriptura sacra, testimoniis Patrum, et ratione.

1° *Scriptura sacra.* Matth. XXVIII, 18 : *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra : euntes ergo docete omnes gentes..... Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi ;* et apud S. Joan. XX, 21 : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Unde sic : Christus mittit Apostolos ad prædicandum Evangelium, et promittit se cum illis docentibus adfuturum esse usque ad consummationem sæculi : ergo successores sine interruptione habere debent.

Eph. IV, 11 : *Ipse dedit quosdam quidem apostolos..... alios autem pastores et doctores... in opus ministerii.....* Pastores igitur venire debent a Christo : at semper debent esse pastores in opus ministerii : ergo.

Heb. V, 4 : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron : sic et Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret...* In veteri lege nullus poterat esse sacerdos aut levita nisi secundum ordinem a Deo præscriptum ; ipse Christus non potuit esse pontifex nisi a Deo vocatus : ergo *a fortiori* nulli possunt esse legitimi pastores in Ecclesia, nisi secundum ordinem a Christo institutum et per Apostolos transmissum. Ergo.

Apostoli, verbis Domini innixi, passim instituebant episcopos qui sua vice alios præficerent episcopos et presbyteros. Sic Paulus et Barnabas per singulas ecclesias constituebant presbyteros, Act. XIV, 22. Idem B. Paulus ordinaverat Timotheum, illi tradebat regulas ad alios ordinandos, I Tim. V, 22 ; Titum reliquerat Cretæ ut presbyteros constitueret, Tit. I, 5. Ergo 1°.

2° *Testimoniis SS. Patrum.* Tertul. de Præscript. c. 32, sectas suo tempore existentes invicte debellat ex Apostolicitatis ministerii privatione : « Illis, *inquit,* possumus » dicere : Edant ergo origines ecclesiarum suarum ; evol» vant ordinem episcoporum suorum, ita per successio» nes ab initio decurrentes, ut primus ille episcopus ali-

» quem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen » cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et » antecessorem. » Ergo a solis Apostolis vel ab Apostolicis viris legitima derivatur missio pastorum.

S. Irenæus, contra Hæreses, l. 3, c. 3, n. 2 : « Per suc- » cessionem episcoporum usque ad nos pervenientem, » confundimus eos omnes qui quoquo modo præterquam » oportet colligunt. »

S. Cyprianus, Epist. ad Magnum, de rebaptizandis Novatianis, ait : « Novatianus in Ecclesia non est, nec epis- » copus computari potest, qui Evangelica et Apostolica » traditione contempta, nemini succedens, a seipso ortus » est; habere aut tenere Ecclesiam nullo modo potest qui » ordinatus in Ecclesia non est. »

S. Optatus, lib. 2 contra Parmenianum, sic probat episcopos Donatistarum legitimos non esse pastores : « Ves- » træ cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis » sanctam Ecclesiam vindicare. »

S. Aug. de Baptismo contra Donatistas, lib. 3, cap. 2 : « Unde Donatus apparuit? de qua terra germinavit? de » quo mari emersit? de quo cœlo cecidit? » Ergo quicumque suam originem per legitimam successionem ab Apostolis non ducunt, veri pastores esse nequeunt. Ergo.

3° *Ratione.* In ordine civili nemo potest legitime aliquod exercere officium, nisi illud mediate vel immediate suscipiat ab imperatore, vel ab eis quibus suprema conceditur auctoritas : ergo a *fortiori* in ordine ecclesiastico nullus officium pastoris suscipere potest, nisi ad illud legitime fuerit vocatus, scilicet, ab eis quibus suprema spiritualis potestas fuit concessa : atqui solis Apostolis eorumque successoribus legitimis suprema spiritualis potestas fuit concessa, solis enim Apostolis Christus dixit : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos,* Joan. xx, 21. Ergo.

Hinc sequitur 1° eos qui seipsos constituunt pastores, vel institutionem recipiunt ab eis qui legitimam non habent missionem ab Apostolis descendentem, legitimos

non esse pastores, sed *intrusos* et schismaticos; 2° legitimos non esse pastores, in pluribus societatibus a se invicem communione sejunctis, quia Christus missiones sibi contradictorias non dedit; 3° ministros extraordinarie a Deo suscitatos aut non futuros esse pastores, sed nuntios vel prædicatores sicut olim prophetæ, aut ministerio pastorum non derogaturos; quia Christus ministerii ordinarii et perpetui auctor, ut vidimus, sibi contradicere non potest. Qui autem ut ministros extraordinarios se exhiberent, missionem suam signis evidenter divinis probare tenerentur, alioquin nulla fides ipsis deberetur.

CAPUT TERTIUM.

DE NOTARUM VERÆ ECCLESIÆ APPLICATIONE.

Probavimus veram Ecclesiam debere esse unam, sanctam, catholicam et apostolicam. Quæcumque igitur societas christiana aliqua ex illis notis est destituta, vera non est Ecclesia; dum, e contra, societas quæ quatuor illis notis est donata, certissime vera est Ecclesia. Nunc itaque nobis investigandum est quænam societas christiana his notis gaudeat.

Certum est sectas præteritas aut fere exstinctas, v. g., Arianorum, Pelagianorum, Nestorianorum, Eutychianorum, etc., veram non fuisse Ecclesiam; nam vera Ecclesia perire non potest, et semper debet esse eminenter visibilis.

Præcipuæ autem societates christianæ nunc existentes sunt Protestantes, Ecclesia Græca et Ecclesia Romana: itaque examinandum est in sequentibus articulis quænam ex illis vera sit Ecclesia.

Quæ unica ex quatuor notis requisitis careret, eo ipso convinceretur non esse veram Christi Ecclesiam.

ARTICULUS PRIMUS.

DE APPLICATIONE NOTARUM SOCIETATIBUS PROTESTANTIBUS.

I. SECTARUM PROTESTANTIUM NOTITIA. — Novatores hæretici qui a XVI sæculo vulgo Protestantes dicti sunt, antesignanum et patrem agnoscunt *Martinum Lutherum*, ab Islebia Saxoniæ ortum, olimque ex ordine Eremitarum S. Augustini, professoremque et doctorem in universitate Wittemburgensi. Opus suum pseudoreformationis et delirii anno 1517 aggressus est Martinus Luther, et omnes norunt quam cito error et seditio fere omnes Germaniæ regiones peragraverint. Novatorum partes, ubi jam varii docebantur errores, et præsertim odium in sedem et Ecclesiam Romanam, auxilium habuere apud plebem, apud quosdam ex presbyteris, monachis et etiam episcopis, ac præsertim apud plurimos ex principibus sæcularibus, uti Fredericum Saxoniæ ducem, et Philippum Hessiæ Landgravium. Ita rebellio mox formidanda apparuit ut Ecclesiæ et Imperii principes eam persequi et abolere conati sint. Plurimi conventus generales in imperio Germanico seu Romano habiti sunt ad hanc dijudicandam causam. In comitiis Spiræ habitis, in quibus vicerat causa Catholica, Novatores solemniter contra communem decisionem per scriptum protestati sunt, et ad concilium generale appellarunt. Hinc dicti sunt *Protestantes*.

Prorsus hic inutile est longo sermone enarrare qui ab errore in errores novos deciderint Protestantes, et ab eis bellum inter cives excitatum Germaniam devastaverit. Dum Lutherani, ac præcipue Melanchton, exarabant confessionem fidei, veluti symbolum fundamentale a Protestantibus habendum, discipuli *Magistri* aliam fidem prædicabant, et ob id, Lutheri anathemata patebantur. — Citare juvat *Zwinglium* apud Helvetias, et *Œcolampadium*, Anabaptistas primum a *Munzero*, dein a *Joanne de Leyden* ductos.

Eisdem motibus mox aliæ regiones agitatæ sunt. Mendax reformatio inducta fuit in Sueciam, Norvegiam et Daniam ab anno 1527. Ibi dum præcipui Lutheranorum errores admittebantur, et vinculum unionis ab Ecclesia Romana manebat dissolutum, servabatur hierarchia, episcopis ministrisque inferioribus constans.

Apud Anglos fides in perversum venit, cum rex Henricus VIII, non obtenta a summo Pontifice matrimonii legitimi dissolutione, omnem communionem cum Ecclesia Romana abjecit. Regnantibus ejus successoribus Eduardo et Elisabeth, ad schisma adhibiti sunt hæretici errores, at ibi etiam retenta fuit hierarchia; id est, Episcopi, presbyteri, diaconi, canonici, etc... sub regimine regis aut reginæ, veluti capitis totius Ecclesiæ Anglicanæ habendi, existere non destiterunt. (1533 et seq.)

In Scotia, Reformatorum doctrina paulo post grassata est, et ibi parricidam seditionem civium adversus reges pluries commovit. Ab ea Ecclesia expulsi sunt Episcopi, presbyteris solum locum tenentibus; inde dicta est *Presbyterismi* cultor. — Vocata est etiam *Puritana*, quia sectatores se solos esse puros profiteri non dedignabantur.

Joannes Calvinus, Novioduni in Gallia natus et sacerdos, et e sua patria propter scelus infame expulsus, aufugit Basileam, Genevamque anno 1536. Ibi docuit suum religionis systema et rexit tyrannice totam civitatis rempublicam. Opus ipsius, proprie dictum reformatio, in Helvetiam diffusum est ac præsertim in Galliam, ubi plures potentissimos fautores invenit. Calvinistæ, qui etiam *Huguenots* vocati sunt, nefandam bellici furoris luem inter cives et principes diu commovere, et apud nos post sortem diversam juxta legem vivere obtinuerunt.

A XVI sæculo sectæ ex Lutheranis et Calvinistis in tanto numero exortæ sunt ut Card. Hosius anno 1579 vita functus ducentas et septuaginta jam computaret. Inter præcipuas citemus : Arminianos et Gomarianos in Hollandia; (1560) — Socinianos, sic dictos a fratribus Socin, per Poloniam diffusos, qui omnia fere Christianismi dogmata, v. g. Trinitatem et Christi divinitatem aboluere; — *Qua-*

kers seu tremulantes in Angliam, et in Americam a G. Penn inductos; — Methodistas a G. Wesley ortos qui frequentes inveniuntur tum apud Anglos tum et Americanos. — At hodie Protestantes mille modis inter se dissentientes, in eam devenerunt licentiam ut non jam efforment veras societates, sed aggregationes individuorum qui nullo vinculo uniti ad nutum mentis in maxime varios debacchantur errores.

II. Demonstratur Protestantes sectas non esse genuinam Christi Ecclesiam. — Hac vero quasi in infinitum divisione non erubescunt Protestantes, sed ea potius gloriantur, et omnes contendunt se pertinere ad veram Ecclesiam quæ ex variis sectis coalescit. De his ergo sectis collective sumptis loquentes, in sequentibus propositionibus demonstraturi sumus eas characteres veræ Ecclesiæ non habere, et ideo non esse genuinam Christi Ecclesiam.

PROPOSITIO PRIMA.

Protestantes non habent nec habere possunt unitatem veræ Ecclesiæ Christi essentialem.

Probatur 1ª *Pars.* Protestantes non habent unitatem Ecclesiæ necessariam, id est, unitatem doctrinæ et unitatem regiminis.

1° *Non unitatem doctrinæ.* Variæ enim numerantur inter eos fidei confessiones, in punctis gravissimi momenti dissimiles, scilicet : Augustana, a Melanchthone edita, quam alii admittunt et alii rejiciunt; Saxonica, Vittembergensis, Argentinensis, Belgica, plures Helveticæ, duæ Anglicæ, duæ Scoticæ, Genevensis, aliæque non paucæ. Apocalypsim et Epistolam ad Hæbræos admittunt Calvinistæ; hos libros rejiciunt Lutherani. Item credunt Lutherani Christum esse realiter præsentem in Eucharistia; hoc dogma negant Calvinistæ : et sic in multis aliis. Sæpe etiam in sua doctrina sententiam mutaverunt, ut unusquisque videre potest in eximio opere jam citato, *Histoire des variations*, a principio usque ad finem.

Ab illo tempore multiplices novas mutationes admiserunt, et magis ac magis a se discrepant in credendo. Et hoc ita verum ab ipsis apprehenditur ut aufugerint ad articulos fundamentales tanquam ad solum et legitimum unitatis vinculum. At demonstravimus in his articulis eos non consentire, ac prorsus quam vanum esse istud figmentum. Ergo 1°. De illis consulantur : *La Symbolique de Mœhler; la Symbolique populaire de Buchmann*, etc.

2° *Non unitatem regiminis.* Singulæ enim sectæ suum regimen habent : Calvinistæ nec episcopos, nec proprie sacerdotes agnoscunt; Lutherani hos et illos retinent; Angli regem vel etiam reginam caput Ecclesiæ faciunt, et plenitudinem potestatis ecclesiasticæ illi tribuunt; quidam ex illis admittunt presbyteros et episcopos; alii solos presbyteros; alii nullam hierarchiam agnoscunt, etc. Ergo 2°.

Prob. 2ª *Pars.* — *Nec habere possunt.* Protestantes unitatem fidei habere non valent si nedum habeant vinculum commune quo uniantur, principium admittant e quo necessario quasi in infinitum dividantur, atqui res ita se habet : 1° quoad enim credenda, examen privatum est palmare eorum principium et nemo nescit tot esse capita tot sensus, si opinio rationi privatæ derelinquatur. Et aliunde admittunt aliud principium quod *Perfectibilitatis* dicunt, quod semper mutationes supponit et declarat impossibilem esse aliquam stabilem veritatis doctrinam. 2° Item quoad regimen; ab Ecclesia Romana separatis nullum unitatis vinculum remanet ut informetur societas; qua ratione se a centro unitatis separaverunt, invicem a se separare possunt; et nulla est ratio cur efficiant unum corpus per connexionem unam eamdemque membrorum. Ergo.

Hinc liquido sequitur societates Protestantium esse hæreticas. Illi enim sunt hæretici qui dogmata revelata pertinaciter negant, vel nova admittunt quæ revelata non sunt; atqui ita se habent Protestantes, cum in multis sibi contradicant, nec etiam sint unanimes circa articulos

quos dicunt fundamentales. — Hæc conclusio magis aperta videbitur cum mox demonstrabitur existentia veræ societatis Christianæ a qua separantur Protestantes.

PROPOSITIO SECUNDA.

Protestantium societates non habent sanctitatem veræ Ecclesiæ Christi essentialem.

Prob. Illæ societates non habent sanctitatem veræ Ecclesiæ essentialem quarum doctrina non est sancta; quarum principia morum non ducunt ad sanctitatem; quarum auctores non sunt sancti; quarum sectatores nunquam internæ sanctitatis præbuere signa; atqui doctrina Protestantium non est sancta, etc...

1° *Eorum doctrina non est sancta.* Nam doctrina falsa non potest esse sancta : atqui doctrina protestantium multis in punctis est falsa, cum in multis sibi contradicant. Ergo 1°.

2° *Eorum principia morum non ducunt ad sanctitatem.* Nedum ad sanctitatem ducant, potius in perversitatem, et latissimam aperiunt viam cupiditatibus, principia e quibus ruunt distinctio boni et mali, omnis lex, omnis obligationum origo, piorum operum necessitas; e quibus sequitur sanctitatis perditionis impossibilitas : atqui hæc omnia aliaque fovent Protestantes. Tenent enim protestantes justitiam in electis amitti non posse, cum criminibus horrendis esse compatibilem, bona opera ad salutem non esse necessaria, sola incredulitate hominem damnari posse; dicunt leges, sive ecclesiasticas sive civiles, conscientiam non ligare; affirmat Calvinus hominem a Deo necessitari ad peccatum : ergo illa morum principia, nedum ad sanctitatem ducant, latissimam aperiunt viam cunctis cupiditatibus. Vide *l'histoire des Variations. l.* 14, *n.* 38 *et suiv.* Ergo 2°.

3° *Primi reformatores non fuerunt sancti.* Præcipui enim protestantium auctores fuerunt *Lutherus, Carlo-*

stadt, *Zwingle*, *Calvinus*, *Theodorus de Bèze*, *Melanchthon*, *Æcolampadius*, *Ochin*, etc, qui fere omnes erant sacerdotes aut monachi apostatæ, superbia tumentes, se invicem conviciis impetentes, regulas abstinentiæ et jejunii subvertentes, legem cælibatus contemnentes, scandalosa et sacrilega matrimonia celebrantes, etc. Porro tales auctores haberi non possunt ut sancti. Et revera, si audiantur testimonia quæ alii de aliis in scriptis suis reddiderunt, comperientur illos se invicem non æstimasse ut sanctos. Vide solidum opus Gallicum dictum *Discussion amicale*, *t.* I, et recentia opera *Audin*, *Histoire de Luther*, *Histoire de Calvin*, *Histoire de Henri VIII.* Ergo 3°.

4° *Protestantismi sectatores non præbent internæ sanctitatis indicia.* Cum Spiritus Sanctus in vera Ecclesia inhabitet, cumque in eadem Ecclesia semper viri sanctitate conspicui esse debeant, sequitur necesse esse ut in ea Ecclesia præbeantur sanctitatis internæ externa indicia : atqui nec in sæculis præteritis nec hodie præbent Protestantes illa sanctitatis signa. Illam etenim sanctitatem indicant tum virtutes gradu heroico, tum præsertim vera certaque miracula; porro hæc duo desunt apud Protestantes. — a) *Virtutes desunt.* Ineuntibus his Protestantium societatibus, scilicet eo tempore quo fervor, si quis fieri posset, arsisset, hæc vidit Erasmus, vir non suspiciendus : « Circumspice populum istum evangelicum, et observa » num minus illic indulgeatur luxui, libidini et pecuniæ, » quam faciunt ii quos detestabimini. Profer mihi quem is- » tud Evangelium ex commessatore sobrium, ex feroci » mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedi- « cum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego tibi mul- » tos ostendam qui facti sunt seipsis deteriores... » et iterum : « Circumspice mihi sodalitatem evangelicam, » quot habet adulteros, quot temulentos, quot aleatores, » quot decoctores, quot aliis vitiis infames? » — Hæc sint pro ætate præterita; hodie apud Protestantes non dantur illæ virtutes heroicæ quæ sanctitatis interioris aperta sunt manifestatio. Virtutes, si quæ sint, sunt

mere naturales, vel in infimis gradibus permanent : charitas seu misericordia erga pauperes, ægrotos, etc., ingratum philanthropiæ characterem induit; sodalitates ad hæc pia charitatis opera procedunt non ex religione, sed ex necessitate et aggregatione quorumdam hominum sine respectu ad Deum ; zelus communicandi verum Deum apud infideles non quærit pericula, aut curas, sed sæpius lucri aviditate fœdatur. — Vide opus exquisitum *Rome et Londres.* — b) *Miracula* quibus sanctitas alicujus religiosæ societatis præcipue demonstratur omnino absunt apud Protestantes ; siquidem nulla in sui gratiam peracta referunt ; multique ex eis contendunt miracula non esse possibilia. — Ergo Protestantium societates non habent sanctitatem veræ Ecclesiæ essentialem.

PROPOSITIO TERTIA.

Protestantium societates non habent catholicitatem veræ Christi Ecclesiæ essentialem.

Prob. Duplici modo vera Ecclesia debet esse catholica, ex dictis, videlicet ratione temporum et ratione locorum ; atqui 1° protestantes non habent catholicitatem *ratione temporum ;* manifestum est enim eos non exstitisse ante initium decimi sexti sæculi, quo tempore Lutherus, Calvinus aliique novatores adversus Ecclesiam insurrexerunt, dogmata sua divulgare cœperunt, prout ipsis placebat, omne jugum auctoritatis excusserunt, nulli Ecclesiæ tunc existenti adhæserunt, sed novas societates secundum regulas arbitrarias vel potius absque regulis instituerunt.

2° *Nec eam habent ratione locorum.* Ad hoc enim requireretur ut eorum societas per magnam orbis partem extenderetur, cæterasque societates christianas diffusione vinceret : atqui protestantes talem non habent præstantiam super alias societates christianas, nec eam ausi sunt sibi etiam collective sumptis tribuere ; systema articulorum fundamentalium et non fundamentalium excogita-

verunt, et Catholicos, Græcos, aliasque sectas Orientales sibi adjunxerunt, ut catholicitatem Ecclesiæ Christi necessariam invenirent. Porro talis societatum diversarum aggregatio veram Ecclesiam constituere non potest, ut probavimus. Imo, cum unitas non minus sit essentialis Ecclesiæ Christi quam catholicitas, requireretur ut una societas protestantium hanc universitatem obtineret : porro nulla ex societatibus protestantium tale privilegium sibi arrogare potest, siquidem omnes simul spectatæ illud non habent : ergo 2°, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Vide opus P. *Perrone* inscriptum : *Dissertation sur le titre d'Eglise catholique que s'attribuent les communions séparées de l'Eglise romaine.* (*Demonst. Ev., édition Migne, t.* XIV, *col.* 1023.)

Obj. ad primam partem probationis. Protestantium societates ab exordio Ecclesiæ extiterunt, et variis modis usque ad XVI sæculum manifestæ sunt videlicet in cætibus Hussitarum, Wiclœfistarum, Valdensium, Albigensium etc., omniumque quorum doctrina in quibusdam punctis cum doctrina Protestantium concordat. Ergo Protestantium societates quoad tempus catholicitate gaudere possunt.

Resp. Neg. Ant. — a) Tum quia, admissa hac hypothesi, minime seriem successionis non interruptam habent pseudoreformati; cum inter hos aliosve plura sæcula sint interposita; — b) tum quia inter illas varias sectas nihil commune vinculum deprehendi potest, nec una aliam peperit, nec altera a præcedenti orta est. — Ergo... Vide Bossuet; *Hist. des Variations,* liv. II, et præsertim n° 207 ejusdem libri.

PROPOSITIO QUARTA.

Protestantium societates non habent apostolicitatem veræ Christi Ecclesiæ essentialem.

Prob. Duplicem demonstravimus apostolicitatem veræ Christi Ecclesiæ esse essentialem, nempe Apostolicitatem

doctrinæ et Apostolicitatem ministerii ; atqui neutram habent Protestantium societates.

1° *Non habent apostolicitatem doctrinæ.* Apostolicitas doctrinæ enim in eo stat quod doctrina hodie in professo habita identica sit cum doctrina Apostolorum. Porro doctrina Protestantium non est identica cum Apostolicis documentis; — a) cum in multa contradictoria ac proinde falsa impingant, dum Apostoli nihil falsum aut contradictorium docuerint; — b) cum multa renovent jam diu tanquam errores damnata et ab Apostolorum doctrina prorsus aliena, v. g., vanam esse orationem pro defunctis, nullam admittendam distinctionem inter presbyteratum et episcopatum; imagines venerari, Sanctos orare, Sacram Eucharistiam adorare opus esse impium, idololatriamque redolens; — c) cum nulla via traditionis ostendere possint se suam doctrinam ab Apostolis tenere.

2° *Non habent Apostolicitatem ministerii.* Apostolicitas ministerii in eo sita est quod per legitimas successiones nec interruptas ministerium ab Apostolis usque nunc descendat; porro hujusmodi successiones, et legitimam pastorum seriem sibi vindicare non possunt; tunc enim fundatores missionem suam accepissent vel ab Ecclessia Romana, vel ab alia secta, vel directe a Deo modo extraordinario; atqui nihil horum dici potest : — a) non ab Ecclesia Romana quæ eos e sinu suo rejecit et anathematizavit; — b) non ab alia secta, siquidem nulli sectæ tunc existenti adhæserunt, et aliunde missionem ibi non existentem haurire non potuissent; — c) non directe a Deo extraordinarie, tum quia jam repugnat Deum concessisse missionem extraordinariam, altera legitima et ordinaria jam stante ; tum quia missio extraordinaria miraculis comprobanda est, quæ certo nunquam allegata sunt a Protestantibus.

Hinc sequitur Protestantes esse vere schismaticos eo quod non sint nec vera Ecclesia, nec de vera Ecclesia, et tandem ex eo quod solvatur vinculum subjectionis pastoribus legitimis, unde provenit merum schisma.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° *Adversus secundam propositionis partem* cum *Claude*, *Défense de la Réf.*, 4e *part.*, et *Jurieu*, *Vrai système de l'Eglise*, *liv.* 3, *c.* 1 *et* 20. Sola electio populi essentialis est ad constituendos legitimos ministros : ergo non necesse est ut primi reformatores missionem ab Ecclesia Romana aut ab altera secta acceperint.

R. Nego antecedens. Illud enim systema admitti non potest, quod nullo nititur fundamento, Scripturæ sacræ et constanti traditioni adversatur : atqui systema *Claude* et *Jurieu* his vitiis laborat.

1° *Nullo nititur fundamento.* Illi namque celebres Reformationis ministri hoc unico nituntur fundamento, scilicet omnem societatem habere jus sibi constituendi ministros. — a) Illud principium minime est certum; est enim famosissimum de suprema auctoritate populi principium, contra quod tot sunt homines et rationes. — b) Etiamsi societas haberet jus sibi constituendi gubernatores in rebus civilibus, non inde sequeretur Ecclesiam legitimos sibi constituere posse ministros ; Ecclesia enim non elegit Christum, sed Christus eam elegit, instituit et formavit, semper est ipsius auctor et moderator : illam regit et gubernat per ministros qui metaphorice dicuntur pastores, quia populum pascunt : non sunt ergo præcise ministri Ecclesiæ, sed ministri Christi in Ecclesia et pro Ecclesia : at repugnat populum hujusmodi ministros constituere posse; apprime enim intelligimus eos instituendos esse secundum ordinem a Christo statutum, sicut ministri regis a rege vel juxta ordinem a rege determinatum eligi debent, et non aliter. Ergo. — c) Necesse foret ut aliquis proferretur Scripturæ textus quo expresse declararetur populi electionem vel præsentationem esse necessariam et essentialem ad constituendos ministros, nam Protestantes nihil admittere volunt nisi quod est in Scriptura sacra : atqui nullus profertur hujusmodi Scripturæ textus : ergo 1°.

2° *Illud systema Scripturæ adversatur*. Nam ubi de constituendis ministris agitur, manus ab Apostolis aut ab eorum successoribus semper illis imponuntur. Fideles concurrerunt quidem ad electionem septem primorum diaconorum; sed Apostoli, impositis illis manibus, constituerunt eos super opus viduarum, Act. VI. Matthias per sortem cum oratione fuit designatus, non vero a populo electus, ut *Claude* male affirmat. Alia jam memoravimus facta quibus ex Scriptura constat populum ministros sibi non posse constituere. Ergo 2°.

3° *Traditioni odversatur*. Constanti enim traditione patet ministros Ecclesiæ nunquam, ante Calvinistas, constitutos fuisse sine ordinatione ab Episcopo collata, ut videre est apud Patres et in toto historiæ ecclesiasticæ decursu. Facta hujusmodi adeo sunt clara, ut protestantes ea negare nequeant : ergo 3°, etc. ; aliunde, etc. Ergo.

Obj. 2° Primi reformatores missionem substantialiter legitimam acceperant apud catholicos, et extraordinarie a Deo suscitati sunt, ut Ecclesiam multis erroribus fœdatam in pristinum statum restituerent : ergo habuerunt missionem partim ordinariam, partim extraordinariam. Ita jam citati *Claude* et *Jurieu*.

Resp. Nego antecedens, conseq. et consequent. — Primi reformatores habuerunt suam missionem nec a Romana Ecclesia nec a Deo extraordinarie ; — a) non a Romana Ecclesia; etenim vel ab ipsa romana, concedente eam, accepissent, vel secum asportassent, ut asserit minister *Claude* in colloquio cum *Bossuet* habito : porro neutrum dici potest; non prius nam si Ecclesia Romana illis contulisset missionem, eam ipsis auferre potuisset, et de facto abstulisset, siquidem illos indignanter rejecit et anathemate percussit; non posterius, omnes enim hæretici pariter dicere possent se a vera Ecclesia non recessisse, sed eam secum asportasse. Aliunde fatentur Calvinistæ Ecclesiam Romanam adhuc continere ea quæ ad salutem sunt necessaria, scilicet ministerium substantialiter legitimum, doctrinam veram quoad substantiam; admittunt Lutheranos, Anglos, Sacramentarios, Græcos, etc., ad ve-

ram Ecclesiam pertinere. At omnes illæ sectæ, in multis sibi oppositæ, veram Ecclesiam secum asportare non potuerunt : ergo absurda est illa responsio. — b) Non a Deo extraordinarie missionem acceperunt Protestantes. Non sufficit enim dicere tales aut tales homines extraordinarie a Deo missos fuisse, alioquin latissima cunctis impostoribus aperiretur via : sed requiritur ut talis missio signis evidenter divinis manifestetur : atqui nulla hujusmodi signa subministrant protestantes, ut extraordinariam missionem primorum reformatorum demonstrent. Singulares quidem eorum qualitates allegat D. *Claude*, scilicet fortitudinem, audaciam, amorem studii, eruditionem, artem persuadendi et populos ad reformationem adducendi : at quis impostor, sufficienti audacia præditus, similia argumenta missionis suæ exhibere non posset ? Ergo. Vide *Nicole, Les Préjugés légitimes, etc., c.* 5 *et* 6.

Obj. 3° Christus nullam instituit formam specialem particularemque societatis servandam, in qua jure quasi hæreditario missio divina transmittenda erat, sed solummodo doctrinam suam tradidit apostolis, mediis aptis docendam et diffundendam ; itaque inde exortæ sunt, pro variis temporibus, necessitatibus et locis, variæ societates, uti Ecclesia Romana, Græca multæque aliæ, non equidem jure divino constitutæ, sed quasi opus mere humanum ; attamen illæ societates habendæ sunt ut apostolicæ quatenus doctrinam Christi et Apostolorum docent. — Ergo et item Apostolicæ vocandæ sunt Protestantium societates quæ eodem jure formatæ sunt et idem opus aggrediuntur. — Hoc systema exornavit sophistico sermone *D. Guizot* in operibus dictis : *Histoire de la civilisation en Europe, Leçon* 2e, 6e, 12e ; *Histoire de la civilisation en France, Leçon* 3e, 12, 13e, 27e. Idem systema expositum et refutatum vide apud compendiosas institutiones theologicas ad usum seminarii Tolosani, 1856.

Resp. Nego ant. Etenim illud systema undique ruit ;— a) Omnino est gratuitum; nullum datur argumentum quo demonstratur Christum non instituisse formam spe-

cialem societatis, corpus pastorum docens, quibus reverentia et obedienta a fidelibus edoctis et gubernatis debebantur. Cum institutio Christi a sola ipsius voluntate pendeat, hujus institutionis formæ non ex ratione quærendæ sunt, sed ex voluntate Christi, quæ sive in Scriptura Sacra sive in sacris traditionibus invenitur, porro nulla hujusmodi probatio traditur. — b) Prædictum systema non solum indiget fundamentis sed etiam prorsus est falsum; etenim jam probavimus, ineunte præsenti tractatu, Christum specialem instituisse societatis formam, quam penes est omnis auctoritas societatibus perfectis propria; itaque jam ruit ædificium a D. Guizot elaboratum; aliunde, mox demonstrabitur ista societatis forma, ab exordio Christianismi, nihil aliud esse nisi Ecclesia Romana, in qua ex voluntate Christi omnia specialiter fuerunt instituta; itaque nullo modo dici potest opus humanum, et aliæ societates, ab ea separatæ nec sunt opus divinum, nec servant quid divinæ institutionis. — Tandem, doctrinæ contradictoriæ Protestantium eo ipso errorem et mendacium sapientes non sunt ex Deo nec ex Apostolis, ergo nec Apostolicum dici potest ministerium quod populos docet errores et mendacium. Ergo.

Obj. contra corollarium propositionis, scilicet Protestantes esse schismaticos. Obj. 1° Protestantes non sunt schismatici, si legitimam habuerint causam ab Ecclesia Romana se separandi : atqui legitimam habuerunt causam, etc. Ergo.

R. Nego min. Nam in societate Romana tunc erat vera Christi Ecclesia, ut ipsi fatentur : at nulla existere potest causa legitima a vera Ecclesia se separandi et vinculum unitatis frangendi. Ecclesia quippe Christi essentialiter una est, ut probavimus, et extra illam nulla est salus : unde S. Aug., l. 2 contra Epist. Parmeniani, c. 11, dicit : « Præscindendæ unitatis nulla est justa necessitas. » Ergo.

Inst. Tempore reformationis, Ecclesia Romana plena erat corruptela, erroribus et idololatria : ergo non solum licitum, sed necesse erat ab illa recedere. Ita *Claude* et *Jurieu.*

R. 1° *Nego ant.* Alibi enim probabimus doctrinam Ecclesiæ Romanæ semper fuisse puram, sanctam et ab omni erroris labe alienam : non negamus tamen frequentem exstitisse morum corruptelam in ipsius membris, et usque in sanctuario : at nunquam Ecclesia hanc morum corruptelam docuit aut approbavit; illam e contra semper condemnavit, reprobavit et prohibuit. Ergo.

R. 2° *Nego conseq.* Nam — A) ante omnia necesse fuisset ut errores et abusus definiti, condemnati et proscripti fuissent per legitimum judicium : res autem non ita evenit; sed quidam monachi apostatæ et nonnulli sacerdotes superbia tumentes, ambitiosi, omnis jugi impatientes, cum eis opifices, rustici, mulieres, pueri, etc., conclamarunt Ecclesiam Romanam esse collapsam, ideoque reformandam; statim prædicaverunt audacter virginitatem esse *chimæram*, cælibatum contra naturam, vota castitatis nulla, matrimonium licitum religiosis, monialibus et sacerdotibus, leges abstinentiæ et jejunii injustas et tyrannicas, confessionem auricularem superstitionem, solam fidem justificare, bona opera ad salutem non necessaria, etc. Quis autem, a prejudiciis expeditus, bona fide existimabit tale judicium esse legitimum, et judicio Papæ, Cardinalium, Episcoporum, Abbatum, Doctorum totiusque Ecclesiæ Romanæ anteponendum ?

— B) Vel Ecclesia Romana desierat esse vera Christi Ecclesia, vel non : si prius, frustra protestantes ab illa se separaverunt, veram Christi Ecclesiam de novo instaurare non potuerunt. Sicut enim membrum a corpore mortuo separatum reviviscere nequit, ita nec membra ab Ecclesia mortua sejuncta, nisi societati viventi adhæreant : atqui protestantes, ab Ecclesia Romana exeuntes, alii societati viventi non adhæserunt : ergo. Si posterius, id est, si Ecclesia Romana vera adhuc erat Ecclesia, ab ea protestantes se separare non potuerunt, sub prætextu quod errores et abusus in ea prævaluissent : potius reformationem ejus procurare aut a Deo postulare debuissent. Quamvis Judæi sæpe in gravissima prolapsi sint peccata, in errores et in idololatriam, nunquam ab eorum communione sejuncti

sunt Prophetæ et sanctissimi viri tunc existentes, nunquam arbitrati sunt se habere potestatem reformandi ministerium et novam instituendi societatem religiosam.

Protestantium societates communionem inter se conservant, licet habeant confessiones fidei valde diversas; Calvinistæ communicant cum Lutheranis quos habent ut idololatras; dicunt se vinculum unitatis cum societatibus Orientalibus semper servasse : at societates Orientales credunt omnia dogmata quæ a protestantibus nobis exprobantur, scilicet præsentiam realem, invocationem sanctorum, cultum imaginum, etc. Non ex persuasione igitur, sed ex invidia ab Ecclesia Romana se separaverunt, et nullis principiis a schismatis reatu se defendere possunt.

Inst. 2° Non seipsos ab Ecclesia Romana separaverunt, sed ab illa fuerunt excommunicati et rejecti : ergo separatio ista ipsis imputari non potest.

R. 1° Altare contra altare jam erexerant antequam excommunicarentur ; Lutherus enim cœperat nova dogmata prædicare anno 1517 ; Leo X pluries eum admonuit, sed videns se nihil proficere, illum contumacen excommunicavit anno 1520. Concilium Tridentinum, quod anno 1545 celebrari incœpit, plurima decrevit quidem anathemata contra omnes protestantes ; sed diversas jam formaverant sectas ab Ecclesia Romana separatas. Tandem in sinu Ecclesiæ non remansissent, etiamsi ab illa excommunicati non fuissent, ut confessus est *Claude* in colloquio cum *Bossuet :* ergo sub illo prætextu se excusare nequeunt.

R. 2° *Nego conseq.* Nam —a) eadem ratione Ariani aliique hæretici a schismatis crimine se purgare potuissent, dicendo se excommunicatos fuisse, et separationem ab Ecclesia Romana ipsis imputandam non esse ; non excommunicantur enim nisi rebelles : ergo eorum separatio ipsis imputanda est. — b) Etiamsi per errorem aut abusum quidam excommunicarentur innocentes, non idcirco jus haberent privatas instituendi ecclesias, sed *hanc injuriam patientissime pro Ecclesiæ pace* sufferre deberent, ait S. Aug., de vera Religione, n° 11, *neque ullas novitates schismatis vel hæresis* moliri, et sic coronam in occulto a

Patre cœlesti mererentur accipere. Unde iterum : *Præscindendæ unitatis nulla est justa necessitas.* Ergo.

Conclusio Capitis. — Ex tota hacce cum Protestantibus argumentatione, apertum est eorum sectas minime gaudere istis signis quibus illustrari et splendere necesse est veram Ecclesiam et genuinum Christi opus ; videlicet eas et unitatis, et sanctitatis, et catholicitatis et apostolicitatis priviligio omnino indigere ; igitur est concludendum Protestantium societates non esse veram Christi Ecclesiam.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE APPLICATIONE NOTARUM ECCLESIÆ GRÆCÆ.

I. De schismate græco brevis notitia. — Per Ecclesiam Græcam illæ intelliguntur Ecclesiæ orientales quæ schismati a Photio incœpto, versus finem noni sæculi, et a Michaele Cerulario in medio undecimi sæculi consummato, adhæserunt. Dispersæ sunt in regionibus olim imperio Græco seu Constantinopolitano subjectis, et in Moscovia seu Russia. Quatuor agnoscunt patriarchas, scilicet Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum et Jerosolymitanum. Ecclesia Constantinopolitana Moscovitas ad fidem adduxerat ante schisma, et aliquam in eos semper servaverat auctoritatem usque ad decimum septimum sæculum. Moscovitæ habebant patriarcham in urbe *Nowogorod*, qui confirmatione Patriarchæ Constantinopolitani indigebat. Hæc confirmationis necessitas primo suppressa est ; deinde Petrus Magnus, initio decimi octavi sæculi, dignitatem patriarchalem abolevit, et quamdam synodum ecclesiasticam ab ipso pendentem instituit, ad omnes causas spirituales definiendas.

II. CONFUTATIO GRÆCI SCHISMATIS.

PROPOSITIO.

Ecclesia Græca non est vera Christi Ecclesia.

Prob. Societas quæ vel una caret *nota* ad veram Ecclesiam requisita, dici non potest vera Ecclesia : atqui Ecclesia Græca non una tantum, sed *omnibus* caret *notis* veræ Ecclesiæ necessariis.

1° *Non habet unitatem requisitam.* Hæc enim unitas est doctrinæ, regiminis et juris : verum hanc triplicem unitatem non habet Ecclesia Græca. — A). *Non unitatem doctrinæ;* nam Ecclesia Græca plurimis in punctis doctrinam suam mutavit : sic olim primatum summi Pontificis admittebat, Spiritum sanctum a Filio procedere credebat, ut alibi probatur ; nunc autem hæc dogmata rejicit : non habet igitur unitatem doctrinæ perpetuam, quod tamen necessarium esset. Ergo.

Archiepiscopus Zwer, anno 1805 vita functus, in opere Latino auctoritate sacræ synodi edito, testatur plurimos ex clero Græco in Russia ad disciplinam Calvinianam inclinare ; vocat Calvinum magnum virum, libros Calvinistarum laudat, auctoritatem eorum in testimonium fidei Moscovitarum invocat. Alia ejus generis testimonia legi possunt apud D. *de Maistre, du Pape, t.* II.

— B) *Non habet unitatem ministerii.* Nam quatuor patriarchæ a se invicem sunt independentes, et præsertim Ecclesia Moscovitarum ab aliis Ecclesiis minime pendet : ergo dici non potest Ecclesiam Græcam, collective sumptam, esse unam sicut ovile sub uno pastore, regnum sub uno rege, domum sub uno patrefamilias, etc. Aliunde, unitas ministerii debet esse perpetua : atqui Ecclesia Græca talem unitatem sibi vindicare non potest ; certum est enim illam tempore Photii et Michaelis Cerularii ab Ecclesia Romana discessisse, et quidem sine legitima causa, cum Græci non postulaverint a Catholicis ut aliquid

in fide aut in disciplina sua mutarent, quando tentata est unio inter utramque Ecclesiam. Ergo.

— C) *Multo minus habet unitatem juris.* Hæc enim unitas supponit auctoritatem supremam et infallibilem : talis autem auctoritas esset alicujus patriarchæ, vel concilii generalis : at neutrum dicit potest. Non prius, cum patriarchæ sint independentes. Non magis posterius ; nam quis conciliuni generale convocare posset? quis ei præesse deberet? quis exsecutionem illius premendi facultatem haberet? Hodierni Græci contendunt, ait D. *de Maistre, t.* II, septem tantum possibilia fuisse concilia generalia, omnia ante ipsorum separationem celebrata. Ergo, etc.; aliunde, etc. Ergo, etc.

2° *Non habet sanctitatem veræ Ecclesiæ Christi essentialem.* Hæc sanctitas per miracula præsertim demonstranda est : at nullis miraculis demonstrare possent Græci se hanc habere sanctitatem. Cum enim a tempore separationis vera existant miracula in Ecclesia Latina, ut infra dicemus, Græci deberent exhibere miracula, et quidem numerosiora aut splendidiora, juxta regulam quam in Tractatu *de Vera Religione* exposuimus : atqui nulla hujusmodi apud eos celebrantur miracula ab initio schismatis patrata. Insuper hæc sanctitas exterius non fuit manifestata in primis illius Ecclesiæ fundatoribus, nec in Photio, nec in Michaele Cerulario ; omnibus enim notum est lugendam hanc separationem causam habuisse immoderatam ambitionem patriarcharum, qui titulum patriarchæ œcumenici usurpabant. Nulli memorantur viri apud Græcos sanctitate et zelo conversionis animarum conspicui, qui sanctissimis viris nostris comparari possint. Ergo 2°.

3° *Non habet catholicitotem.* Catholicitas enim veræ Ecclesiæ Christi essentalis, est diffusio in magnam orbis partem et præstantia supra omnes alias societates christianas. Porro Ecclesia Græca hanc certe non habet diffusionem per orbem, et præstantiam super Ecclesiam Romanam : ergo 3° non habet, etc.

4° *Non habet Apostolicitatem veræ Ecclesiæ necessa-*

riam. Illa enim Ecclesia non habet Apostolicitatem veræ Ecclesiæ necessariam, quæ manifesta præ se fert mutationis indicia ; at Ecclesia Græca manifesta præ se fert mutationis indicia; negari enim non potest illam per multa sæcula Ecclesiæ Romanæ fuisse subjectam. Ab illa autem recessit, deinde bis utriusque Ecclesiæ coadunatio fuit non solum tentata, sed conventa et perfecta, in concilio Lugdunensi secundo, anno 1274, et in concilio Florentino, anno 1438 : bis Græci ab hac unione iterum discesserunt. Certum est episcopum Byzantinum nullam olim suprematiam habuisse, et ad patriarchalem dignitatem evectum, non nisi post tres Orientis patriarchas, nempe Antiochenum, Alexandrinum et Hierosolymitanum, sedisse : ergo, etc. Ergo 4°, etc.; aliunde, etc. Ergo Ecclesia Græca non est vera Ecclesia.

A fortiori aliæ sectæ Orientales, ut Nestoriani, Eutychiani, Jacobitæ, Cophtæ, etc., non sunt vera Ecclesia. Nam Ecclesia Græca singulis illis sectis multo præstat, et tamen non habet *notas* ad veram Ecclesiam requisitas. Ergo.

ARTICULUS TERTIUS.

DE APPLICATIONE NOTARUM ECCLESIÆ ROMANÆ.

Ecclesia Romana ea est quæ hoc nomen accipit a sede principali quæ Romæ fixa est, et quam regit et gubernat summus Pontifex, Christi vicarius. Ea Ecclesia etiam vocatur Catholica, quia præ omnibus fulget ejus universalitas. Ex dictis jam concludi potest Ecclesiam Romanam esse veram Ecclesiam. Certum est enim veram Ecclesiam existere : probavimus præcipuas societates christianas ab Ecclesia Romana separatas carere *notis* veræ Ecclesiæ necessariis : restat ergo ut Ecclesia Romana sit vera Ecclesia. Ad majorem veritatis illustrationem, et ad animos etiam rebelliores convincendos, ostensuri sumus illam omnes *notas* veræ Ecclesiæ necessarias habere.

PROPOSITIO PRIMA.

Ecclesia Romana habet unitatem veræ Ecclesiæ necessariam.

Prob. Unitas, veræ Ecclesiæ necessaria, est unitas doctrinæ, unitas regiminis et unitas juris: atqui Ecclesia Romana triplicem hanc unitatem habet.

1°. *Unitatem doctrinæ.* Quicumque enim vel unum fidei articulum negat, eo ipso ab illa separatur, et velut hæreticus habetur : non datur locus examini vel disputationi; docti et indocti eidem definitioni semel emissæ ex animo adhærere tenentur, sub pœna anathematis: ergo impossibile est unitatem fidei inter eos non servari. Ergo 1°.

2°. *Habet unitatem regiminis.* Nam inter pastores ejus arctissima existit communio, et quicumque eam frangit, tanquam schismaticus e sinu ejus præciditur, et extra viam salutis errare judicatur. Ergo 2°.

3° *Habet unitatem juris.* Illa enim unitas requirit principium inconcussum quo unitas doctrinæ et ministerii infallibiliter servetur : atqui Ecclesia Romana tale habet principium, siquidem agnoscit tribunal infallibile cui omnes docti et indocti exterius et interius submitti debent. Illud autem tribunal agnoscendum est in summo Pontifice, cui dictum est, in persona Petri: *Pasce agnos meos, pasce oves meas*, et, ex omnium confesso, est saltem in corpore episcoporum summo Pontifici junctorum. Ergo 3°.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Plurimi inter catholicos contendunt, — a) corpus episcoporum summo Pontifici præstare, dum alii tenent summum Pontificem esse concilio superiorem. — b). Alii auctoritatem conciliorum Constantiensis et Basileensis venerantur; alii e contra eam rejiciunt : ergo non habent principium ex quo unitas necessario sequatur.

R. Nego conseq. Nam 1° facillime major episcoporum numerus in re aliqua definienda summo Pontifici consentit, sive in concilio legitime coadunato, sive absque concilio; at omnes catholici fatentur definitionem summi Pontificis et episcoporum in eo casu infallibilem esse, et cunctos obligare fideles. An autem summus Pontifex sit concilio superior, vel non, olim inter theologos disputatum est. Sed nunc pauci sunt qui et immerito negativam sententiam tenant. Ergo.

2° Nullus catholicus negat concilium œcumenicum esse infallibile, sed multi dubitant sane utrum concilia Constantiense et Basileense sint œcumenica, saltem in iis sessionibus, in quibus de summo Pontifice tractatum est: porro nemo non videt quod ista dubitatio principium unitatis non destruat: ergo.

Obj. 2°. Ecclesia Romana multos in sinu suo patitur homines qui tenent dogmata fidei opposita; imo inter sanctos cultu publico honorandos, nonnulli reperiuntur viri qui docuerunt hæreses, v. g., S. Cyprianus, etc. Ergo.

R. 1° *Dist. ant. quoad primam partem.* Ecclesia multos in sinu suo patitur homines, etc., id est, eorum personas tolerat, *conc.*; id est, eorum errores approbat, *nego ant.* Equidem non semper Ecclesia sævit contra hæreticos, eos anathemate percutiendo et de sinu suo expellendo; nonnunquam eorum personas prudenter tolerat, tum quia severitas magis nocitura prævidetur quam prudens tolerantia: sed negamus Ecclesiam Romanam errores contra fidem positive approbare; semper enim confessiones fidei absque ulla ambiguitate proposuit, semper docuit ne unam quidem veritatem revelatam negari posse absque dispendio salutis. Ergo.

R. 2° *Dist. secundam partem ant.* Illi viri inter sanctos numerati, docuerunt hæreses materiales, *concedo;* docuerunt errores formales atque in hæresi mortui sunt, *nego ant.* Itaque nonnulli sunt inter sanctos cultu publico honoratos, qui materiales docuerunt hæreses, non vero errores formales, nec in hæresi proprie dicta mortui sunt:

ad constituendam enim hæresim non sufficit adhæsio errori, requiritur insuper pertinax rebellio adversus Ecclesiam docentem et præcipientem; porro viri de quibus hic agitur non fuerunt rebelles adversus Ecclesiam: nam veritates quas impugnabant nondum ab Ecclesia fuerant definitæ. Ergo.

Obj. 3°. Catholici circa dogmata sibi proposita interrogati non eodem modo fidem suam explicant; ergo unitas doctrinæ apud eos est in verbis et non ideis.

R. Dist. ant. Non eodem modo fidem suam explicant quoad circumstantias, aut modos, *conc.*; quoad substantiam, *nego ant.* Etenim sola substantia dogmatis ab Ecclesia proposita, est objectum fidei: circumstantiæ vero accidentales et modi liberæ discussioni sub directione Ecclesiæ relinquuntur. Porro omnes eodem sensu admittunt dogmata definita. Ergo, etc.

PROPOSITIO SECUNDA.

Ecclesia Romana vere est sancta.

Prob. Miraculis, zelo propagationis et conversione errantium.

1° *Miraculis.* Negari enim non potest Ecclesiam Romanam esse sanctam, si series miraculorum vere divinorum in ea semper exstiterit, quia repugnat Deum miraculis societatem minime sanctam ita confirmare, at in Ecclesia Romana semper fuit series, etc. Protestantes enim, qui revelationi adhærent, tria priora sæcula libenter nobis concedunt, et fatentur nobiscum doctrinam Christi per tria hæc sæcula ope miraculorum fuisse propagatam: atqui non minus certa in sequentibus sæculis existunt miracula in sinu Ecclesiæ Romanæ peracta: habemus namque in quarto sæculo miracula S. Antonii apud S. Athanasium, et miracula S. Martini apud Sulpitium Severum; in quinto sæculo, testatur S. August., l. 22 de Civitate Dei, c. 8, se Mediolani et Carthagine propriis oculis plura conspexisse miracula: in septimo, octavo et

nono sæculo, miracula in historia ecclesiastica consignata, quæ ad cultum sanctarum imaginum contra Iconoclastas commendandum peracta sunt; decimo sæculo, miracula in gratiam præsentiæ realis, apud S. Bernardum de Vita S. Malachiæ; in undecimo et duodecimo sæculo, habemus miracula ipsius S. Bernardi coram innumeris testibus patrata, ita ut in historia hujus sæculi nihil habeatur certius; demum in ultimis Ecclesiæ sæculis, multa in sinu Ecclesiæ Romanæ patrata sunt miracula a S. Francisco Xaverio, a S. Carolo Borromæo, a S. Francisco Salesio, a S. Vincentio a Paulo, etc. Atqui hæc miracula sunt certa; illa enim miracula ut certa haberi debent, quæ omnibus gaudent conditionibus quibus certissima historiæ facta constant : atqui talia sunt quæ modo retulimus miracula aliaque similia; sunt enim facta sensibilia, publica, omnibus obvia; a multis referuntur auctoribus fide dignissimis, qui sæpe fuerunt testes non tantum coævi, sed oculati, qui adversarios in testimonium advocant; ad eorum fulgorem conversæ sunt gentes, in eorum memoriam publica erecta sunt monumenta; plurima ex illis strictissimo examini Sedis Apostolicæ, quod ante solemnem sanctorum canonizationem fieri solet, subjecta sunt. Serio attendant protestantes, et fateri cogentur prædicta miracula esse certissima. Quidam ex ipsis, ut *Kæmpfer* et *Tavernier*, laudabiliter de miraculis S. Francisci Xaverii locuti sunt. Porro hæc miracula probant Ecclesiam Romanam esse sanctam : illa enim, præcipue quæ fiunt ad tumulos defunctorum, ostendunt evidenter eos esse sanctos, ac proinde sanctam esse Ecclesiam cui adhærebant. Ergo. Videantur *Bened. XIV*, de Canoniz. Sanct. l. 4, part. 1, et P. *Perrone*, de Miraculis, prop. 2.

2° *Zelo propagationis.* Testatur enim historia Ecclesiastica Romanam Ecclesiam in cunctis ætatibus et ubique novos filios semper Christo peperisse. Sic variis temporibus ad Christum adduxit Anglos, Francos, Germanos, Suecos aliosque populos; sic vastissimas fundavit ecclesias in America, florentissimas creavit missiones

fere in omnibus Asiæ regnis ; multos semper habuit viros spiritu Apostolico repletos, qui per cunctas orbis partes fidem divinam sudoribus et immensis laboribus plantatam, sanguine suo confirmarunt : et, quod sane mirum est, ex omnibus sectis christianis, sola Ecclesia Romana hunc zelum vere apostolicum indesinenter servavit. Hodierni protestantes catholicos imitari veluerunt ; suas etiam habent missiones, et ingentes pecuniæ summas expendunt ut sacram Scripturam in linguas vulgares conversam, per omnes gentes spargant ; verum missionarii eorum zelum, pietatem, sui abnegationem aliasque virtutes heroicas quæ in missionariis catholicis relucent, nondum exhibuerunt, nec miracula unquam patraverunt, nec christianos doctrina recte imbutos, fide stabiles et opere perfectos genuerunt. Atqui Deus permittere non potest ut societas non sancta, schismatica, vel hæretica, sola jugiter impleat munus Evangelium prædicandi. Unde merito dici potest cum Hugone a S. Victore, l. de Trinitate : « Domine, si error est, a teipso decepti sumus ; » ista enim in nobis tantis signis et prodigiis confirmata » sunt, et talibus quæ non nisi per te fieri possunt. » Ergo, etc. Vide *Appel à la raison, etc., ch.* 12 : Card. *Wiseman, Controv. cathol. conf.* 6 *et* 7.

3° *Conversione errantium.* Adeo quippe sancta et divina judicatur Ecclesia Romana, ut nonnulli homines qui rem maturiori examini subjiciunt, cupiditates refrenare intendunt, sanctius vivere cupiunt, et, in periculo constituti, salutem æternam diligentius inquirunt ex aliis sectis quotidie ad eam confugiant : et e contra, si paucos aliquoties ab Ecclesia Romana ad alias sectas confugere videamus, illi sunt, saltem ordinarie, qui mundi illecebris illecti, libidinibus subjecti, liberius vivere sibi proponunt, v. g., monachi disciplinæ impatientes, presbyteri uxorem ducere volentes, etc. ; omnes igitur persuasum habent Ecclesiam Romanum cæteris societatibus christianis sanctitate præcellere. Ergo, denique, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Multi errores in Ecclesia Romana docentur, multæ superstitiones in ea existunt. Ergo.

R. 1°. *Nego ant.* Nam — a) doctrina Ecclesiæ Romanæ nullam subiit mutationem et Apostolica est, ut infra probaturi sumus. — b) In diversis theologiæ Tractatibus ostenditur præfatas superstitiones toties a protestantibus nobis objectas, mera esse figmenta nullis rationibus innixa. Unde doctor *Leo*, superius citatus, ipse agnoscit se frustra quæsiisse superstitiones catholicis attributas, et nunquam reperire potuisse Ecclesiam Romanam talem qualem fingunt protestantes. (*Univers*, 4 *fév.* 1853.)

Sic ergo ratiocinamur adversus protestantes : Doctrina Ecclesiæ Romanæ non est evidenter falsa aut impia ; in illius gratiam vero existunt miracula nullis miraculis oppositis impugnata ; hæc igitur miracula veniunt a Deo, juxta regulam quam in Tractatu *de Vera religione* dedimus. Porro Deus miraculis confirmare non potest doctrinam quæ non est sancta. Ergo.

R. 2° *Negari possunt consequens et consequentia.* Errores enim et superstitiones de quibus hic agitur, saluti non officiunt, juxta protestantium principia : ergo non impediunt quin illa Ecclesia sit sancta.

Obj. 2°. Concilium Trid. sess. 25, *de Invocatione Sanctorum*, prohibuit ne nova deinceps admitterentur miracula aut susciperentur sanctorum reliquiæ, nisi recognoscente et approbante episcopo : ergo ex una parte sanctitas Ecclesiæ per miracula astruitur, et ex altera parte miracula per Ecclesiam probantur : sicque circulus vitiosus instituitur.

R. Nego conseq. Nullo modo enim concilium Trident. sibi proposuit ad imere miraculis vim quam naturaliter habent probandi veram esse doctrinam in cujus gratiam patrantur, sed præcavere voluit superstitiones, et impedire ne falsa miracula aut falsæ reliquiæ pro veris admitterentur : at talis agendi ratio est prudens et sapiens : ergo.

Præterea, fatemur Ecclesiam per miracula et miracula per Ecclesiam probari posse, et tamen dicimus nullum tunc institui circulum vitiosum. Si enim auctoritas Ecclesiæ nobis probanda sit adversus incredulos, ope miraculorum illam demonstramus; si controversia nobis instituenda sit cum adversariis auctoritatem Ecclesiæ admittentibus, merito dicere possumus hæc aut illa miracula absque ullo examine rejicienda esse præcise quia Ecclesiæ auctoritati adversantur, vel admittenda quia ut vera ab Ecclesia agnoscuntur : porro concilium Trident. tulit decretum pro catholicis qui Ecclesiæ auctoritati adhærent: ergo.

Eo sensu intelligendus esse videtur S. Aug. qui Donatistas mirabilia jactantes deridet, affirmatque, *lib. de Unitate Ecclesiæ*, c. 19, causam catholicorum et hæreticorum non ex miraculis, sed ex Scripturis esse dijudicandam; clare enim demonstrat ex Scripturis illos non esse veram Ecclesiam : ergo merito concludit eorum mirabilia esse mendacia vel dæmonum præstigia. Potuit etiam ab isto argumentandi genere consulto abstrahere, et illos schismaticos ex solis Scripturis quas admittebant confutare : inde non sequitur S. Aug. credidisse sanctitatem Ecclesiæ per miracula probari non posse.

Obj. 3°. Narrat Socrates historicus, lib. 7, c. 17, quemdam Paulum episcopum Novatianum evidens miraculum patrasse : ergo miracula etiam ab hæreticis patrari possunt, ac proinde non probant sanctam esse Romanam Ecclesiam.

R. Nego conseq. Nam — a) Socrates plurima refert facta quæ saltem dubia judicantur. — b) Novatianis ordinarie nimis favet in historia sua. — c) Etiamsi verum esset miraculum quod refert, nobis non noceret; nam juxta ipsius narrationem, Paulus miraculum illud operatus est coram Judæo qui baptisma Christi deridebat : in gratiam igitur religionis christianæ, vel alicujus puncti illius doctrinæ, non autem in gratiam schismatis Novati peractum est prodigium istud : porro non repugnat Deum operari miracula in gratiam suæ religionis per hæreticos aliosve

doctores, sicut veram edidit prophetiam per Balaam : ergo.

Obj. 4°. Multo plures sunt peccatores in sinu Ecclesiæ Romanæ quam justi : ergo immerito dicitur sancta.

R. Nego conseq. Denominatio enim corporis moralis non deducitur ex majori numero, sed ex parte quæ dominatur et excellentior reputatur ; sic civitas dicitur opulenta, quamvis pauperum numerus longe sit major ; sic homo dicitur vivere, licet plurima ipsius membra sint mortua ; justi autem sunt pars nobilior Ecclesiæ : ergo propter illos Ecclesia merito dicitur sancta. Insuper vocatur sancta non tantum propter membra, sed ratione doctrinæ, ratione sacramentorum, ratione principii, ratione finis, ratione operationis Spiritus sancti per miracula manifestatæ. Ergo.

Similiter, quamvis in ea exstiterint laxiores casuistæ, falsi doctores et nonnulli mali pastores; quamvis aliquando reformatione indiguerint fideles quoad mores et disciplinam, nihilominus Ecclesia semper fuit sancta; nam hæc tribuenda sunt privatis, non vero Ecclesiæ quæ ea semper detestata est et reformare statuit. Ergo denique, etc.

PROPOSITIO TERTIA.

Ecclesia Romana est catholica.

Prob. Vera Ecclesia perpetuam et simultaneam habere debet catholicitatem : atqui hanc utramque catholicitatem habet Ecclesia Romana.

1° *Perpetuam.* Qualibet enim ætate Ecclesia Romana adversarios suos debellavit, ostendendo diffusionem suam ex una parte, et paucitatem illorum ex altera parte : semper dicta est catholica, hoc est proprium ipsius nomen a nulla alia secta usurpatum, quo ipsi protestantes eam designant. Ergo 1°.

2° *Simultaneam habet catholicitatem.* Ad hoc enim sufficit ut per magnam orbis partem sit diffusa et cæteras

societates christianas diffusione sua vincat : atqui hæc duo certa sunt.

— A) *Per magnem orbis partem diffusa est.* Dominatur enim in tota Italia, in Gallia, Hispania, Lusitania, Hungaria, Polonia, in media parte Germaniæ, Bohemiæ, Helvetiæ ; septem ex octo habet partes (*sept millions sur huit*) in Hibernia, frequentes ecclesias in Anglia et Batavia, et innumeros fideles in cæteris Europæ partibus; in vastis Turcarum imperiis non paucæ inveniuntur Ecclesiæ Romano Pontifici junctæ ; immensas et numerosas habet diœceses in America (22,177,000 *catholiques, dit M. de Humboldt, Revue protest.*, t. 1). In Asia usque ad imperium Sinense pervenit et multos ubique proselytas habet. Idem dicendum est de partibus Africæ habitatis. Denique in cunctis regionibus, moraliter loquendo, nota est, ipsiusque existunt sequaces. Unde sic : Illa Ecclesia legitime dici potest ubique moraliter diffusa, cujus dominatio non minus extenditur quam olim dominatio Nabuchodonosor, Alexandri, Romanorum, etc. : atqui dominatio Ecclesiæ Romanæ non minus extenditur, etc.

— B) *Cunctas societates christianas sua diffusione vincit* ; idque sub duplici respectu. Namque aliæ societates in varias sectas sunt divisæ ; singillatim sumptæ, non multum diffunduntur : Romana vero Ecclesia est una, et amen ingentem hanc habet diffusionem quam descripsimus. Sola Ecclesia Romana, inter universas societates christianas, ubique diffunditur, ubique plures aut paciores habet sequaces. Juxta D. *de Humboldt*, loco modo citato, in sola Europa 103,000,000 numerantur catholicorum, 52,000,000 tantum protestantium ex omnibus sectis, et 38,000,000 qui ritum Græcum sequuntur. Aliæ exhibentur supputationes ; v. g., *Malte-Brun, édit. de* 1847, t. VI, non de Europa tantum, sed de tota terra loquens, ait, cum dubio tamen, esse 150,000,000 catholicos, 65,000,000 protestantes ; 60,000,000 græcos. Diversi etiam sunt numeri apud *Balbi*.

Ex his quoque probata manet assertio nostra. Ergo. Aliunde, etc. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Vix quinta pars orbis religionem Romanam profitetur: ergo Ecclesia Romana legitime dici non potest catholica.

R. Nego conseq. Nam, sicut jam diximus, Ecclesia Romana merito dicitur catholica, si eamdem aut similem habeat extensionem ac habuerunt imperia Nabuchodonosor et Alexandri, cum hæc imperia dicta sint universalia : atqui revera extensio Romanæ Ecclesiæ comparari potest imperiis Nabuchodonosor et Alexandri; imo, comparatione facta, longe ea superat. Non solum enim in vastis regionibus dominatur, sed ubique nota est, ubique plus minusve fulget, ubique subditos habet, et sic ubique in animas vere dominatur. Et vero, non tam quærendus est numerus eorum qui religionem catholicam profitentur, quam spectanda ipsius diffusio; sicut enim sol lucere non cessat, quia multi oculos aperire nolunt; sic et vera religio Christi seu Ecclesia catholica non desinit esse universalis, quia multi eam ubique fulgentem agnoscere et profiteri renuunt. Ergo.

Obj. 2°. Mahumetana religio magis diffusa est quam Ecclesia Romana : ergo catholicitas Ecclesiæ Christi debita, Ecclesiæ Romanæ non competit.

R. 1° *Nego ant.* Mahumetani enim in variis dividuntur sectas, quæ seorsim sumptæ, non multum diffunduntur, et certe diffusionem Ecclesiæ Romanæ non superant; quinimo totus Mahumetismus simul coadunatus non est tam diffusus quam Ecclesia Romana; nam Ecclesia Romana sectatores habet in omnibus fere regionibus in quibus Mahumetismus existit, ibique nota est, dum Mahumetismus penitus ignoratur in infinitis regionibus in quibus Ecclesia Romana fulget vel dominatur. Ergo.

R. 2° *Nego potest.* Notarum enim veræ Ecclesiæ proprius finis non est illam a societatibus infidelium, sed ab aliis societatibus christianis distinguere; in Tractatu

nostro præcedenti demonstravimus solam religionem christianam esse veram : nulla nunc igitur instituenda est comparatio inter veram Ecclesiam et quamcumque religionem antichristianam. Ergo.

PROPOSITIO QUARTA.

Ecclesia Romana vere est Apostolica ratione doctrinæ.

Prob. 1°. Ecclesia Romana est Apostolica ratione doctrinæ si doctrinam Apostolorum integram retineat : atqui Ecclesia Romana, etc. Doctrinam enim Apostolorum integram retinet, si talis sit ejus constitutio, ut quælibet mutatio in ipsius doctrina fuerit impossibilis : atqui talis est constitutio Ecclesiæ Romanæ, ut, etc. Nam, ex ipsius constitutione, omnes quæstiones auctoritate traditionis dirimuntur, et quod omne dubium eliminat, Petro ejusque successoribus, usque ad consummationem sæculi, promisit Christus fidem ejus nunquam esse defecturam : Petro ipsum confirmaturum esse fratres suos episcopos qui super gregem suum positi sunt, veræ doctrinæ christianæ custodes. *Nihil innovetur nisi quod traditum est*, aiebat S. Papa Stephanus ad B. Cyprianum. « Id verius » quod prius, id prius quod ab initio, id ab initio, quod » ab Apostolis. » Tert. adversus Marc. lib. 4, cap. 5. Nunc pariter hæc sunt principia quæ universim sequuntur Episcopi : his autem positis, impossibile est aliquam fieri mutationem in doctrina Ecclesiæ.

Prob. 2°. Et vero, si qua hujusmodi mutatio serperet, vel modo sensibilii, vel modo insensibili : atqui neutrum dici potest.

— A) *Non modo sensibili*, propter rationem jam expositam ; aliunde assignari posset articulus circa quem mutatio contigisset, quo tempore grassari cœpisset, ubinam primum obtinuisset, quis illius auctor, quo nomine appellatus, qua patria oriundus, cujus instituti professor, qua arte, qua audacia præditus, ut fidem antiquam corrumpere voluisset et potuisset : attamen nihil horum in-

venitur nec a protestantibus citatur : ergo non modo sensibili.

— B) *Non modo insensibili.* Nam tunc dicendum foret omnes fideles et eorum pastores, doctores et professores, prælatos regulares et sæculares, per orbem terrarum, easdem admisisse innovationes in gravissimis fidei punctis, ea credidisse ut dogmata a quibus abhorrebant, ea pro quibus sanguinem fundere parati erant tanquam figmenta rejecisse ; atque hæc tam unanimiter contigisse, ut nullus contra ea insurrexerit, nullus hos errores refellerit, nullus pastor gregem sibi commissum ab aliis præcavendum monuerit, nullum concilium eos damnaverit, nullus apostata id objecerit; uno verbo, nullus exstiterit apud ecclesiasticos et laicos, doctos et indoctos, nobiles et plebeios, viros et mulieres, qui prioris doctrinæ memoriam retinuerit; nullus denique, in tota Ecclesia, qui hujusmodi mutationes adverterit. At nemo non videt quam talis suppositio sit absurda. Innumeræ enim exortæ sunt novitates ab Apostolis usque ad nos, et statim atque prodierunt, undique conclamatum est adversus eas. Novimus earum auctores, epocham, progressus, adversarios aliasque circumstantias. Quomodo ergo tanti momenti mutationes ita contingere potuissent, ut nulla reliquissent vestigia ? Ergo.

PROPOSITIO QUINTA.

Ecclesia Romana est Apostolica ratione ministerii.

Prob. Duæ requiruntur conditiones ut Ecclesia sit Apostolica ratione ministerii, scilicet, successio pastorum non interrupta, et legitima missio : atqui illæ conditiones in Ecclesia Romana inveniuntur.

1° *Successio pastorum non interrupta.* Nam, sicut S. Irenæus, Tertul., S. Aug., S. Optatus aliique demonstrabant Ecclesiam Romanam suo tempore esse apostolicam, numerando ejus pontifices a B. Petro sine interruptione sibi succedentes, similiter et nos ostendimus eam-

dem pontificum seriem usque ad Pium IX perseverasse; cæteræ Ecclesiæ cum Ecclesia Romana unitæ, continuam seriem pastorum a primo fundatore descendentium et Pontifici Romano communione junctorum pariter habent.

2° *In Ecclesia Romana legitima existit missio.* Omnes enim illius pastores alii ab iliis sine interruptione descendunt : nulli agnoscuntur successores alicujus pastoris, nisi legitime mittantur. Quicumque talem non habuerunt missionem, semper reputati sunt schismatici et omni jurisdictione destituti. Unde hæc verba Christi : *Sicut misit me vivens Pater, et ego mitto vos,* quotidie in Ecclesia Romana ad praxim reducuntur; sicque missio Apostolis divinitus concessa usque ad nos pervenit. Ergo 2°, etc.; aliunde, etc. Ergo Ecclesia Romana est Apostolica ratione ministerii.

Propterea nullo particulari nomine designatur, sed vocatur semper Ecclesia Christi, vel Ecclesia Catholica : ipsi protestantes eam aliter designare jam non audent. Contra vero, aliæ societates christianæ proprio fundatoris nomine appellantur, quidquid eorum defensores ad id impediendum dixerint et tentaverint. Sic designamus Lutheranos, Calvinistas, Zuinglios, etc., sicut olim appellati sunt Eutychiani, Nestoriani, Ariani, etc. Ergo illæ sectæ convincuntur initium habuisse, dum Ecclesia Romana nulla præ se fert mutationis indicia. Ergo denique, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Defuncto pontifice Romano, nullus est qui legitimam missionem alteri conferre possit. Ergo.

R. Nego ant. Nam in Ecclesia Romana quædam a B. Petro vel a successoribus suis statutæ sunt regulæ ad modum successionis determinandum : qui juxta has regulas eligitur et instituitur, eo ipso legitimus sui prædecessoris creatur successor, et eamdem habet jurisdictionem, sicut principes qui aliis principibus juxta præscriptas regulas succedunt, eamdem habent auctoritatem civilem. Ergo.

Nulla autem est difficultas pro episcopis aliis episcopis in ecclesiis particularibus succedentibus, semper enim canonicam institutionem accipiunt : qui absque legitima institutione creantur, sunt *intrusi* et schismatici.

Obj. 2°. Sedes Romana, ab anno 1738 ad annum 1429, inter duos aut tres pontifices fuit dilacerata : ergo series pontificum fuit interrupta.

Antequam respondeamus, quædam facta breviter sunt referenda. Clemens V, ex Archiepiscopo Burdigalensi summus pontifex creatus anno 1305, post diversa per Galliam itinera venit Avenionem anno 1308, ibique mansit; successores ejus Joannes XXII, Benedictus XII, Clemens VI, Innocentius VI, Urbanus V et Gregorius XI, omnes origine Galli, manserunt etiam Avenione; hanc urbem ejusque territorium Clemens VI emit, anno 1348, a Joanna, Provinciæ comitissa et Neapolis regina : cum autem Gregorius XI Romam ivisset, anno 1376, ibi mortuus est die 5 februarii 1378.

Tunc Romani, magna concitata turba, vehementer petierunt a cardinalibus ut Papam ex Roma, vel saltem ex Italia oriundum constituerent. Cardinales vero, numero sexdecim præsentes, contra hujusmodi violentiam profitentes, juxta plures auctores (Vide *Histoire de l'Eglise gallicane*, et *Fleury*) Bartholomæum Prignano, archiepiscopum Bariensem in Apulia, elegerunt, qui nomen Urbani VI sumpsit. Deinde, æstimantes se ab illo quibusdam verbis et agendi ratione fuisse offensos, primo Anagniam, postea Fundum abierunt, et quinque menses post electionem ejusdem Urbani, publice contestati sunt se non fuisse liberos, palam affirmarunt Urbani electionem fuisse nullam, novum elegerunt Papam Robertum, cardinalem Genevensem, qui dictus est Clemens VII. Hic venit Avenionem ibique sedem suam fixit. Ut legitimus pontifex Romanus agnitus est in Gallia, Hispania, Scotia, Sicilia et in Cypro. Petrus de Luna, sub nomine Benedicti XIII, ei successit anno 1394, depositus fuit in concilio Pisano anno 1408, deinde in concilio Constantiensi anno 1417 : at nihilominus dignitati suæ renuntiare con-

stanter recusavit, licet ab omnibus derelictus; mortuus est anno 1424: duos solummodo habebat cardinales, quibus prope mortem constitutus jussit ut post se alterum eligerent Papam; elegerunt reipsa Ægydium *Mugnos*, dictum Clementem VIII, qui pontificatus insignia anno 1429 abdicavit.

Urbanus VI, ex sua parte, successores habuit Romæ, Bonifacium IX, Innocentium VII, Gregorium XII, qui depositus fuit in concilio Pisano.

Alexander V, in concilio Pisano electus, successorem habuit Joannem XXIII, qui, in concilio Constantiensi anno 1414 depositus, summo pontificatui renuntiavit. Idem fecit Gregorius XII. Martinus V, durante concilio, fuit electus et confirmatus: universus orbis christianus eum ut legitimum B. Petri successorem habuit, et post cessionem Clementis VIII nullus amplius exstitit competitor, sicque finem habuit magnum Occidentis schisma, saltem post annos 51 et probabilius post annos 39, siquidem Benedictus XIII nullo modo haberi potuit ut Papa a die quo iterum depositus fuit in concilio Constantiensi et ab omnibus derelictus. Vide *Baron. Contin. Rayn.* t. XVII; *Palma, Prælect. hist. eccl.* t. II, p. 429. His descriptis,

R. Nego conseq. Nam — a) etsi auctoritas utriusque contendentis dubia fuerit, unus tamen coram Deo legitimus erat B. Petri suceessor, atque series successionis in eo perseverabat, et alter nihilominus jurisdictionem necessariam habebat, juxta leges Ecclesiæ, scilicet, propter titulum coloratum et errorem communem. — b) Quamvis concederetur nullum ex diversis contendentibus legitimum fuisse Pontificem, non ideo series successionis proprie fuisset interrupta; non magis enim hic defectus ministerio Apostolico nocere potuisset, quam vacatio sedis per plures annos legitimæ successioni nocet. — c) Ecclesia, tanquam societas perfecta usque ad finem sæculorum permansura in quocumque casu existat, sufficientem habet potestatem ad sui conservationem et gubernationem; ergo, ubi plures sunt Pontifices dubii et contendentes, eos deponere, vel abnegationem pontificatus ab eis exi-

gere, et alium rite constituere potest. — d) Omnibus contendentibus semel defunctis, aut voluntarie abdicantibus, jus novum Pontificem constituendi remansit in Ecclesia: ergo qui ab omnibus ecclesiis tunc fuit agnitus legitimus erat B. Petri successor; proindeque magnum Occidentis schisma seriem successionis Pontificum in sede Romana non disrupit.

Quæri potest an lugendum illud schisma Occidentis unitati regiminis Ecclesiæ nocuerit.

Ad solvendum hanc quæstionem notandum est duplicem distingui posse regiminis Ecclesiæ unitatem, unam essentialem et alteram accidentalem. Unitas essentialis in eo consistit ut omnes idem principium regiminis, eamdem auctoritatem controversiarum fidei judicem agnoscant, et quamdam generalem communionem secum habeant: unitas vero quæ dici potest accidentalis, in eo sita est ut omnes admittant eosdem auctoritatis depositarios.

Lugendum Occidentis schisma unitati essentiali non nocuit, si coram Deo catholici non fuerint divisi: atqui catholici coram Deo non fuerunt divisi; omnes enim credebant unicum esse B. Petri legitimum successorem, necessariam esse erga illum subjectionem: omnes illum venerari intendebant, sed alii hunc, alii illum arbitrabantur legitimum, sicque in solo facto dividebantur. Nihil charius ipsis erat, nihil ardentius exoptabant quam ut, illa divisione exstincta, pax restitueretur Ecclesiæ. Omnes igitur sedi Romanæ adhærebant, idem principium regiminis, eamdem auctoritatem controversiarum fidei et morum judicem agnoscebant, quamdam generalem secum habebant communionem; sed non sibi consentiebant circa actuales veræ auctoritatis depositarios. Hæc autem dissensio nocebat tantum unitati exteriori seu accidentali, quæ, Deo sic permittente, interrumpi potest per tempus cujus durationem possibilem assignare non valemus, sicut sedes Romana per plures annos vacare potest.

Tempore magni schismatis, veri catholici futurum exspectabant Pontificem certum cui parati erant obedire.

Interea ei adhærebant quem judicabant probabilius legitimum, cæteros non damnantes.

Cum difficillimum erat determinare quisnam ex contendentibus legitimus esset, tunc dabatur error communis circa titulos pastorum : porro ubi est error communis, Ecclesia, ex jure canonico, supplet jurisdictionem in eis qui habent titulum coloratum : ergo in utraque parte sufficiens erat jurisdictio ad sacramenta Ecclesiæ valide ministranda; sicque schisma saluti populi non nocebat. Revera plures simul exstiterunt sancti, nunc canonizati in communionibus oppositis, scilicet sancta Catharina Senensis in communione pontificis Romani, et S. Vincentius Ferrarius in communione pontificis Avenionensis. Ergo denique, etc. Vid. *Histoire de l'Eglise au* XIV^e^ *siècle, par M. l'abbé Christophe.*

COROLLARIUM.

Ex huc usque dictis efformari potest argumentum quo unusquisque veram Ecclesiam ab aliis societatibus christianis secernere possit : sic enim argumentari posset, v. g., contra Lutheranos : Vera Ecclesia semper catholica ac visibilis esse debuit : atqui vestra societas ante Lutherum non existebat, nec illius nomen fuerat auditum in mundo : ergo non estis vera Ecclesia. Quælibet secta ab Ecclesia Romana separata eodem argumento similiter confutari potest ; nulla enim est secta cujus assignari non possit auctor, tempus, progressus, etc., dum, e contra, Ecclesiæ Romanæ origo evidenter ad Apostolos ascendit, et nullum in ea mutationis signum percipi potest. Ergo.

Quanta ergo claritate fulget undique veritas sanctæ Ecclesiæ Romanæ ! Gratitudinis nec non admirationis sensu perfusi ex intimis præcordiis exclamemus cum illustrissimo *Bossuet :*

« Sainte Eglise Romaine, mère des églises et mère de » tous les fidèles, Eglise choisie de Dieu pour unir ses » enfants dans la même foi et dans la même charité, nous » tiendrons toujours à ton unité par le fond de nos en-

» trailles. Si je t'oublie, Eglise Romaine, puissé-je m'ou-
» blier moi-même ? que ma langue se sèche, et demeure
» immobile dans ma bouche, si tu n'es pas toujours la
» première dans mon souvenir ; si je ne te mets pas au
» commencement de tous mes cantiques de réjouissance ! »
(*Sermon sur l'unité de l'Eglise*).

Iisdem ferme verbis sic se exprimit *Fénelon :* « O Eglise
» Romaine ! ô cité sainte ! ô chère et commune patrie de
» tous les chrétiens ! Il n'y a en Jésus-Christ ni Grec, ni
» Scythe, ni barbare, ni Juif, ni gentil ; tout est fait un
» seul peuple dans votre soin, tous sont concitoyens de
» Rome, et tout catholique est Romain. La voilà cette
» grande tige qui a été plantée de la main de Jésus-Christ.
» Tout rameau qui en est détaché se flétrit, se dessèche
» et tombe. O mère ! quiconque est enfant de Dieu, est
» aussi le vôtre ; après tant de siècles vous êtes encore fé-
» conde. O épouse, vous enfantez sans cesse à votre époux
» dans toutes les extrémités de l'univers. Mais d'où vient
» que tant d'enfants dénaturés méconnaissent aujourd'hui
» leur mère, s'élèvent contre elle et la regardent comme
» une marâtre ? d'où vient que son autorité leur donne
» tant d'ombrage ? Quoi ! le sacré lien de l'unité, qui doit
» faire de tous les peuples un seul troupeau, et de tous
» les ministres un seul pasteur, serait-il le prétexte d'une
» funeste division ?...

» O Eglise d'où Pierre confirmera à jamais ses frères,
» que ma main droite s'oublie, si je vous oublie jamais !
» Que ma langue se sèche et devienne immobile, si vous
» n'êtes pas jusqu'au dernier soupir de ma vie le princi-
» pal objet de ma joie et de mes cantiques ! » (*Histoire de Fénelon, liv. 8, n. 16*).

PARS POSTERIOR.

DE CONSTITUTIONE VERÆ CHRISTI ECCLESIÆ.

HUJUS PARTIS OBJECTUM ET DISTRIBUTIO. — Ex uberrimis demonstrationibus per ordinem supra evolutis evidentissime appertum est, inter sectas nomine Christi decoratas, solam veluti ejus genuinum opus habendam esse Ecclesiam Catholicam, Apostolicam, Romanam. Item ab exordio prioris hujusce tractatus partis probavimus hanc Ecclesiam a Christo institutore delineatam esse sub forma societatis religiosæ, et ad finem supernaturalem instructæ. Itaque in decurrente hac posteriori parte nobis inquirendum est quæ sit hujus societatis *Constitutio generatim sumpta*.

Porro, in quavis societate instruitur auctoritas seu potestas, quæ, quasi vinculo communi, omnes coadunat cives, et eorum conatus ad finem intentum dirigit; nos igitur et ipsi investigabimus quænam sit in ecclesiastica societate potestas constituta; — dein, quibus ministris concessa exerceatur; — tandemque quinam sint huic auctoritati subjecti, seu quæ sint membra Ecclesiæ. Unde, in hac descriptione Ecclesiæ Christi triplex instituitur caput, 1^um^ scilicet de auctoritate Ecclesiæ; 2^um^ de ministris hujus auctoritatis; 3^um^ de subjectis seu membris Ecclesiæ.

CAPUT PRIMUM.

DE AUCTORITATE IN ECCLESIA CONSTITUTA.

Christus, in terris inhabitans, ut Ecclesiam institueret, propheticum simul, regium et sacerdotale munus adimplevit. *Aperiens os suum, docebat eos*, Matth. v, 2.—*Dixit ei Pilatus*: *Ergo rex es tu? — Tu dicis, quia rex sum ego.* Joan. xviii, 37. *Introivit Jesus, secundum ordinem Melchisedech, pontifex factus in æternum.* Heb. vi, 20. — Christus vero omnem potestatem, quam a Patre acceperat Apostolis deputavit: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Joan. xx, 21. Ideo triplex potestas, qua Christus insignitus apparuit, constituitur in ejus Ecclesia: potestas doctrinalis seu prophetica quam *Magisterium* dicimus, ut documenta Christi illibate custodita fideliter doceantur; potestas regia vel *Imperium*, ut in ejus visibili regno omnia apte disponantur; potestas pontificia seu *sacerdotium*, ut juxta dominica instituta digne honoretur Deus, hominibusque communicetur; de unaquaque in tribus sequentibus articulis tractabitur.

ARTICULUS PRIMUS.

DE ECCLESIÆ MAGISTERIO.

Omnia quæ a nobis dicenda sunt de Magisterio Ecclesiæ absolventur in duobus paragraphis. In priore quod erit de existentia Magisterii in Ecclesia videbimus: quod necesse sit in Ecclesia quoddam existere magisterium; quod istud magisterium quibusdam dotibus præditum esse debeat; quod Magisterium a Protestantibus excogitatum, Scriptura sacra, spiritus privatus, liberum examen, sit mere illusorium; quod Christus verum et infallibile

instituerit in Ecclesia Magisterium. — In posteriore paragrapho disseremus de muneribus hujus magisterii, scilicet, quod servet fidei depositum; quod proponat credenda, dirimendo controversias; quod deterreat ab errore, propositiones censuris afficiendo, prohibendo libros, etc.

§ I. — De existentia Magisterii in Ecclesia.

I. De necessitate Magisterii in Ecclesia. — Magisterium dicimus eam potestatem docendi, cujus, uti infra fusius videbitur, officium est servare fidei depositum a Christo in terris asportatum, illud credendum tradere, et dirimere de illo controversias, unde a multis judex controversarium dicitur, tandemque fidem credentium tueri. Protestantes, quos præcipue obviam habemus debellandos, non negant quoddam hujusmodi magisterium in Ecclesia esse necessarium, licet nec nobiscum nec inter se, in agendi ratione concordent. Attamen ad majorem rerum elucidationem, primum necessitatem Magisterii sequentibus argumentis adstruimus.

PROPOSITIO.

In Ecclesia necessarium est Magisterium.

Probatur hæc propositio Scriptura sacra, theologicaque ratione.

1° *Prob. Scriptura sacra.* Christus dixit Apostolis eorumque successoribus: *Euntes docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Matth. XXVIII, 19, 20; — et iterum: *Dic Ecclesiæ..., si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Matth. XVII, 17. — Item apud B. Paulum legitur: *Præcipio tibi... ut serves mandatum sine macula, irreprehensibile, usque in adventum Domini Nostri Jesu Chrtsti.* I. Timoth. VI, 14; et alibi: *Quæ audisti a me per multos testes hæc commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt et alios*

docere.. II. Timoth. II, 2. — Unde sic argumentari licet: Omnino necessarium est magisterium ut ejus auctoritatis ope quævis doctrina servetur illæsa, ut fideliter doceatur, et ab errore separetur certo judicio: atqui ex verbis Christi et Apostoli depositum fidei illibatum est per sæcula custodiendum et per Apostolos eorumque successores tradendum omnibus, rebellesque in rebus fidei damnandi, ergo in Ecclesia ad hoc munus necessarium est Magisterium. —

Prob. 2°. *Ex ratione theologica.* Et quidem, — A) doctrina Christi prout est veritas divina, divinitusque revelata, et juxta indubitatas Dei promissiones, usque ad consummationem sæculi eadem et illæsa est duratura; atqui ita eadem et illæsa permanere non potest, nisi constanter ministerio cujusdam Magisterii fideliter servetur; etenim constat experientia quævis systemata mox, vi et decursu temporis, hominumque mentibus in varia fluctuantibus, permutari essentialiter, dein evanescere in oblivionemque venire; ergo necessarium est in Ecclesia Magisterium.

— B) Doctrina a Christo tradita accipi non potest nisi a quodam Magisterio docente, nam ea veritas non apprehenditur ex sola rationis luce, unde dixit Apostolus: *Fides ex auditu* Rom. X, 17; atqui omnes homines ad agnitionem hujus veritatis vocantur, ergo ad eos docendos necessarium est Magisterium.

— C) In quavis perfecta societate necesse est existere supremum judicem qui leges interpretetur sententia a nullo in dubium revocanda, qui controversias ultimo definiat; nisi enim talis existeret judex, finem non acciperent disputationes, in infinitum dilaberentur opiniones, et mox in summam perturbationem et ruinam deveniret respublica; ergo a fortiori in Ecclesia, societate perfectissima, ubi non solum externo sed interno assensu circa revelatas veritates omnium mentes concurrere debent, necessarium est Magisterium. Ergo.

II. De dotibus quibus præditum esse necesse est Ecclesiæ Magisterium.—Magisterium supremum in Ecclesia debet esse 1° *Obvium;* omnes enim homines ab Ecclesia sunt erudiendi, eorumque maxima pars cum sit ma-

gni studii et diuturnæ attentionis minime capax, illudque solum quod obvium et proximum est possit apprehendere, necesse est magisterium Ecclesiæ esse obvium et tale ut omnes illud audire facile queant, nullusque possit allegare ignorantiæ causam.

2° Debet esse *clarum* adeo ut omnes facile eum audire possint, nec ulla sit amphibologia, hæsitatio aut dubitatio in definitionibus ejus: alioquin finem suum non assequeretur; tunc enim de sententia ejus multi dubitarent disputarentque, et sic nova lis alteri liti succederet, ac perpetuæ forent controversiæ, fidesque in incerto maneret.

3° Debet esse *commune*, id est omnes fideles sub jurisdictione sua complectens, cum sit una fides, una debet esse potestas cui incumbit eam docendi munus; alioquin, si quidam auctoritati ejus non subjicerentur, definitiones ejus possent rejicere, ac proinde esset impossibile fidem stare unam semperque invariam.

4° Debet esse *infallibile*, ut fideliter et a quovis errore illibatum depositum fidei asservare queat; ut ab eo edocti fidei documenta inconcutiendo assensu teneant; ut controversiæ circa fidem ultimo judicio dirimantur.

III. Quod Magisterium a Protestantibus excogitatum sit mere illusorium. — His de qualitatibus Magisterii præmissis, quærendum est ubi sit et in quo consistat ex institutione Christi illud Magisterium; ac primum an Protestantium societates verum magisterium et controversiarum judicem habeant.

Variæ societates Protestantium non habent magisterium eo sensu sumptum quem supra exposuimus. Etenim quidem si munus prædicandi et docendi deputant, alii corpori episcoporum, alii simplicibus ministris, alii potestati civili, etc., nullus ejusmodi magisterio attribuit vel institutionem divinam vel infallibilitatem qua invincibiliter obligantur conscientia et intelligentia. Si vero quæras a quo præceptore doceantur, vel a quo judice dirimantur controversiæ, tunc Protestantes assignant Scripturam sacram, interpretatam spiritu privato seu libero examine,

ut aiunt hodierni Calvinistæ, vel Spiritus Sancti illuminatione, instinctu et gustu, quo unusquisque verum a falso tuto secernit : « Comme on sent la lumière quand on » la voit, la chaleur, quand on est auprès du feu, le » doux et l'amer quand on mange.» Sunt hæc verba ministrorum *Claude et Jurieu*. Bossuet, sixième avert. 3e part. n. 23.

Prius, seu simpliciter liberum examen tenent *Sociniani Rationalistæ*, et plerique hodierni Protestantes, qui etiam cuncta rejiciunt dogmata rationi impervia. Posterius admittunt Quaqueri, Anabaptistæ, Moravi et Methodistæ, qui agnoscunt quamdam Spiritus Sancti infusionem unicuique specialiter, licet diversis modis, communicatam.

PROPOSITIO PRIMA.

Scriptura sacra spiritu privato interpretata non est verum magisterium, seu supremus judex contraversiarum, nec tutissima et sufficiens fidei regula, ut volunt Potestantes.

Illud non est verum Ecclesiæ magisterium nec judex controversiarum, nec ideo tutissima regula fidei, quod requisitas dotes ad magisterium non habet, quod est insufficiens, quod per multos annos inauditum fuit, quod practice ad absurda ducit ; atqui talis est Scriptura sacra spiritu privato intellecta, et in magisterium Ecclesiæ supremum tradita, videlicet :

1° *Non habet dotes ad Magisterium requisitas.* — A) *Non est obvia*, id est, omnium captui accommodata, in ea enim hypothesi, unusquisque deberet proprio judicio libros sacros detegere, fidelitatem versionum agnoscere, et sensum eorum genuinum assignare : porro hæc plerisque fidelibus, imo et omnibus, sunt impossibilia. — a) Ipsis impossibile est libros sacros detegere : ad hoc quippe necesse foret ut examini subjicerent cunctos libros qui olim a pluribus exhibiti sunt ut canonici, momenta hinc et inde propria ratione discuterent, ponderarent, et singulari sententia pronuntiarent hos esse authenticos et illos

apocryphos, hos veros et istos falsos, hos divinos et istos profanos. Calvinistæ admittunt in canone Scripturarum Epist. B. Pauli ad Hebræos, Epist. B. Jacobi et Apocalypsim; lutherani eas rejici unt; catholici tenent duos priores libros Machabæorum esse canonicos; omnes protestantes contendunt illos esse profanos. Numquid fideles sola ratione privata ducti gravissimas hujusmodi controversias tuto dirimere possunt? Nemo non videt quantum istud sit absurdum. — b) Non minus plerisque fidelibus impossibile esset fidelitatem versionum privato examine agnoscere; hoc enim fieri non potesl quin versiones conferantur textui originali: libri autem tum Veteris tum Novi Testamenti scripti sunt, alii in lingua hebraica et alii in lingua græca: igitur necesse foret ut cuncti fideles has linguas antiquas perfecte scirent, et cunctos libros sacros in his linguis non solum legerent, sed regulis accuratæ critices stricto examini subjicerent; porro quis dicet tale examen captui fidelium esse proportionatum. — c) Canone Scripturarum determinato et fidelitate versionum certo cognita, res nondum esset finita; tunc enim assignandus esset genuinus saltem præcipuorum textuum sensus: at plerique fideles id præstare nequeunt: doctiores enim protestantes sibi non concordant in explicandis textibus etiam gravioris momenti, qui primo intuitu clariores esse videntur. Ergo Scriptura sacra spiritu privato interpretata non est cunctis obvia.

—B) *Non est clara.* Multa enim continet obscura et intellectu difficillima; id constat — a) *ex ipsamet Scriptura* B. Petri II Epist. III, 16: *In quibus* (in Epist. B. Pauli) *sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* — b) *Ex SS. Patribus.* Vincentius Lirin. Commonit. I, n. 2: « Scripturam sacram, pro ipsa sua altitudine, » non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejus» dem eloquia alter atque alter, alius atque alius inter» pretatur; ut pene quot homines sunt, tot illinc sen» tentiæ erui posse videantur. Aliter namque illam No» vatianus, aliter Sabellius, aliter Novatus exponit.....»

— c) *Experientia.* Namque hæretici omnium seculorum errores suos in Scripturis esse fundatos contendebant, et ipsi protestantes solam Scripturam audire volentes, fere in nullo puncto sibi consentiunt: pauca hæc verba Christi: *Hoc est corpus meum,* octoginta diversis modis pluribus abhinc annis jam interpretabantur; parabolam villici infidelis quæ legitur apud S. Lucam, XVI, in octoginta quinque sensibus accipiebant: horum pariter B. Pauli verborum: *Mediator autem unius non est, Deus autem unus est,* Gal. III, 20, centum et quinquaginta interpretationes distinctas numerat doctor *Thiess,* protestans, apud *Stark.* Quomodo ergo mulieres, pueri, rustici et omnis multitudo fidelium totas Scripturas recte interpretari possent? Tradatur exemplar Bibliorum meditationi eorum et postea quæratur ab eis quid credant, quodnam corpus doctrinæ collegerint, qua ratione ei adhæreant, respondere nequibunt. Impossibilitatem hujusmodi examinis ipsiusque absurditatem experientia superabundanter demonstrabit. Vide *la Discussion amicale,* t. I; *l'Excellence de la Religion catholique, par M. Milner,* t. I; *Conférences sur le Protestantisme, par Mgr. Wiseman,* etc. *La Réforme contre la Réforme, par Hœningaus,* etc. Ergo.

— C) *Non est communis.* Scriptura quidem in se spectata est auctoritas communis; sed spiritu privato interpretata hanc auctoritatem non habet, quia unusquisque eam in sensum suum detorquere potest: omnes enim sunt æqualiter independentes in judicando, proindeque in fide sua efformanda, ut continuo jactitabant primi reformatores et aiunt hodierni protestantes. Ergo.

— D) *Non est infallibilis.* Certum est iterum Scripturam sacram ex se infallibilem esse; verum cum a spiritu privato interpretata, diversos habeat sensus sibi contradictorios, quicumque fidem suam efformat, judicare debet omnes aliter sentientes errare: quomodo autem pronuntiare potest se, sua ratione innixum, veritatem infallibiliter percipere, dum omnes alii eamdem viam sequentes, errant? Aliunde judex qui multos decipit, privilegio infallibilitatis non gaudet: porro Scriptura spiritu privato

interpretata multos decipit, ut patet exemplo antiquorum hæreticorum, hanc regulam sequentium et tot sententias sibi oppositas defendentium. Ergo; aliunde, etc.

2° *Scriptura sacra est insufficiens.* Etiamsi enim Scriptura esset judex controversiarum fidei competens, non ideo sufficeret, si cunctas veritates revelatas non contineat : atqui Scriptura sacra cunctas veritates revelatas non continet, ut notum facimus in tractatu *de fide*. Præterea, Scriptura est respectu fidelium in Ecclesia sicut leges respectu subditorum in regno : at leges etiam perfectissimæ non sufficerent ad componendas lites, nisi existeret tribunal visibile ab eis distinctum : ergo *a pari* nec sola sufficit Scriptura ad controversias fidei dirimendas. Ergo.

3° *Scriptura sacra sensu Protestantium Magisterium est per multa sæcula inauditum et insolitum.* Nempe Magisterium quo omnes doceri necesse est, a Christo institui debuit, semper existere in Ecclesia, et etiam nunc in usu esse; atqui sacra scriptura spiritu privato interpretata veluti Ecclesiæ magisterium non fuit institutum, nec ut talis semper exstitit, nec hodie in hoc usu habetur.

— A) Christus nullam scripturam Apostolis suis reliquit; non præcipit eis ut scriberent, bene vero ut irent per orbem universum, prædicarent Evangelium omni creaturæ, fidem exigerent, credentes baptizarent, et docerent servare quæcumque ipse mandaverat eis. Plerique Apostoli nihil scripserunt; nullos libros revelationes Christi continentes primis fidelibus exhibuere ; qui scripserunt, quasi per occasionem et accidentaliter scripsisse videntur, et nullus sibi proposuit corpus doctrinæ Christi per ordinem tradere; integrum Novum Testamentum non nisi longe post mortem Christi exstitit : ergo primæ Ecclesiæ formatæ sunt et diu existerunt sine scripturis Novi Testamenti; imo solo ecclesiarum testimonio libri Novi Testamenti habiti sunt ut doctrinam Christi et Apostolorum continentes, proindeque ut canonici. Testatur S. Irenæus, in secundo sæculo, plures suo tempore exstitisse ecclesias quæ nullas habebant Scripturas. Ergo.

— B) Negare non possunt protestantes cunctas fidei con-

troversias, saltem in primis Ecclesiæ sæculis, non via examinis privati, sed via auctoritatis semper diremptas fuisse.

— C) Mulieres, infantes et multitudinem fidelium ad interminabiles privati examinis discussiones ipsi Protestantes non remittunt, sed positive eos docent quid credere, quid agere debeant; sua habent symbola quorum fidem a tironibus exigunt. Ergo.

4° *Magisterium ex Scriptura sacra spiritu privato intellecta sumptum ad absurda ducit.* Via enim privati examinis admissa ut solo fidei judice, hinc sequitur actum fidei saltem plerisque per totum vitæ eorum curriculum esse impossibilem, quia examinis necessarii sunt incapaces, ut jam ostendimus; — unumquemque, sive doctum, sive ignarum, debere rationi suæ arrogare infallibilitatem quam doctioribus et universæ Ecclesiæ denegat; — destrui omnia religionis christianæ dogmata : nam si unusquisque propriæ rationi stare debeat, quidquid credat aut dicat jam redargui non potest; — totàm religionem ruere : si quis enim articulos fidei et principia morum unum post alterum denegat, affirmando se ea non invenire in Scriptura sacra, si Scripturam rejiciat, dicendo se percipere non posse illam esse divinam, nulla ratione firma iste convinci potest : tota igitur religio penitus evellitur, quod quidem exemplo suo confirmarunt multi protestantes. Statim enim atque Lutherus, primus reformator, regulam privati examinis instituit, alii prodierunt reformatores, qui ex eodem principio incedentes, ipsam reformationem variis modis reformarunt, ut *Carlostadt, Zwingle, Œcolampade, Muncer.* et innumeri alii. Calvinistæ, eamdem regulam admittentes, facilius adhuc in ruinam fidei prolapsi sunt : hinc latissimus natus est *tolerantismus* qui nunc ubique viget, quo via salutis Mahumetanis, Deistis ipsisque Paganis aperitur; in Germania, etiam in Universitatibus, fere nulla remanent Christianismi vestigia, ut videre est apud *de Starck,* in opere jam citato, apud *Hœningaus.* Hinc variis in locis, et præsertim in Prussia, ecclesiæ Lutheranæ et

Calvinistæ simul conjunctæ sunt anno 1817, absque ulla mentione dogmatum, quæ exhibentur velut subtilitates scholæ. Ecclesia Genevens is jam non tenet peccatum originale, nec divinitatem Christi profitetur; et jubet ut pastores ab hujusmodi quæstionibus abstineant in docendo. Novissime in Gallia quidam theologiæ professor protestans symbola variabilia, identidem derelinquenda, ac proinde inania, esse asserebat.

Qui inter protestantes maxime eminent, ut *Heyne, Fichorn, Gesenius, Wescheider,* etc., in puro versantur rationalismo; paulatim negaverunt omnia dogmata, imo nec admittunt ut vera facta Bibliorum historica : ea habent ut *mythos,* quorum arcana se dilucidare jactitant.

In Anglia dubium et negatio exercetur circa omnes religionis christianæ veritates, ita ut quidam minister, nomine *Gorrham* negaverit baptismum esse necessarium, ac proinde everterit de peccato originali dogma; licet redarguerit eum suus episcopus, pronuntiatum est a tribunali civili, causam hanc judicante, D. *Gorrham* non errasse. Ex his rebus exitiosis permoti, multi ex Doctoribus Anglicanis, præsertim ex Universitate Oxoniensi, præeminente *D. Pusey,* ad Ecclesiam Catholicam accesserunt, quantum fieri potest, dum eam nondum amplecuntur; siquidem traditionem admittunt, venerantur Patres eorumque libros scrutantur, colunt antiquitatem, moresque et virtutes Ecclesiæ catholicæ imitari conantur. — Sed ex eisdem plurimi, feliciori exitu, imitationes vanas deserentes, ad Ecclesiam, veram, unam et ad solum Ecclesiæ Magisterium confugerunt. Hinc multi jam conversi sunt et de die in diem convertuntur, inter quos citare juvat *D. D. Newman, Ward, Oakeley, Manning, Faber, G. Palmer, etc.* Vide opus inscriptum : *Du mouvement religieux en Angleterre.*

Ergo magisterium sumptum ex Scriptura sacra, spiritu privato interpretata, ducit ad absurda et ad ruinam religionis christianæ; item aliunde probatum manet illlud per diuturnum tempus fuisse inauditum ac insolitum, esse omnino insufficiens, tandemque non esse præditum dotibus ad ve-

rum Ecclesiæ magisterium requisitis; ergo Scriptura sacra spiritu privato interpretata non est magisterium in Ecclesia Christiana necessarium, nec proinde supremus controversiarum judex, nec ultima fidei regula.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Christus ipse remittit Judæos ad Scripturas, Joan. v, 39 : *Scrutamini Scripturas... illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Ergo admittit Scripturas esse judicem fidei.

R. 1° Verbum *scrutamini* non in imperativo, sed in indicativo sensu intelligendum est juxta nonnullos interpretes : in eo autem casu Christus non remittit ad Scripturas, sed supponit Judæos quotidie eas legere et perscrutari.

Scripturæ sacræ allegari possunt et sæpe allegantur in confirmationem veritatum quæ in controversiam non adducuntur.

R. 2° *Nego consequentiam,* Christus enim missionem suam Judæis manifestare tunc intendebat, et ideo plurima operabatur miracula : *Ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me,* ibid. 36. Porro Scripturæ, quibus addictissimi erant Judæi, ex sua parte testimonium reddebant Christo : merito igitur Christus dicere poterat Judæis, per argumentum *ad hominem :* Creditis Scripturis, scrutamini eas, *illæ testimonium perhibent de me.* Inde autem concludi non potest solam Scripturam esse judicem cunctarum circa fidem controversiarum. Ergo.

Obj. 2° Act. XVII, 11, de Beræensibus sic legitur : *Hi autem erant nobiliores eorum,..... qui susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent.* Ergo Scriptura tunc habebatur ut sola fidei regula.

R. Nego conseq. Nam infidelis cui fides christiana proponitur amplectenda potestati ecclesiasticæ nondum est subjectus; potest, imo et debet perpendere motiva quibus innititur, ut rationabiliter sese determinet : probabilius

est discipulos Berœenses nondum fuisse baptizatos. Ergo.

Præterea, qui mysteria fidei christianæ credunt, nihilominus licite perpendere possunt momenta quæ ea credibilia efficiunt, non quidem ut depellantur dubia, sed ut in fide constantiores et ad alios docendos aptiores fiant : ergo etiamsi Berœenses tunc fuissent baptizati, licite tamen scrutari potuissent Scripturas *si hæc ita se haberent*, et inde concludi non posset solam Scripturam controversiarum fidei supremum esse judicem.

Obj. 3° II Tim. III, 16 : *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Ergo.

R. Nego conseq. Ex illo enim textu sequitur quidem Scripturam esse utilem, quod nemo inficiatur, sed non asserit eam esse necessariam, et multo minus eam spiritu privato interpretatam sufficere ac controversiarum fidei futuram esse judicem. Ergo.

Obj. 4° Si Scriptura ad dirimendas controversias fidei non sufficiat, admittenda erit auctoritas verbo Dei superior : atqui hoc est absurdum : ergo.

R. Nego maj. Sæpissime enim leges principis interpretatione magistratuum indigent : atqui auctoritas magistratuum auctoritate legum non ideo præstat : ergo *a pari* licet Scriptura sacra interpretatione indigeat, non idcirco alia requiritur auctoritas ipsa superior, ipsius enim auctoritas est divina et necessario infallibilis; sed requiritur ut legitimus illius sensus certo assignetur : porro Ecclesia, juxta catholicos, legitimum sensum Scripturæ infallibiliter determinat : auctoritas igitur Ecclesiæ, quamvis infallibilis, nullo modo auctoritati Scripturæ opponitur, nec illa superior dici potest.

PROPOSITIO SECUNDA.

Spiritus privatus, quocumque donetur nomine, sive inspirationis sive illuminationis, sive gustus, non est verum Ecclesiæ magisterium, nec controversiarum judex ultimus, nec fidei regula tutissima, ad sensum protestantium.

Prob. Ille haberi non potest uti verum Ecclesiæ magisterium, nec judex controversiarum, nec tutissima fidei regula, qui dotes requisitas non habet, cunctis erroribus viam aperit et confutationi januam præcludit, multis contradictionibus implicatur, ducit ad absurda : atqui omnibus his vitiis laborat spiritus privatus, etc.

1° *Dotes requisitas non habet.* Supremus enim controversiarum fidei judex debet esse obvius, clarus, communis et infallibilis : atqui spiritus privatus sensu præfato intellectus has dotes evidenter non habet. — a) Non est *obvius*, cum nulla sit regula qua tuto a spiritu erroris secerni possit. Dicunt adversarii illum esse lumen internum quo veritas menti ostenditur, quemdam spiritualem gustum quo verum a falso sicut dulce ab amaro secernitur : at manifestum est hujusmodi regulas illusorias esse, siquidem eis utentes varie illuminantur et gustant, aut mentiuntur. — b) Non est *clarus*, seu non clare loquitur, cum ii qui illum audiunt, sibi concordare nequeant. — c) Haberi non potest ut *infallibilis* pro foro externo, quidquid sit in se, propter eamdem rationem. Ergo non habet dotes requisitas.

2° *Cunctis erroribus viam aperit.* Nam in principiis hujus doctrinæ, quilibet homo cuncta imaginationis suæ deliramenta velut totidem divinas revelationes suscipere et ubique prædicare potest, ut patet : nullo modo confutari poterit, quidquid enim ipsi opponatur, semper respondebit se a S. Spiritu sic illuminari, se veritatem ita gustare ; imo sibi persuadere poterit se a Spiritu Dei ad cædes et immaniora scelera impelli. Ergo.

3° *Multis contradictionibus implicatur illud systema.* —

a) Namque Spiritus Dei sic intellectus, simul datur et non datur omnibus : datur quidem, cum ex hypothesi unumquemque privatum doceat; non datur tamen omnibus, quia contradictoria dictare non potest. — b) Cum infantes et multitudinem virorum ac mulierum erudiunt protestantes, eos ad lumen internum et Spiritus Dei gustum non remittunt, quod tamen facere deberent, si sibi consentirent. — c) Redarguunt eos qui non credunt vel qui, ut arbitrantur, errant in credendo : attamen eos redarguere non deberent si principiis suis starent. Ergo 3°.

4° *Ducit ad absurda.* Admisso enim prædicto systemate, sequitur ignaros et simplicem mulierculam credere debere se melius totam intelligere posse Scripturam quam Patres, doctores et cuncta concilia, tum particularia, tum etiam universalia, ut fateri coactus est *Claude*, in Colloquio cum *Bossuet :* porro illud est cumulus absurditatis : ergo 4°, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Joan. I Epist. II, 27, ait : *Non necesse habetis ut aliquis doceat vos; sed sicut unctio ejus* (Christi) *docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium.* Ergo B. Joannes agnoscit solum spiritum esse audiendum.

R. Nego conseq. Etenim si B. Joannes persuasum habuisset solum spiritum privatum, ad sensum adversariorum, esse audiendum, cur ipse Epistolas ad fideles scripsisset, cur præcepta nova ac mandata dedisset? quomodo B. Paulus dixisset : *Fides ex auditu,* Rom. x, 17; *Prædica verbum,* etc. II Tim. IV, 2?

Genuinus autem sensus verborum quæ nobis objiciuntur est, quod in nova lege multo abundantiora sint auxilia gratiæ quam in antiquo fœdere; Apostolus enim intendit avertere fideles ab erroribus qui tunc incipiebant grassari : hortatur eos ut firmiter maneant in doctrina quam ab initio acceperant, quam unctio Spiritus Dei intus eos docuerat, occasione prædicationis et sacramentorum baptismi et chrismatis susceptionis; igitur non indi-

gent ut novus doctor aliquid novi eos doceat; quid inde concludere possent Enthusiastæ in gratiam systematis sui? Ergo.

Obj. 2° *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei..., spiritualis autem judicat omnia, et ipse a nemine judicatur,* I Cor. II, *Resp. Neg. conseq.* 14 et 15. Ergo.

Resp. Neg. cons. et conseq. Nam hæc verba nullatenus adversarios juvant; ibi enim Apostolus redarguit Corinthios, qui, in fide adhuc recentes et imperiti, affectibus carnalibus nimis adhærentes, inter se de ministris Christi vane disputabant, dicentes : *Ego quidem sum Pauli..... ego Apollo,* ibid. III, 4. Affirmat Paulus spiritualem hominem non sic insanire, sed omnia quæ sunt Dei multo rectius judicare, seu potius discernere, ut fert textus græcus; et ipsum, cum sit spiritualis, a nemine merito judicari, id est condemnari posse, quia nihil est in eo quod merito reprehendi queat. (*Vide* Estium in hunc textum.) Hic ergo non agitur de judicio circa dogma ferendo, sed de actu morali. Aliunde directio Ecclesiæ non excluditur.

Sic pariter facillime refelluntur cunctæ objectiones quas adversarii ex aliis Scripturæ sacræ textibus, plus minusve contortis, male nobis opponunt.

IV. Quod Christus in Ecclesia verum de facto instituerit magisterium. — Catholici corde et ore tenent Scripturam Sacram et Traditionem esse veluti codices in quibus omnes veritates revelatæ continentur; sed præter hos fidei fontes contendunt a Christo in Ecclesia divinitus esse institutam quamdam doctrinalem potestatem seu magisterium cujus ope et studio istæ veritates inviolatæ et integræ manent, traduntur populis credendæ, jure dirimuntur exortæ de eis controversiæ et tandem a quovis erroris et adulterationis periculo, aptis mediis, præmuniuntur fideles. Hocce magisterium a Christo collatum est Apostolis et eorum successoribus, ut ab uno, capite scilicet, vel ab omnibus, ut infra patebit, exerceatur. Ad confirmationem istius Magisterii sit sequens

PROPOSITIO.

Christus in Ecclesia verum et infallibile instituit magisterium ab Apostolis eorumque successoribus exercendum.

Prob. Illud pro certo tenendum est quod constat Scriptura Sacra, Traditione, et theologicis rationibus, atqui triplici hac via constat Christum instituisse in Ecclesia potestatem docendi, seu verum magisterium ab Apostolis et ab eorum successoribus exercendum; quod per partes probatur:

1° *Scriptura Sacra:* Inter multa testimonia quæ ex Scripturis possunt proferri sint verba sequentia: *Sicut misit me pater, et ego mitto vos.* Joan XVII, 20. — *Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis: tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati.* Matth. X, 14. — *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* Luc. X, 16. — *Quod si non audierit vos, dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Matth. XVIII, 17. — *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra; euntes ergo docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis: et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Matth. XXVIII, 18. — Idem B. Paulus docet: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Rom. X, 17. — *Præcipio tibi... ut serves mandatum sine macula, irreprehensibile, usque in adventum Domini Nostri Jesu Christi.* I, Timoth, VI, 14. — *O Timothee depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ,* Ibid. VI, 20. — *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores... ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Ephes. IV, 11, 14.

Unde sic argumentari licet: Ex his allegatis textibus patet in Ecclesia verum existere magisterium a Christo institutum, si constat eum suis Apostolis omnia commisisse officia e quibus instituitur verum magisterium; — si magisterium eo modo constitutum sit infallibile; — si tandem post apostolos semper sit duraturum, ab eorum successoribus exercendum; atqui hæc tria constant:

— A) *Constat Christum apostolis suis omnia commisisse officia e quibus verum instituitur Magisterium;* equidem — a) Quum elegerit Christus duodecim discipulos, ut apte efficerentur orbis universi Magistri et præceptores, eos ipse erudivit, in colloquiis multis, in exhortatione, in sollicitudine, in patientia eos docuit omnia quæcumque a Patre didicerat; — ac tandem ut in hoc munere docendi non deficiant promisit, oravit, voluit ut eis detur, in eis sit, apud eos maneat *Spiritus veritatis* qui eos edoceat ipse et omnia suggeret quæ eis ipse tradiderat. — b) Modo generali, Christus deputavit Apostolos eadem potestate præditos, quam ipse e cœlis in terras asportaverat, *sicut misit me pater* etc... et inter dotes quibus Salvator apparuit insignitus, eminet potestas docendi: *Aperiens os suum docebat.* Matth. v, 2. — c) Christus specialiter commendavit Apostolis servare omnia documenta quæ eis mandaverat... *Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Quod Apostolus, Christi interpres, discipulo Timotheo inculcare conatur: *Depositum custodi... Præcipio tibi, ut serves mandatum sine macula...* — d) Munus docendi eisdem jure et speciatim deputavit: *Docete omnes gentes... Fides ex auditu...* Et ea est apud Apostolos docendi auctoritas, ut omnes eos audire teneantur... *Quicumque non receperit sermones vestros... Qui vos audit...* — e) Item Christus omnes lites et controversias circa fidem componendi potestatem concessit Apostolis, etenim expresse instituit in Ecclesia Pastores et doctores, ut jam non simus parvuli fluctuantes, nec circumferamur omni vento doctrinæ, quod absque dubio fieret, nisi Doctores a Christo constituti nos annecterent Ecclesiæ columnæ veritatis. — f) Tandem cum Dominus commendaret discipu-

lis servare intemeratam fidem, omnem dedit auctoritatem ut aptis mediis hanc doctrinam tueantur et fidem fidelium protegant: *Si Ecclesiam non audierit; sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Ergo Christus discipulis suis omnia commendavit officia e quibus conficitur verum Magisterium, ergo et Magisterium ipsum instituit.

— B) *Constat Magisterium a Christo communicatum esse infallibile;* etenim — a) hoc Magisterium ejusdem est naturæ et originis ac Magisterium Christi: *Sicut misit me Pater,* etc. — b) Christus promisit *portas inferi non prævalere adversus Ecclesiam,* atqui per errorem prævalerent istæ portæ, si in errorem dilabi posset Ecclesiæ magisterium. — c) Promisit etiam se semper Apostolis adfore usque ad consummationem sæculi, porro Apostolis aut eorum successoribus non adesset si errassent. — d) Præcipit ut iidem audiantur, et quo jure semper audirentur præceptores qui vel mentiri vel saltem errare possent? — e) Fides exhibitur veluti ad salutem necessaria: *si Ecclesiam non audierit* etc. porro fides ad salutem necessaria adhiberi non potest nisi sit ad veritatem, et fides intra limites veritatis contineri non potest nisi Magisterio infallibili. — f) Apostoli, prophetæ, doctores, pastores nobis dati sunt (Ephes. IV, 11, 14) ut non jam simus fluctuantes omni vento doctrinæ: porro si Magisterium ex his doctoribus pastoribusque compositum non sit infallibile, fluctuari et circumferri omni vento doctrinæ non desinemus, cum doctores fallibiles sequi debeamus. — Ergo Magisterium a Christo institutum omnino est infallibile.

— C) *Constat etiam hoc magisterium duraturum fore post Apostolos.* Christus enim expresso sermone id innuit: *Docentes quæcumque mandavi vobis usque ad consummationem sæculi.* Item, B. Paulus, I ad Timoth. VI, 14, præcipit ut depositum fidei servetur irreprehensibile usque ad adventum D. N. J. C.; atqui hæc verba non solos spectabant Apostolos, sed eorum successores, nam Apostoli physice mortales erant et reverant defuncti sunt; ergo postip-

sos eorum munus et magisterium erat duraturum; ergo Scriptura Sacra fuse probatur Christum in Ecclesia verum instituisse magisterium.

2° *Traditione* probatur nostra propositio, duplici quidem argumento, uno ex praxi universa Ecclesiæ sumpto, altero ex doctrina SS. Patrum.

— A) Ab Apostolis usque ad nos creditum est ore et agendi ratione Christum instituisse corpus infallibiliter docens in Ecclesia; namque a primis Ecclesiæ sæculis usque ad protestantium tempora, quæcumque exortæ sunt quæstiones circa fidem, sive apud Ecclesiam Romanam, sive apud sectas ab ea separatas, ad tribunal summi Pontificis vel pastorum docentium delatæ sunt, et eorum definitionibus adhærendum esse plebs christiana semper credidit. Sic, in controversia de legalibus observationibus inter fideles Antiochenos exorta, Act. xv, miserunt Paulum et Barnabam Jerusalem, ut Apostolos consulerent: tunc Apostoli et seniores *convenerunt videre de verbo hoc,* suamque sententiam in hanc formam tulerunt: *Visum est Spiritui sancto et nobis.* Defunctis Apostolis, dum adhuc sævirent persecutiones, multa docuerunt Romani pontifices; pastores Ecclesiæ frequenter congregati sunt, dogmata fidei definierunt atque hæreses proscripserunt. Sic concilium Antiochenum adversus Paulum Samosatenum fuit congregatum, sic in causa Rebaptizantium multa concilia, sive Romæ, sive in Africa, celebrata sunt; et S. Stephanus, summus Pontifex, definitionem promulgavit tanquam supremam docendi potestatem habens. Pace data Ecclesiæ, frequentiora et solemniora habita sunt concilia; non solum apud catholicos, sed etiam apud sectas hæreticas aut schismaticas: sic Ariani concilia agebant, et definitiones fidei edebant; Græci schismatici aliæque sectæ orientales auctoritate pastorum ducebantur. Porro hanc auctoritatem in docendi vel agendi ratione Ecclesia vel jure et veluti acceptam, vel illegitime et usurpatam exercuit; atqui posterius dici nequit; Ecclesia enim tunc in gravissimam incidisset injustitiam, tum erga fideles quos in sua fide, tyran-

nico more retinuisset, tum erga renitentes quos injusta anathematis sententia percussisset, et violenter e suo sinu rejecisset; impudentissime professa esset mendacium, auctoritatem veluti divinitus susceptam exercens et sibi vindicans; et in errorem totum orbem dedisset præcipitem. Si in hanc infidelitatem lapsa est Ecclesia, « Necesse « est, inquit Vincentius Lirin. Commonit, cap. 24, ut fides « B. Patrum aut tota aut certe ex magna parte violetur, » necesse est ut omnium ætatum fideles, omnes sancti, » omnes casti, omnes continentes, virgines, omnes clerici, » levitæ et sacerdotes, tanta confessorum millia, tanti » martyrum exercitus, tanta urbium, tanta populorum » celebritas et multitudo, tot insulæ, provinciæ, reges, » gentes, regna, nationes, totus postremo jam pene terra- » rum orbis, per Catholicam fidem Christo capiti incorpo- » ratus, tanto sæculorum tractu, ignorasse, errasse, blas- » phemasse, nescisse quid crederet, pronuntietur. » Neminem fugit quam impossibile sit hanc admittere conclusionem, ergo prius affirmandum est, videlicet Ecclesiam jure et a Christo acceptam exercuisse doctrinalem auctoritatem seu legitimum magisterium.

— B) Idem constat ex doctrina SS. Patrum. Origenes, Homil. 5 in Jerem.: « Ecclesia Dei viventis veritate Verbi » munita est. » S. Basilius, Epist. 114: « Nullam vocem » in ea (fide Nicæna) rejiciatis, sed sciatis trecentos Patres » qui citra contentionem convenerunt, non sine Spiritus » sancti afflatu locutos esse. »

S. August. de Symb. (t. VI, p. 554: « Ecclesia sancta, » Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia catholica, contra » omnes hæreses pugnans, pugnare potest, expugnari » tamen non potest... portæ inferi non vincent eam. »

Vincentius Lirinensis, Com. I, n° 23: « Christi vero » Ecclesia, sedula et cauta depositorum apud se dogma- » tum custos, nihil in his unquam permutat, nihil mi- » nuit, nihil addit. » Innumera alia citari possent testimonia non minus clara. Porro his verbis, quæ ex testimoniis quasi innumeris excerpimus, omnia videmus officia veri magisterii, siquidem doctrinam fideliter

servatam, diligenter annuntiatam, lites compositas, obedientiam præscriptam, infallibilitatem concessam. — Ergo ex traditione luculenter patet ex institutione Christi in Ecclesia verum et infallibile adesse magisterium.

3° *Ex ratione theologica* idem certum est et probatur multiplici argumento. — A) *Ex necessitate magisterii.* Christus in Ecclesia instituit quidquid necessarium est ut ista Ecclesia rite vivat, formamque servet ab ipso divinitus acceptam; porro, uti jam supra notavimus, magisterium quoddam et infallibile Ecclesiæ est omnino necessarium et essentiale ne doctrina sacra adulteretur et evanescat, ut homines erudiantur, ut componantur lites et controversiæ, tandemque ut forma doctrinæ semper eadem maneat.

— B) *Ex figura constitutionis Ecclesiæ a Synagoga assumpta.* Magisterium edocens, obedientiam et reverentiam præcipiens, in synagoga, sub lege Judæorum erat constitutum : *Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ et Pharisæi : omnia quæcumque dixerint vobis servate et facite.* Matth. XXIII, 2. Atqui omnes norunt legem veteris testamenti ita se habere ad legem novam ut prior sit umbra, figura, prophetia; posterior vero realitas, corpus, consummatio et perfectio; ergo ut paritas servetur, et etiam perfectionis gradus, necesse est ut in Ecclesia Christiana veluti ac in Judaica adsit verum magisterium, et ut Magisterium Ecclesiæ perfectius sit quam Magisterium Synagogæ; unde illust. *Bossuet*, II *Instruction sur les Promesses*, sic se habet : « Dieu n'a cessé de parler à son » peuple publiquement, nuit et jour, en sorte que rien » n'a manqué à son instruction; et vous voulez qu'il soit » moins soigneux de l'Eglise chrétienne, après qu'il l'a » assemblée par le sang de son fils, et qu'il l'a affermie » par ses promesses. »

— C) *Ex natura et indole hominum.* Ita constituitur homo ut in omnibus necessario erudiatur; si vitam ingrediatur, parentes habet institutores; si artem, si scientiam adeat, magisterio indiget; ergo a fortiori quando agitur de religione, de factis supernaturalibus quæ ra-

tione non apprehenduntur, necesse est illum a magistris institui.

— D) *Ex natura Societatis in genere.* Omnes societates humanæ nec vigent nec stare valent nisi in auctoritate quadam suprema magisterium et infallibilitatem reponant, saltem pro actibus externis; etenim remota hujus generis auctoritate, jam introducitur sempiternus horror; dum e contra ab ea instinctiva Magisterii necessitate comparatur Societas, quod ingenue describit *Balmès, Prot. comparé au Cathol.* v, 5: « La main du Créateur a voulu » déposer au fond de notre âme un préservatif tel que sans » cela toutes les institutions sociales se seraient pulvéri- » sées, ou, pour mieux dire, ne se seraient jamais établies; » que les sciences n'auraient jamais fait un pas, et que, » privée de ce secours providentiel, la société et l'individu » s'abîmeraient dans le chaos. Je parle d'un certain pen- » chant à déférer l'autorité, de l'instinct de la foi. » Ergo, a pari, in Ecclesia necessarium est magisterium, ut stare valeat doctrina, ne horror et confusio invadat; ne mentes, aliæ ab aliis discrepantes, quodlibet commune vinculum abrumpant.

— E) *Ex natura et fine Ecclesiæ.* Ecclesia est societas et religio in qua depositæ sunt veritates ad eam divinitus transmissæ, ab ea servandæ, ab omnibus tenendæ; ita ut portæ inferi adversus eam nec per errorem nec per aliam viam prævaleant; ita ut sit semper columna et firmamentum veritatis; ita ut omnes ejus cives, corde et ore unum profitentes, in unum consummentur : — atqui hæc fient solum per magisterium infallibile, quo depositum fidei illibatum maneat, quo ad omnes fideliter communicetur, quo omnes idem profitentes, inter se et cum Christo unum sint, nedum unusquisque in suam abeat sententiam. — *Diximus infallibile*, nam si istud magisterium infallibilitatis non esset donatum, nullus teneretur se committere ei magisterio, per quod in ineluctabilem errorem detrudi posset.

— F) *Ex consensu omnium hæreticorum.* Omnes hæretici, ante Protestantium originem confessi sunt in Ecclesia

existere magisterium infallibile, ad quod sæpe recursum habuere. Quid frequentius legitur in hisioria, nisi videre illos dyscolos appellantes a concilio provinciali, vel ab episcopo ad summum pontificem aut ad concilium œcumenicum, ab uno œcumenico ad aliud; sed istis appellationibus agnoscebant existere tribunal supremum quo fidei lites componantur. Ita se habuerunt Sabellius, Paulus Samosates, Arius, Nestorius, Eutyches, Donatistæ, Wicleff, Joannes Hus; Luther et ipse ejusque asseclæ sæpe ad hoc tribunal appellationem interposuerunt, ac posteaquam ejus existentiam vel jura istius magisterii negaverint, inviti confessi sunt auctoritatem in Ecclesia necessariam esse; ipsi, ut remedium contra perpetuas divisiones suas invenirent, ad auctoritatem recurrere coacti sunt; consistoria, colloquia, synodos provinciales et nationales instituerunt. In famosa controversia inter Arminianos et Gomaristas celebrem convocaverunt synodum Dordracenam, anno 1619, et ex auctoritate dissidia componere frustra tentaverunt, ut narrat *Bossuet*, *Histoire des Variations*, lib. 14, n° 21. Vide etiam *la Discussion amicale*, *t.* 1, *de Starck*, etc.

In cæteris ecclesiis reformatis etiam nunc existit aliqua species auctoritatis, cui subscribere tenentur ministri. Omnes protestantes pueros et idiotas per viam auctoritatis ad notitiam divinæ revelationis ducunt. Admittunt ergo necessitatem auctoritatis saltem pro maxima parte fidelium.

Porro hæc concordantia sententiarum apud eos qui ab eodem magisterio damnati sunt, ejus necessitatem et existentiam demonstrat; ergo ex rationibus theologicis, Traditione, et Scriptura Sacra constat in Ecclesia a Christo institutum fuisse verum et infallibile Magisterium ab Apostolis eorumque successoribus exercendum.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Magisterium ab Ecclesia Catholica excogitatum vanum est et illusorium si liberum examen necessarium

supponit et libero examine nititur; atqui libero examine nititur, et liberum examen supponit necessarium, illud scilicet quo ipsius demonstratur existentia et auctoritas, et quidem necessarium ut quis actum fidei rationalem efficiat, ergo...

Resp. Dist. Min. Magisterium Ecclesiæ libero examine nititur eo sensu quod per liberum examen et scientificam discussionem demonstrari possit, *concedo ;* eo sensu quod semper instituenda sit dissertatio scientifica circa auctoritatem magisterii ecclesiastici, ut actus fidei rationaliter eliciatur, *nego min. quoad omnes partes et probationem.* Equidem fatemur, ope dissertationis scientificæ et liberi examinis, demonstrari posse existentiam et auctoritatem Magisterii Ecclesiæ ; sed hæc via insolita est et nonnisi per exceptionem in Ecclesia Catholica panditur. — *In tractatu de fide* fusius explicatur quomodo fit resolutio seu analysis actus fidei, et exercetur Ecclesiæ Magisterium ; hic vero sequentia notentur ut diluatur objectum responsumque pateat.

Actus fidei plurima supponit : — Principium fidei, quod est gratia divina fidem informans, voluntatemque ad credendum impellens ; — objectum fidei, id est, veritates revelatas quæ credendæ proponuntur, quibusque fit adhæsio ; — motivum fidei proprium, quod est, ultima ratio propter quam credimus, auctoritatem scilicet Dei revelantis et summe veracis ; — motiva credibilitatis quibus existentia revelationis evidenter constat ; — regulam, seu magisterium quo sensus revelationis nobis certo innotescit, et proponitur dogma. — His prænotatis, haud difficile est explicare quomodo, via ordinaria, prudenter et rationabiliter actus fidei elicitur, nec sit necessarium primum a dubio proficisci ut ad fidem perveniat, nec de auctoritate Ecclesiæ præviam instituere dissertationem.

Omnes Ecclesiæ fideles a baptismate acceperunt fidem habitualem divinitus sibi infusam ; dum adhuc sunt infantes Spiritus Sanctus in eis habitat, et, prout crescit ætas suboriturque intelligentia, illos paulatim disponit ad veritates explicite credendas.

Postea, accedentibus annis, a parentibus, a magistris, ab ecclesia accipiunt præcipua fidei objecta simul et Ecclesiæ auctoritatem; iis vero adhærent propter motiva credibilitatis suæ imbecillitati proportionata; etenim propter eadem motiva supernaturalia credunt ac multa naturalia, et ideo eorum actus fidei tam rationales sunt quam possunt elicere.

Si vero ex ipsis, quidam perspicaciori ingenio præditus, motiva credibilitatis superiora inquirere velit, et fundamentum auctoritatis Ecclesiæ perscrutari, ipsi patet via. Non quidem ideo de omnibus dogmatibus dubium movebit, et nec a dubio ad fidem accedet; sed, fide olim accepta in tuto reposita, per scientificam demonstrationem inveniet non concutiendo fundamento inniti magisterium Ecclesiæ, solidissimisque rationibus comprobari dogma Catholicum. Sic, ait B. Anselmus, fides quærit intellectum; et hæc est via ordinaria qua apud Ecclesiam Catholicam, rudibus et peritis rationalis informatur fides.

Si vero agatur de quodam ab Ecclesia separato et ad eam adducendo, fatemur per viam extraordinariam scientifici discursus eum esse deducendum. Revera, in eo abest fides, et jam non fides quærit intellectum, sed intellectus quærit fidem; ideo, absente gratia Dei speciali et mentem rapiente, nulla via alia datur nisi exponere argumenta quæ movent rationem ejusque adhæsionem impellunt. — Sed hæc via, legitima quidem, nobis est insolita et extraordinaria, et a Christo non est instituta veluti regula fidei. Hinc videtur quam absonum est affirmare liberum examen esse methodum generalem qua solum sit possibilis ad fidem accessio, uti audacter contendunt Protestantes. et in objecto præsupponitur. Istud objectum variis acutisque involvi potest, uti videri potest ex celeberrimo colloquio inter ministrum *Claude* et Bossuet habito; sed ex principiis supra expositis sufficienter diruitur.

Obj. 2°. Ex una parte auctoritatem Ecclesiæ per auctoritatem Scripturæ probamus, et ex altera parte contendi-

mus auctoritatem Scripturæ per Ecclesiam esse cognoscendam : ergo admittitur circulus vitiosus.

R. Distinguo ant. Ex una parte auctoritatem Ecclesiæ per auctoritatem Scripturæ probamus, et ex altera parte, etc., sub diverso respectu, *conc.;* sub eodem respectu, *nego ant.* Itaque, vel adversarii admittunt Scripturas, vel non. Si prius, ipsis probare possumus auctoritatem Ecclesiæ per Scripturam, nempe per argumentum quod vocatur *ad hominem :* hinc secundum strictas logicæ regulas argumentamur contra protestantes, dum ex Scripturis quas admittunt ut divinas, infallibilem Ecclesiæ auctoritatem adstruimus.

Si autem cum his qui divinitatem Scripturæ non cognoscunt disputandum sit, aliam instituimus methodum : primo libros divinos considerantes velut monumenta humana, eorum authenticitatem, integritatem et veritatem, sicut aliorum cujusvis generis operum demonstramus, testimonia Patrum aliaque traditionis monumenta colligimus : deinde hæc attente spectantes, videmus celebrem exstitisse hominem qui per evidentissima signa probavit se esse Deum, et religiosam instituisse societatem cui plures concessit prærogativas, et in primis auctoritatem infallibilem : inde concludimus definitiones hujus societatis absque ulla errandi formidine audiendas esse; postea ostendimus eam nobis tradere Scripturas ut divinas, in hoc vel in illo sensu intelligendas : eas ergo ut tales accipere, venerari et intelligere debemus. Porro in hac utraque argumentandi methodo nullus instituitur circulus vitiosus, ut patet : ergo.

§ II. — De muneribus Magisterii in Ecclesia.

Diverso modo suo munere fungitur Magisterium in Ecclesia, etenim servat quasi in depositorio fideli totam Christi doctrinam et ab omni labe erroris immaculatam, curans ut quasi de manu ad manum per sæcula tradatur; — dein eadem documenta fidei positive docet, verba vitæ populos christianos pascens; — tandem, aptis me-

diis protegit plebis christianæ infirmam fidem, eam deterrens a periculo errandi; quod triplex munus his tribus vocibus exprimitur : servat, docet et protegit. Præterea cum uno vel altero munere fungitur Ecclesiæ Magisterium infallibilitate gaudet, hic istam infallibilitatem commemorare sufficit; ex infra dicendis magis patebit.

I. MAGISTERIUM IN ECCLESIA SERVAT FIDEI DEPOSITUM. — Inter munera Magisterii Ecclesiæ eminet officium accipiendi et servandi totum et ab omni errore immaculatum depositum fidei a Christo Ecclesiæ commodatum. Hoc munus in eo situm est quod ne ullum doctrinæ Christi punctum prætermittatur, quod eidem doctrinæ nihil addatur, nihil in ea immutetur. Si quidem istius doctrinæ expressio immutari vel in plura verba protrahi videatur, id solum fieri debet eo modo ac conclusiones, quæ ex principio oriuntur, et unum et idem cum principio efficiunt. Hoc officio Magisterii rite adimpleto, fit ea doctrinæ apostolicitas, de qua supra locuti sumus, et etiam quædam passiva totius Ecclesiæ infallibilitas, quatenus Ecclesia requiescit in professione totius et puræ Christi doctrinæ; ex hoc officio, doctrina sacra in Ecclesia vivit, in Ecclesia spirat omniumque animos vivificat.

Quod vero servare integram Christi doctrinam sit munus Magisterii firmant Sacræ Litteræ, SS. Patrum testimonia et theologica ratio.

1° Christus præcipiens Apostolos ubique docere addit : *Docentes servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Matth. XXVII, 18. Christus vult servari omnia quæ Apostolis mandavit, atqui hæc mandata observari nullo modo possunt, nisi integram eorum traditionem custodiant iidem Apostoli aut successores quorum est ea prædicare, ergo...

B. Paulus pluries commendat ac præsertim I ad Tim. VI, 20, inviolabiliter custodiendam esse doctrinam ab ipso prædicatam : *O Timothee depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiam.* Doctrina quam tenet hic Timotheus non est bonum proprium, nec inventum, nec suum lucro fac-

tum; porro, inquit S. Chrysostomus, lex depositi non patitur ut aliquid pereat, sed integrum per manus reddi debet; ergo Timotheus et ejus successores integram servare debent Christi doctrinam.

Item II Timoth. II, 2 : *Quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.* Quibus verbis manifesta apparet tum doctrinæ custodia, tum ejus transmissio de manu ad manum per officium Magisterii.

2° Sæpe SS. Patres hoc Magisterii munus memorant aut extollunt. B. Irenæus, cont. Hær. lib. III, c. 4 : « Hanc prædicationem cum acceperit, et hanc fidem Ec» clesia diligenter custodit. » — Et ibid. magnificentius : « Non oportet adhuc quærere apud alios veritatem quam » facile est ab Ecclesia sumere ; cum Apostoli, quasi in » depositorium dives, plenissime in eam contulerint om» nia quæ sunt veritatis, uti omnis quicumque velit ex » ea potum vitæ sumat. »

Vincentius Lir. Common. xx, 24, hæc verba : *O Timothee depositum custodi* explicans et perugens exclamat : « O ! Timothee ! O ! Episcope ! O ! Doctor ! custodi, prop» ter fures, propter inimicos depositum, id est doctrinam » sanam, quæ tibi quasi episcopo credita est a me et a » Christo, non quæ a te inventa, quam traditione acce» pisti, non quam excogitasti, cujus non auctor debes esse » custos. »

3° Ex theologica ratione, idem innuitur : Doctrina Christi ex perpetuitate et fine Ecclesiæ eadem et integra manere debet; atqui solummodo ope magisterii eadem et integra servari potest; etenim si traderetur custodienda manibus eorum qui errant mox in multiplicem falsitatem dilaberetur nec jam recognosci posset; itaque servari debet ab eis quibus data est infallibilitas, porro Magisterium in Ecclesia constitutum solum hac infallibilitate donatum est, ergo ejus est servare et custodire depositum fidei.

II. Ad Magisterium Ecclesiæ pertinet docere doctrinam Christi.—Christus voluit omnes homines salvos fieri et

ad agnitionem veritatis pervenire; at impossibile est eos ad agnitionem veritatis pervenire nisi doceantur, nam harum veritatum complexio, cum pendeat a libera Dei inspiratione et revelatione, ex sola ratione humana apprehendi non potest. Unde, Apostolus ad Rom. x, 14, scite dixit: *Quomodo credent ei quem non audierunt, quomodo autem audient sine prædicante? Fides ex auditu, auditus autem per verba Christi.* Instructio igitur est omnino necessaria. Porro hujus instructionis ministerium non unicuique, prout libuerit committitur, sed solummodo, ex officio et jure a Christo magisterium Ecclesiæ deputatur ut populos doceat objectumque fidei proponat tenendum.

Hoc officium magisterio Ecclesiæ et ipsi soli deputatum comprobant fere innumera Sacræ Scripturæ testimonia. — Iis solis etenim qui hoc magisterio præditi sunt Christus dixit: *Euntes, docete omnes gentes*, Matth. xxviii, 19. — *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* — De facto Apostoli, e quibus coalescebat magisterium a Christo institutum, statim ac Spiritu Sancto sunt illuminati prædicant apud Judeos Evangelium Dei. — Diaconi sunt electi ut Apostoli ministerio verbi vacare possent: *non est æquum nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis.* Act. vi, 2. — Ac tandem, Evangelio primum Judæis prædicato, Apostoli quocumque eodem ministerio fungentes ivere. *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis.* Marc xvi, 20. — Pluries B. Paulus hoc magisterium sibi vindicavit: *Nam si evangelizavero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit: væ enim mihi si non evangelizavero.* Corinth. ix, 16. — Ad Rom. x, 15, idem Apostolus necessitatem prædicationis affirmans, affirmat etiam prædicationem solum fieri posse per eos qui ad hoc missi sunt: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur.* Illi autem qui mittuntur sunt Magistri Ecclesiæ, id est Apostoli et eorum successores quibus dictum est: *euntes... docete.*

Hinc sequitur a Christo institutam fuisse distinctio-

nem inter *Ecclesiam docentem et Ecclesiam audientem* seu *discentem. Ecclesia docens* stricto sensu, eis coalescit quibus ex institutione divina competit munus Magisterii, id est Apostoli et eorum successores ; sensu lato iis omnibus qui sive jure proprio, uti Apostoli, sive ex deputatione magistrorum, uti reliqui ex clericis, populos docent veritatem. — *Ecclesia discens* est populus christianus qui tum ex rudibus, tum ex doctis comparatur; quantumvis enim scientia sint præditi, si non sunt ex iis qui participant magisterio, inter audientes et edoctos sunt numerandi ; et magistros fidei reverenter audire tenentur, istius verbi Apostoli memores : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* I Cor. IV, 1.

III. Ad magisterium Ecclesiæ pertinet fidem protegere. — Doctrina Christi commissa hominibus, quorum errare est, subjacet obnoxia multis adulterationum periculis ; ideo impossibile foret tum per sæcula, tum per fere innumerabilium mentes et ora eam inviolatam pertransire, nisi quidam defensor semper adesset ad eam tuendam ejusque hostes profligandos.

Ad magisterium Ecclesiæ quod servat depositum, illudque tradit fidelibus, pertinet eamdem tueri doctrinam, fideliumque protegere fidem. Tribus modis adimplet istud officium, scilicet, quatenus judex controversiarum et interpres legitimus sacræ doctrinæ, secernit veritatem a mendacio, et pronuntiat tale vel tale prædicatum prorsus alienum esse a doctrina Christi et Ecclesiæ ; — quatenus propositiones diverso modo perniciosas censuris afficit, ne amplius retineantur ; — quatenus prohibet libros, quibus perlectis, fides et mores fidelium periclitantur.

1° *Ad defendendam fidem Magisterium Ecclesiæ penes est pronuntiare inter verum et falsum* erroremque et ejus fautores et illum pertinaciter retinentes anathemate percutere. Ex dictis liquidum est, et ex eo fluit quod ad Ecclesiam pertineat infallibiliter dirimere controversias.

At non solum judicat Ecclesia de dogmatibus in se consideratis, sed etiam de facto quod dicunt dogmaticum. Hanc maximi momenti quæstionem mira obscuritate involvere semper conati sunt Janseniani, itaque in ea paulo diutius immorandum est, ut officium Magisterii Ecclesiæ perlucide vindicetur.

Ut status quæstionis recte dignoscatur, notandum est jus a *facto* distinguendum esse. Quæstio est juris, quando qualitas alicujus doctrinæ in se sumptæ expenditur, v. g. utrum Filius Patri sit consubstantialis, utrum in Christo duplex sit natura et unica persona, utrum Christus realiter sit præsens in Eucharistia, etc. Dicitur quæstio juris, quia definiri non potest nisi per verbum Dei, in Scriptura aut in traditione contentum : verbum autem Dei est publicum jus nostrum quod perpetuo consulere et sequi tenemur. Quæstio est facti, quando examinatur an propositio hunc vel illum habeat sensum, vel in tali libro contineatur.

Facta vero multiplicis sunt generis : — alia referuntur in libris sacris, v. g., passio et mors Christi, ipsius resurrectio; — alia non sunt eodem modo relata et credenda, et iterum dividuntur — in historica, scilicet quando de rebus gestis agitur, v. g., utrum Arius in concilio Nicæno fuerit damnatus; — in mere personalia, quæ ad specialem alicujus personæ statum, crimen, innocentiam, mentis sensum, etc., respiciunt, v. g., an Jansenius fuerit auctor illius libri qui ipsi attribuitur, vel an hunc aut illum sensum in mente habuerit dum scriberet; — in facta grammaticalia, quæ ad voces tantum et syllabas spectant, v. g., quinque celebres Jansenii Propositiones continenturne de verbo ad verbum in ipsius *Augustino?* — Denique facta dogmatica, quæ etiam complexa dicuntur, duplicem involvunt quæstionem unam juris et alteram facti. Sit in exemplum hæc Jansenii propositio : *Ad merendum aut demerendum, in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit immunitas a coactione.* Duplex exsurgit quæstio circa hanc propositionem : — a) an sit hæretica,

— b) an in libro Jansenii contineatur, et eo sensu accipienda sit. Igitur factum dogmaticum est illud quod habet connexionem cum propositione de fide.

Certum est 1° Ecclesiam infallibiliter judicare de factis immediate revelatis, quia ad depositum revelationis pertinent.

Certum est 2° illam infallibilitatis privilegio non gaudere circa facta historica aut mere personalia, quæ nullam habent relationem ad fidem.

Certum est 3° Ecclesiam, vi promissionis sibi factæ, infallibiliter non judicare de factis grammaticalibus : voces et syllabas non attendit, sed doctrinam, id est sensum propositionum et librorum.

Certum est 4° eam in factis dogmaticis infallibilem esse circa quæstionem juris : id ab omnibus qui auctoritatem ejus agnoscunt plane conceditur.

Tota igitur difficultas ad hoc reducitur nempe an Ecclesia sit infallibilis in assignando genuino alicujus libri sensu.

Hæc quæstio ante Jansenianos inaudita prima vice cœpit agitari post bullam *Cum occasione*, qua Innocentius X, anno 1653 quinque famosissimas Jansenii propositiones solemniter damnavit, eas diversis censuris afficiendo. Jansenii defensores negare non potuerunt illas propositiones merito fuisse damnatas, sed acriter contenderunt eas in libro Jansenii non contineri : hinc origo distinctionis toties recantatæ inter jus et factum. Cum autem judicatum fuerit propositiones damnatas fuisse ad sensum auctoris, Novatores tunc palam dicere cœperunt Ecclesiam infallibiliter judicare non posse de factis dogmaticis seu de sensu librorum. Catholici vero dicunt in his factis, vi promissionum Christi, Ecclesiam infallibiliter judicare, quibuscum sit

PROPOSITIO.

Vi promissionum Christi, Ecclesia in factis dogmaticis, seu in intelligendo et proponendo naturali librorum sensu, infallibiliter judicat.

Prob. Scriptura sacra, praxi Ecclesiæ et rationibus theologicis.

1° *Scriptura sacra.* Ex variis Scripturæ locis constat Ecclesiam, vi promissionum Christi, esse infallibilem in docendo, in sanam doctrinam proponendo et falsam reprobando : atqui in hoc puncto infallibilis esse non potest quin pariter sit infallibilis in intelligendo et proponendo naturali librorum sensu; si enim infallibilis non esset in assignando naturali librorum sensu, fieri posset ut librum hæreticum approbaret et orthodoxum condemnaret : at in utroque casu erraret : nam si librum hæreticum approbaret, hæresim positive doceret; si librum orthodoxum velut hæreticum rejiceret, eo ipso doctrinam oppositam, falsam et hæreticam approbaret : ergo.

2° *Praxi Ecclesiæ.* Quod Ecclesia jugiter sibi vindicavit, id rejici non potest. Hoc fatentur adversarii; tenent enim Ecclesiam in dogmate errare non posse, attamen in dogmate erraret si jus aliquod falso sibi tribueret. Porro Ecclesia jugiter jus sibi vindicavit de naturali sensu librorum infallibiliter judicandi; hoc enim innumeris ostenditur factis quæ unusquisque potest legere in toto historiæ Ecclesiæ decursu, et apud *Tournely, de la Hogue* aliosque theologos; inter ea quædam tantum seligemus.

Synodus Constantinopol. II, anno 553 habita, quinta et sexta collatione, Theodori, Theodoreti et Ibæ opera quæ Nestorianæ hæresi favebant, damnavit et proscripsit, atqui in his libris de facto dogmatico agebatur, utrum scilicet Nestorii doctrinam affirmarent. Ergo...

Concilium Constantiense, sessione ultima statuit suspectos de fide esse interrogandos « utrum credant, te» neant, et asserant Joannem Wiclefum, Joannem Hus

» et Hieronymum de Praga fuisse hæreticos... et libros et » doctrinas eorum fuisse et esse perversos, propter quos et » quas et eorum pertinacias, per sacrum concilium Cons» tantiense pro hæreticis sint condemnati.» Ergo concilium de libris et eorum sensu judicaverat, ut illos jure potuerit condemnare. — Ecclesia infallibiliter definiit Vulgatam genuinum Scripturæ sensum continere; atqui illud definire non potuit nisi legendo et interpretando libros qui sibi exhibebantur tanquam divina exprimentes. — Ecclesia solet invocare Patres et Traditionem, quod fieri nequit nisi de sensu eorum operum pronuntiet, ergo.

3° *Rationibus theologicis.* — A) Ecclesia, fatentibus adversariis, infallibiliter de sensu propositionum judicat : atqui non minus infallibiliter judicare debet de sensu librorum ; nam libri ex propositionibus sibi succedentibus constant ; si igitur de illis Ecclesia infallibiter judicare non posset, maxime quia numerosiores vel longiores essent : illud autem est absurdum ; nulla siquidem excogitari potest ratio cur Ecclesia tutius de brevibus propositionibus quam de longioribus, de una quam de pluribus judicaret. Ergo.

— B) Fatentur iterum adversarii Ecclesiam infallibiliter de symbolis et fidei professionibus judicare : ergo *a pari* de sensu librorum infallibiliter judicat ; symbolum enim est in suo genere liber, brevis quidem, sed longior esse posset, et de facto longior est quibusdam hæreticorum epistolis : quare ergo de his epistolis Ecclesia infallibiliter judicare non posset?

— C) Ecclesia, prout est societas perfecta, ad suam et doctrinæ conservationem aptis mediis et necessariis instrui debet ; atqui facultas pronuntiandi circa facta dogmatica omnino necessaria est ut et se et Christi doctrinam salvam faciat ; siquidem in libris et per libros suos errores reponere et divulgare solent omnes hæretici et hæreticorum fautores ; quod si Ecclesia hos libros dijudicare, auctorum sensum rite perscrutari, et eorum sententias fidei oppositas pronuntiare non possit, quomodo

grassantes errores reprimet, fidemque plebis Christianæ proteget? ergo.

— D) In quavis societate auctoritas suprema non solum condit et interpretatur leges, sed etiam, datis occasionibus, pronuntiat an de facto lex violata fuerit in tali vel tali casu; alioquin stare non posset societas, cum esset impossibile legis violatores reprimere; ergo *a pari* Ecclesia quæ est perfectissima societas non solum docet et interpretatur Christi doctrinam, sed etiam debet pronuntiare an sententiæ quæ ab auctoribus in suis libris reponuntur sint veritati revelatæ conformes: et præterea divina luce eam illuminandam esse necesse est ut istas sententias juxta sensum ab auctoribus intentum percipiat. — Ergo circa facta dogmatica eadem auctoritate infallibili ac circa veritates directe revelatas gaudet Ecclesiæ Magisterium.

2° *Ad defensionem fidei pertinet censuris profligare propositiones quolibet modo fidei obnoxias.* Nomine censuræ theologicæ intelligitur judicium quo nota maligna cuidam doctrinæ inuritur. (Tract. de Fide, ubi de notis theologicis) Ex ipsa censuræ theologicæ definitione patet doctrinam nullo modo fidei noxiam aliqua malignitatis nota merito non posse percuti; sic propositiones neque directe neque indirecte ad fidem attinentes, ut theses mathematicæ, physicæ aut politicæ Ecclesiæ censuris subesse nequeunt. E contrario, quælibet propositiones quamdam habentes affinitatem cum fide, sive sint speculativæ, sive practicæ, sive directe, sive indirecte, judicari possunt ab Ecclesiæ magisterio, et si opus sit, censuris profligari. Id enim sequitur ex eo quod istud magisterium debeat servare integrum et intactum fidei depositum, credendum tradere illibatum fidelibus, et ab omni adulterationis periculo protegere. Et sequitur ex dictis Ecclesiam infallibiliter pronuntiare cum istius modi censuras inurit; alioquin vana esset et illusoria hæc facultas.

Dein, cum multis modis lacessi et violari possit Christi doctrina, innumeræ formari queunt propositiones plus

minusve sacræ doctrinæ oppositæ, quæ ex ipso diversas merentur censuras, juxta insitam malignitatem. Videre est in tractatu de fide, quibus notis utatur Ecclesia.

Tandem duplici modo perversæ propositiones damnari possunt, scilicet speciali modo, quando singulis sua nota assignatur et declaratur, v. g., primam esse erroneam, secundam scandalosam, tertiam hæreticam, etc., vel *in globo*, ut aiunt, id est, si omnes damnentur velut respective erroneæ, scandalosæ, hæreticæ, etc. Eo modo 101 propositiones *Quesnel*, ex libro *les Réflexions morales*, etc., in celebri bulla *Unigenitus* a Clemente XI damnatæ sunt anno 1713. Hinc Jansenii et *Quesnel* asseclæ novam occasionem sumpserunt Pontificiæ hujus Constitutionis auctoritatem declinare, contendentes Ecclesiam propositiones sic *in globo* damnare non posse. Contra quos sit

PROPOSITIO.

Ecclesia infallibilis est in damnatione propositionum in globo.

Prob. Scriptura sacra, praxi Ecclesiæ et ratione.

1° *Scriptura sacra. Euntes, docete omnes gentes*, etc. Unde sic: Christus suam promisit assistentiam Ecclesiæ, ut infallibiliter doceret et judicaret, modum autem non determinavit: quocumque modo igitur Ecclesia sententiam suam aperiat, infallibiliter quæstiones judicat. Ergo.

2° *Praxi Ecclesiæ.* « Si quid tota per orbem frequentat » Ecclesia, quid ita faciendum sit disputare insolentissi» mæ insaniæ est, » ait S. Aug. Epist. 54, alias 118, cap. 5. Atqui mos receptus est in Ecclesia, sive congregata, sive dispersa, propositiones sic *in globo* condemnandi. — A) In Ecclesia congregata; in concilio enim Nicæno I damnatus est liber Arii cui titulus *Thalia*; in concilio generali V tria famosissima Theodori, Theodoreti et Ibæ Capitula proscripta sunt: in VI damnati sunt libri Origenis; *a fortiori* propositiones ex illis libris extractæ sub pluribus notis respective damnari potuissent. Sic pariter concilium

Constantiense, sess. 8, 45, Wiclefi articulos *in globo* proscripsit ut erroneos, scandalosos, blasphemos, et sess. 15, eodem modo damnavit 35 propositiones Joannis Hus. Ergo — B) A multo tempore idem usus propositiones *in globo* condemnandi viget in Ecclesia non congregata ; eo modo Sixtus IV damnavit Petrum *de Osma*, Leo X Lutherum, Pius V, Gregorius XIII et Urbanus VIII Baiun, Innocentius XI mysticas et exitiosas Molinosi assertiones, Innocentius XII 23 propositiones ex lib. illust. *de Fénelon, Explication des maximes des saints*, excerptas, etc. Ergo.

3° *Ratione*. Ecclesia, ut patet, societas mediis perfectis instructa, potest uti modo judicandi qui magnæ est utilitatis, dum modo sit legitimus, atqui profligatio propositionum *in globo* legitimus est, cum minime excedat potestatem Ecclesiæ, neque imponat fidelibus pondus non tolerandum. — Aliunde iste modus propositiones veræ doctrinæ oppositas damnandi sæpe maximæ est utilitatis; est enim promptior et expeditior, multo minus præbet locum cavillationibus hæreticorum. Unde *Bossuet, Second écrit sur le livre de Fénelon*, n. 2.: «Les condamnations » générales sont utilement pratiquées dans l'Eglise, pour » donner comme un premier coup aux erreurs naissantes, » et souvent même le dernier, suivant l'exigence du cas » et le degré d'obstination qu'on trouve dans les esprits.» Ergo legitime condemnari possunt propositiones *in globo*. Imo infallibiliter condemnari posset liber velut continens propositiones respective falsas, erroneas, scandalosas, etc., ad hanc enim conclusionem evidenter ducunt rationes a nobis allatæ, et sic damnata sunt *tria capitula*.

Solvuntur objectiones.

Obj. Illa judicandi forma admitti non potest in Ecclesia quæ nihil certum et determinatum proponit credendum : atqui talis est condemnatio propositionum *in globo* ; ergo.

R. Nego min. Dici enim non potest nihil certum et de-

terminatum nobis proponi credendum, si constet propositiones sic damnatas saltem sub aliquo respectu esse malas: atqui tunc constat omnes illas propositiones saltem sub alioquo respectu esse malas; posito quod legitima sit condemnatio, eo ipso constat nullam ex his propositionibus esse cui saltem una ex notis in genere assignatis non conveniat: ergo. Rem exemplo sic illustrat *de la Hogue:* « Supponatur, *inquit*, de permultis cibis alicui appositis, » sex peritissimos medicos generatim declarare ex eis » unum esse capiti noxium, alios stomacho vel visceribus, » quosdam veneno infectos, et cæteros prorsus insalubres: » profecto qui et sanitati et suæ vitæ providere vellet vir » sapiens, non obtenderet vagam nimis esse illam medi» corum assertionem quam ut ei indulgere debeat. » Ergo *a pari* obtendere non debent fideles nimis vagam esse condemnationem propositionum *in globo*, ut eas rejicere teneantur.

Inst. 1°. Quando propositiones damnatur *in globo*, plurimæ ex illis notam hæresis non merentur: ergo adhuc propugnari possunt.

R. Dist. consequens. Adhuc propugnari possunt, id est, qui eas seorsim sumptas propugnaret non esset formaliter hæreticus, *conc.;* non esset erga Ecclesiam rebellis, *nego conseq.* Etenim qui, post hujusmodi condemnationem, propositiones se jungeret, contenderetque notam hæresis his aut illis non applicari, et eas propugnaret, non esset formaliter hæreticus, nam fidei catholicæ stricte sumptæ non adversaretur: sed ipsius conditio non ideo melior esset, rebellis enim erga Ecclesiam et reus peccati mortalis fieret. Si autem propositiones damnatas *in globo* generatim defenderet, formaliter hæreticus foret, ex hypothesi quod nota hæreseos assignata esset sine alia determinatione, quia una saltem ex iis esset hæretica, et sic contra fidem catholicam tunc directe pugnaret: ergo, etc.

3° *Ad defensionem fidei pertinet prohibitio perversorum librorum.* Prout custos est sacræ doctrinæ, ejusdem defensor, et plebis christianæ institutor, magisterium Ec-

clesiæ primum potest infallibiliter judicare de perversitate librorum, et eorum lectionem et retentionem prohibere, quod ut melius attendatur brevis sit sequens

PROPOSITIO.

Ecclesia, vi sui magisterii, potest judicare et prohibere libros perniciosos.

Hæc propositio probatur Scriptura sacra, praxi Ecclesiæ et ratione theologica.

1° *Scriptura sacra.* Hic citari possunt omnia Scripturæ sacræ testimonia quibus adstruitur potestas infallibiliter docendi in Ecclesia constituta. Unde sic argumentari potest: Ex his textibus, Ecclesia officium habet docendi ubique doctrinam Christi, atqui non potest hanc doctrinam docere quin et doctrinas oppositas judicet, nam affirmatio unius est negatio alterius; item munus suum docendi implere nequit, quin etiam possit prohibere omnia pericula quibus fides plebis Christianæ naufragaretur. Ergo.

2° *Ex praxi Ecclesiæ.* Ad Ecclesiam jure dicimus pertinere eam potestatem quam semper sibi vindicavit et exercuit, porro semper Ecclesia sibi jus vindicavit et exercuit libros perniciosos judicandi et prohibendi. In memoriam revocentur in præcedenti propositione libri citati: Thalia, opus Arii, in concilio Nicæno damnata, Tria famosissima *Capitula* in concilio generali V proscripta, opera Origenis in VI; ac sæpissime ab institutione Indicis Congregationis quoties hoc jus exerceatur omnes norunt. Ergo.

3° *Ratione.* Ecclesia ea pollere debet auctoritate quæ necessaria est ad finem suum assequendum; atqui potestas damnandi et prohibendi libros perniciosos necessaria est ut Ecclesiam finem suum assequatur. Ad Ecclesiam enim pertinet servare fidem inviolatam, eam docere ac protegere, porro impossibile esset servare fidem et eam protegere, si libri, in quibus multis modis offenditur, sine prohibitione apud populum Christianum reciperentur; aliunde, jus docendi importat jus et obligationem utendi mediis

ad hoc aptissimis ; medium vero aptissimum est cohibere fideles a lectione librorum quibus potantur erroris fel et venenum, ergo...

ARTICULUS SECUNDUS.

DE ECCLESIÆ IMPERIO.

Nulla societas vigere potest nisi in ea consistat potestas publica qua regitur et gubernatur. Cum enim in diversa semper agantur hominum studia, nec unitas finis nec unitas mediorum obtineretur, si quædam potestas suprema, quasi uno vinculo, omnes cives coadunaret, et eorum vires eisdem viis ad eum finem dirigeret. — Quod de societate humana prædicatur, de Ecclesia item affirmandum est, nam Christus voluit eam existere sub forma societatis externæ et visibilis. Hæc potestas regendi ab aliis vocatur jurisdictio, ab aliis potestas imperii, seu simpliciter *Imperium*, quam vocem in hoc tractatu usurpamus. Imperium vero, si sedulo attendatur, triplici munere fungens apparet : vel leges condit quibus obstringuntur cives ; vel mediis aptis totam societatem regit et administrat ; vel per judicium et pœnas leges adimplendas premit et dyscolos castigat ; inde distinguitur potestas legislativa, potestas administratoria et potestas coercitiva ; de his et illis in triplici paragrapho dicetur.

§ I. De potestate legislativa in Ecclesia.

I. ECCLESIÆ INEST POTESTAS LEGISLATIVA. — Post Valdenses, Wiclefum et Joannem Hus, Lutherus Calvinusque et eorum asseclæ negaverunt Ecclesiam accepisse a Christo potestatem condendi leges quibus obstringitur subditorum conscientia. Eo falso principio nitebantur quod post prædicationem Christi fideles perfecta libertate gaudere debeant, nec a quacumque lege sive ecclesiastica sive temporali obligari. Quidam juristæ, nostris temporibus, item docuerunt Ecclesiam, ex sua natura, non habere potestatem

legislativam, cum legum suarum executionem premere non possit. *Exposition des principes du droit canonique, par le card. Gousset.* 2ᵉ *quest.* Contra quos sit sequens

PROPOSITIO.

Ecclesia potestatem habet ferendi leges.

Probatur hæc propositio Scriptura sacra, Traditione et Ratione.

1° *Scriptura sacra* simul eruitur hujus potestatis legislativæ collatio et usus. — A) *Sicut misit me pater et ego mitto vos*, Joan. xx, 21. — *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo, etc...* Matth. xxvii, 28. Sic argumentari datur : Missus est Christus a Patre non solum ut doctor sed etiam ut legislator et gubernator, juxta illud Ps. ii : *Dabo tibi gentes hæreditatam tuam;* atqui apostoli gaudent ea potestate qua Christus fuit præditus, et hanc potestatem suis successoribus commiserunt ne regnum Christi ruat; ergo in Ecclesia adest potestas legislativa. — Christus Apostolis tradidit potestatem ligandi atque solvendi, quod apud Judæos idem sonat ac potestatem regendi et gubernandi; atqui impossibile est gubernare et regere vel minimum regnum si desit potestas legislativa; ergo hanc potestatem Christus tradidit Apostolis, et per Apostolos eam in societate Christiana constituit. — B) *Visum est Spiritu Sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc necessaria.* Art. xv, 28. — *Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* Act. xx, 28. — Ex his apprehende usum legislativæ potestatis.

2° *Traditione* scilicet *constanti praxi Ecclesiæ.* Ab exordio, Ecclesia condere leges non destitit, etenim in tribus primis suæ vitæ sæculis, circiter quinquaginta celebrata sunt concilia quorum leges et observantiæ propter conformitatem cum præscriptionibus Apostolorum dictæ sunt *Canones Apostolici.* Isti canones de omnibus quæ ad Ecclesiam pertinent statuunt. A concilio Nicæno quot leges

ortæ sint sive ex conciliis generalibus, sive ex Romanorum Pontificum auctoritate, sive ex consuetudine scitum est; atqui propter suam inerrantiam et sanctitatem Ecclesia non potuit sibi falsam et injuriosam vindicare potestatem, nec eam immerito exercere; ergo legitime hanc potestatem ferendi leges et usurpavit et exercuit.

3° *Ratione.* Ecclesia, uti jam sæpissime diximus est societas perfecta, ad finem supernaturalem tendens, et mediis ad hoc aptissimis instructa; atqui nec esset societas perfecta, nec ad finem suum tenderet, nec etiam una hora vivere posset nisi ei inesset facultas legislativa qua omnes fideles, veluti sanctæ reipublicæ cives, in uno corpore coadunantur, qua reprimuntur abusus, bonum procuratur, juxta locorum, temporum et circumstantiarum diversas necessitates.

II. De objecto seu de materia quæ legislativæ potestati Ecclesiæ subjicitur. — 1° Vi suæ potestatis legislativæ, Ecclesia præscribere vel prohibere potest actus internos et actus externos. — A) Primum quidem, lex ecclesiastica actus internos animi potest attingere, nam finis ultimus istius est spiritualis, scilicet informatio divinæ justitiæ in mentibus nostris; atqui hæc informatio ex actibus internis pendet; ergo Ecclesia, ad hunc finem spectans, aptos actus præscribere valet. — Insuper, Ecclesia aditum habet in interiores animos, per fidem quam proponit, per gratiam quam distribuit; et in eo differt a societate politica quæ hominem exteriorem solummodo apprehendit; ergo nihil impedit quin præscribere possit actus internos eliciendos ab istis mentibus quas jam plenarie possidet. — B) Item, ad actus externos profertur Ecclesiæ potestas legifera. Etenim Ecclesia, uti jam vidimus, est societas externa et visibilis; atqui non potest esse externa et visibilis, quin et actibus externis et visibilibus consummetur unitas, informetur corpus communitatis, et hoc vinculo externo omnes coadunet; ergo Ecclesia præscribere vel prohibere valet actus externos. — Non solum quoad unam partem scilicet quoad animam, homines pertinent ad Deum, sed quoad duplicem naturam, corpus et

animam, e quibus coalescunt : siquidem corpus et animam redemit Christus, corpus et animam sanctificat, corpus et animam glorificabit; ideo corpus et animam Ecclesiæ subjecit; ergo Ecclesia animæ et corporis actus exigere potest, id est actus internos et externos. — Tandem, ex institutione Christi, multa divina in interiorem animam non agunt nisi ex operibus externis; sic gratiæ sacramentales, et actus religionis per opera exteriora eliciuntur vel aguntur; unde dixit S. Augustinus, 19, contra Faustum, c. 11 : « In nullum nomen religionis coagulari homines possunt, » nisi aliquo signorum vel sacramentorum consortio colli» gentur. » Ergo Ecclesia legislativa sua potestate uti potest ac sæpe debet circa hujusmodi externa opera, ac proinde actus externos prescribere.

2° Ad res spirituales et temporales sese extendit potestas legislativa Ecclesiæ eo sensu quem nunc exponere juvat. — A) Procul dubio, Ecclesia non valet, vi suæ legislativæ potestatis, subvertere ea quæ Christus ipse instituit; v. g., generalem constitutionem suam essentialiter mutare, sacramenta delere, tollere hierarchiam. Hæc vera hypothesis omnino absona est, stantibus Christi promissis de inerrantia Ecclesiæ, ejusque usque ad consummationem sæculorum perseverantia. At, intra hos limites a Christo statutos, circa spiritualia absoluta et universa potestate gaudet Ecclesia; ita ut, ad bonum spirituale communitatis Christianæ, nihil sit quod instituere, abolere, mutare non queat; et nullus ab ea jurisdictione alienus est sive sit civis infimus, sive supremus imperator.

— B) Eadem legislativa potestas versatur circa temporalia. At primum circa ea quæ ex se mixta sunt, scilicet ad spirituale et temporale spectantia; si de iis objectis inter potestatem civilem et ecclesiasticam intersit quidam concentus, Ecclesia hujus fœderis pacta conventa sequitur, positis quidem ponendis; si vero absit quivis concordatus, hanc materiam mixtam juxta sua placita regit; et bono spirituali suorum subditorum et saluti providet.

Si autem agatur de mere temporalibus, quæ tamen indirecte spectant ad bonum vel malum spirituale societatis

christianæ, circa ea Ecclesia potest aliquid jubere aut prohibere. Hanc jurisdictionem sumit non ex eo quod natura sua in temporalia agat, sed ex eo quod salus populi christiani ipsi commissa conferat ei jus in quodlibet, ne ista salus jam impossibilis fiat.

Circa temporalia quæ nec directe nec indirecte spiritualia respiciunt leges non condit Ecclesia; etenim de temporalibus non curat; ea extra ejus jurisdictionem reponuntur, et ad auctoritatem principis spectant. Unde, datur legitimum discrimen, et diversa jurisdictio inter duas potentias, uti dicunt; de quibus infra disserendi locus iterum patebit.

III. De auctoritate qua Ecclesia præscribit circa mores et disciplinam. — Hic non inquiritur an potestas Ecclesiæ legislativa circa mores et disciplinam sit legitima aut immerito usurpata. Supra enim probavimus hanc potestatem Ecclesiam jure a Christo accepisse; sed an in suis decretis circa mores et disciplinam errare possit quemadmodum aliquando errat potestas civilis, quæ tamen ut legitima habetur. De moribus et disciplina speciatim dicemus.

1° *De moribus.* Non petitur quænam morum decreta sint utilia vel utiliora; talis quæstio potius speculativa quam practica esset, et a prudentia, non vero a scientia penderet: nec quæstio est de præceptis ad privatos homines directis. Agitur itaque de moribus toti Ecclesiæ communibus et ad salutem necessariis.

PROPOSITIO.

Infallibilis est Ecclesia in decretis morum toti Ecclesiæ communium et ad salutem necessariorum.

Prob. Scriptura sacra, traditione et ratione.

1° *Scriptura sacra.* Matth. xxviii, 19 et 20: *Euntes ergo docete omnes gentes..... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Ecce ego vobiscum sum,* etc. Ex his verbis constat Christum suam promisisse assistentiam Ec-

clesiæ ipsius mandata docenti : at inter mandata Christi reputanda sunt præcepta morum ad salutem necessariorum.

B. Paulus, Eph. IV, 11 : *Dedit quosdam apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum...* Porro pastores et doctores non ducerent fideles ad consummationem sanctorum, sed potius eos a sanctitate alienarent, si in tradendis vel explicandis morum præceptis errarent. Ergo.

2° *Traditione,* quæ unanimiter admisit hoc S. Aug. effatum jam supra memoratum, p. 369 : « Quæ sunt contra » fidem vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec » facit (Ecclesia.) » Ergo.

3° *Ratione.* Ideo instituta est Ecclesia ut fideles ad salutem ducat : atqui hunc finem non attingeret, si in generalibus morum præceptis infallibilis non esset, si Christus in necessariis ipsi deesset aut deesse posset. Ergo.

Hinc 1° Ecclesia est infallibilis in interpretanda lege naturali ; ipsius enim præcepta sunt generalia et ad salutem necessaria.

Hinc 2° infallibilis est in regulis positivis a se traditis, ac legi naturali superadditis et ad mores spectantibus.

Hinc 3° infallibilis est in approbandis ordinibus religiosis, quatenus scilicet dicit hunc vel illum ordinem nihil habere in suis constitutionibus aut regulis fidei vel bonis moribus contrarium. Infallibiliter vero pronuntiare non posset talem religionis ordinem futurum esse utilem vel aptiorem ad propositum finem ; hoc enim a prudentia et variis circumstantiis personarum, locorum et temporum pendet. Idcirco abusus ex ordinibus religiosis provenientes, si qui sint, Ecclesiæ tribui non possunt.

2° *De Disciplina.* Per disciplinam intelliguntur leges vel instituta quæ externam Ecclesiæ gubernationem ordinant. Duplex distinguitur disciplina : una generalis, quæ ad totam spectat Ecclesiam ; et altera particularis, quæ unam Ecclesiam vel Ecclesias unius provinciæ aut regionis ordinat.

Quando quæritur an Ecclesia sit infallibilis circa disciplinam, sensus est utrum aliquid præcipere vel statuere possit quod juri divino aut naturali sit contrarium, vel quod, habita ratione circumstantiarum, saluti fidelium sit nocivum.

Ecclesia, ex prudentia et ad vitanda majora mala, silere potest circa quosdam errores in Ecclesiis particularibus grassantes, quia ipsi tribui non possunt.

De sola ergo disciplina generali hic nobis tractandum est.

PROPOSITIO.

Ecclesia errare non potest in statuenda disciplina generali.

Prob. Scriptura sacra, praxi Ecclesiæ et ratione.

1° *Scriptura sacra.* Act. xv, 28, Apostoli, Jerosolymis congregati, regulas disciplinæ generalis statuerunt, nempe ut fideles ab immolatis, sanguine et suffocato abstinerent: atqui tamen declararunt se in his statuendis speciali Spiritus sancti assistentia fuisse adjutos: *Visum est Spiritui sancto et nobis nihil ultra imponere vobis*, etc. Episcopi autem in disciplina generali statuenda Apostolis successerunt: ergo similiter Spiritus sancti auxilio adjuvantur, ac proinde infallibilitate donantur. Et vero, fideles tenentur obedire Ecclesiæ aliquid præcipienti; atqui repugnat illos ad id teneri quod juri divino esset contrarium vel saluti suæ nocivum: ergo.

2° *Praxi Ecclesiæ. Quartodecimani* habiti sunt tanquam hæretici post decretum concilii Nicæni quo statutum est Paschatis solemnitatem prima Dominica post 14 diem lunæ quæ sequitur æquinoctium celebrandam esse: si admitteretur Ecclesiam errare posse in statuenda generali disciplina, *Quartodecimani* tanquam hæretici haberi non debuissent. Ergo.

3° *Ratione.* Ecclesia infallibilis est circa doctrinam a Christo revelatam: atqui eo ipso infallibilis esse debet in statuenda generali disciplina; nam ubi aliquid faciendum præcipit, judicat illud juri divino non esse contra-

rium, nec saluti nocivum : porro si in hoc statuendo erraret, falso circa doctrinam Christi judicaret, in docendo erraret, sancta non esset, Christus ipsi deesset, portæ inferi adversus eam prævalerent : ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Ecclesia non est infallibilis nisi in revelatis : atqui non est revelatum hanc aut illam disciplinam esse servandam : ergo.

R. 1° *Nego maj.* Necesse est enim ut promissio Christi impleatur : atqui promissio Christi non impleretur si Ecclesia non esset infallibilis etiam in non revelatis ; instituta est enim ut nos ad salutem ducat : ergo infallibilis esse debet in his quæ nobis præcipit aut prohibet relative ad salutem. At sæpe quædam nobis præcipit aut prohibet quæ non sunt revelata ; sic præcipit celebrationem festorum, observationem jejuniorum, auditionem Missæ, etc.; prohibet Eucharistiam dare infantibus, carnes certis diebus manducare, etc. : hæc autem non sunt revelata, idcirco ad quem non pertinent : sed de fide est Ecclesiam in his præcipiendis aut prohibendis esse infallibilem : ergo.

R. 2° *Dist. maj.* Ecclesia non est infallibilis nisi in revelatis mediate aut immediate, *conc.;* nisi in immediate revelatis, *nego maj. Eodem sensu distincta minore, nego conseq.* Equidem admitti potest, absolute loquendo, quod Ecclesia non sit infallibilis nisi in eis quæ saltem mediate sunt revelata ; sed ubi aliquam instituit disciplinam, mediate revelatum est eam esse servandam ; nam revelatum est Ecclesiæ præcipienti obtemperandum esse et nihil juri divino contrarium aut saluti noxium esse faciendum. Ergo si Ecclesiæ aliquid juri divino contrarium vel saluti nocivum præscriberet, eo ipso in iis quæ revelata sunt erraret. Ergo.

Obj. 2° Sæpe mutatur disciplina : atqui id in quo Ecclesia est infallibilis debet esse immutabile : ergo.

R. Nego min. Ad hoc enim requireretur ut privilegium

infallibilitatis necessario importaret immutabilitatem in objecto : at, ubi de disciplina agitur, id affirmari non potest. Certum est quidem veritates fidei et principia morum mutari non posse : sub hoc respectu objectum infallibilitatis Ecclesiæ est immutabile. At nihil vetat ne Ecclesia statuta disciplinæ suæ mutet et nova prioribus substituat, prout magis expedire sibi videbitur, et non minus erit infallibilis in posterioribus quam in prioribus. Ergo.

Plurima sunt adhuc notanda circa generalem Ecclesiæ disciplinam.

1° Quidquid dicitur de disciplina positivo Ecclesiæ decreto statuta, simili ratione dicendum est de universali totius Ecclesiæ praxi cum aliquo dogmate proxime connexa v. g., de doxologia *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto*, de baptismate per solam infusionem collato, etc. Ecclesia enim non potest approbare errores contra fidem aut contra salutem proximi : at, in casibus hic expressis approbaret errores, si ipsius disciplina erronea esset. Ergo.

2° Quidam sunt usus in Ecclesia universa generatim recepti et etiam approbati, qui tamen ad fidem non pertinent, quia ut tales non exibentur : sic consuetudo celebrandi festum Assumptionis B. Mariæ non probat de fide esse sanctissimam illam virginem in corpore ad cœlos ascendisse, quia Ecclesia nondum hoc definivit.

3° Præsentem Ecclesiæ disciplinam improbare non licet, quamvis lugenda sit morum relaxatio quæ causa fuit cur antiqua et perfectior mutata fuerit disciplina ; hæc enim mutatio tribuenda est fidelibus, non vero Ecclesiæ, quæ suam disciplinam moribus, prout licuit, accommodavit.

§ II. — De Potestate administratoria Ecclesiæ.

In quavis societate recte comparata potestas suprema non satis habet condere leges; et hæc prærogativa, licet summa sit, inanis evaderet, si sola staret; etenim princeps curat

etiam ut istæ leges a se conditæ rite adimpleantur, ut ordo et tranquilitas serventur, ut celeriter expediantur negotia, ut procurentur commoda uniuscujusque civis. Ista relatio quasi quotidiana inter subjectum et principem fit per jus administratorium. Hoc officium administrationis obtinetur per ordinationes, decreta, quæ, præ materia, inter se differunt, et per ministros quorum etiam numerus, hierarchia et attributiones juxta regiones, populos et negotia discrepant.

Ecclesia quæ ex omnibus societatibus est perfectissima, non potest quin hoc munere administratorio fungi debeat. Aliunde, cum ad universum orbem extendatur; cum ad objecta maxime diversa respiciat; cum fere innumeri sint ipsius subjecti, ex iis patet omnino esse ipsi necessaria administrationis opera, et quidem esse quam multiplicia. Ideoque ad hæc implenda munera, decreta condi possunt, tribunalia erigi, oriri congregationes, quæ vices principis gerunt.

Si vero quæratur quænam sit hujus administratorii juris auctoritas, respondere expedit, hanc auctoritatem esse legitimam, et omnes subjectos ad reverentiam et obedientiam circa hujusmodi ministros et ordinationes obligari. Nemo non videt ultimo hanc obedientiam et reverentiam in supremam potestatem cadere, et in bonum societatis necessarium vertere. Attamen, exceptis quibusdam casibus quos infra memorabimus, non affirmamus ad jus administratorium Ecclesiæ pertinere infallibilitatem. Quodam afflatu divino in suo regimine fatemur dirigi Ecclesiam, quo ejus directiones et opera quam venerabilia fiunt, sed Christus voluit tamen eam more humano gubernari, et quidem per homines quorum non est nunquam errare; noluitque in omnibus istis hominibus qui administrationi Ecclesiæ curant inesse infallibilitatem, et minime passionibus humanis et naturæ defectibus eos esse alienos.

§ III. — De Potestate coactiva Ecclesiæ.

Potestas coactionis in eo sistit quod Ecclesia dyscolos ad impletionem legis per applicationem pœnæ premere possit. Hæc potestas implicat tum jus judicandi, ut culpa pateat, tum applicandi pœnam, probato scelere.

Plures ex veteribus hæreticis negarunt Ecclesiam uti posse coercitiva potestate, ut videre est apud Suarez, *de Fide*, disp. XX. Inter recentiores eumdem errorem innovaverunt Wiclefus et Joan. Hus, quod appertum est ex conc. Constant. Sess. VIII et XV; et etiam Lutherus qui istorum in multis vestigia premit. In eumdem errorem plus minusve impengebant Jeanseniani, ita ut S. Pontifex Pius VI, illum profligaverit in Bulla *Auctorem fidei*, speciatim adversus eos directa. Contra hos et illos sit sequens

PROPOSITIO.

In Ecclesia constituitur potestas coercitiva.

Hæc propositio est de fide, ut pote definita in concilio Constantiensi, et in bulla Leonis X adversus Lutheri errores, probatur insuper Scriptura Sacra, Traditione et ratione.

1° *Scriptura Sacra.* Collatio hujus potestatis ex his textibus probari potest: Christus dixit Petro, veluti capiti Ecclesiæ : *Tibi dabo claves regni cælorum, et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis.* Matt. XVI, 19; et postea omnibus Apostolis : *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis quæcumque alligaveritis super terram erunt ligata et in cœlo.* Unde sic argumentari licet : His verbis : *Quæcumque alligaveritis* etc... Christus supremam et universalem potestatem commisit Apostolis, ita ut ipsorum sententia a Deo tanquam sua sit habenda; atqui supremæ potesta-

tis pars est summi momenti judicare et pœnis plectere delinquentes, ergo et hanc potestatem acceperunt Apostoli, ut eam Ecclesiæ committant. — Iterum : Facultas excommunicandi apud Synagogam summum erat exercitium correctivæ potestatis ; atqui Christus eamdem facultatem tradidit Apostolis : *Sit tibi sicut ethnicus et publicanus :* Ethnici etenim et publicani extra Judæorum communionem siti erant, ergo tradidit Christus Apostolis potestatis coercitivæ summum exercitium, ex qua alia fluunt... ergo.

Usus potestatis coercitivæ item in Scripturis narratur : B. Paulus de incesto Corinthiano sic se habet : *Ego quidem absens corpore præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum qui sic operatus est... tradere hujusmodi Satanæ, in interitum carnis, ut spiritus salvus sit,* I Corinth v, 3, 5 ; — et etiam : *Ex quibus* (qui circa fidem erraverunt) *est Hymenæus et Alexander, quos tradidi Satanæ, ut dicant non blasphemare* I Timoth. I, 20. Unde : Tradere Satanæ, id est excommunicare, cum ad Satanam pertineat quidquid extra communionem sanctorum situm est, potestatem coactivam in summo gradu est exercere ; atqui B. Paulus, ut patet pluries dyscolos aut peccatores excommunicavit, ergo...

2° *Traditione* — A) *Equidem constanti praxi Ecclesiæ.* A temporibus Apostolicis usque ad nos semper viguit usus ferendi censuras. Summi pontifices, episcopique, sive separati, sive in conciliis generalibus particularibusve adunati hac potestate coercitiva usi sunt. Hæretici ab eis excommunicantur, mittuntur in exilium ; sacerdotes et episcopi, si quodam scelere notati, deponuntur a sede sua, etc... Perlegenti ecclesiasticam historiam patebit quam frequentissima fuisse hujusmodi judicia.

—B) *Testimoniis SS. Patrum.* Tertullianus sic se habet. « Ibidem etiam (in Ecclesia) exhortationes et cen» sura divina ; nam..... summum futuri judicii præju» dicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione » orationis et conventus, et omnis sancti commercii relege» tur. » Ibi videmus in hac interioris Ecclesiæ descriptione

usum excommunicationis et aliarum castigationum, quas Tertullianus sane ut legitimas habet.

S. Augustinus, lib. de Fid. et Op. cap. 26 : « Nisi essent » quædam ita gravia ut etiam excommunicatione plec- » tenda sint, non diceret Apostolus Congregatis vobis et » meo spiritu tradere hujusmodi Satanæ. »

3° *Ratione.* Ecclesia est societas perfecta, uti vidimus, omnibus mediis ad suum finem consequendum instructa, ac præsertim facultate gaudens ferendi leges ; atqui omnis societas potestate coercitiva prædita est, sine qua existere non posset; item potestas legislativa coercitivam supponit, nam nulla lex sine sanctione consistit. Ergo et Ecclesia.

II. De natura pœnarum quas Ecclesia vi suæ potestatis coercitivæ infligere potest. — Duplicis generis sunt pœnæ quas Ecclesia irrogare potest, spirituales scilicet et temporales. Pœnæ spirituales speciatim et directe in animam cadunt, eamque per privationem bonorum spiritualium vel supernaturalium affligunt; temporales vero in corpus directe irrogantur, vel adeptionem bonorum temporalium, v. g. libertatis, beneficii, etc.... respiciunt. Ecclesiam penes est tum spirituales tum temporales pœnas decernere.

1° Ecclesiæ est decernere pœnas spirituales ; id enim effluit ex ejus propria natura et constitutione. Cum sit societas spiritualis, ad spiritualem finem instituta et quasi in depositorio gratias supernaturales a Christo acceptas asservet; ex eorum bonorum participatione amovere potest quos castigare proponit. Has spirituales pœnas Christus intendebat his verbis : *Sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Matth. xviii, 17. Et hujus generis sententiam dicebat B. Paulus, cum incestum Corinthianum extra Ecclesiam ejiceret. — Tandem, neminem fugit millies milleque modis jam ab exordio usque ad nos spirituales pœnas Ecclesiam irrogasse. De his qui plura desiderat ad tract. *de Censuris* adeat.

2° Item ad Ecclesiam pertinet, cum expedire id judicat, pœnas temporales a dyscolis repetere. Cujusvis

enim societatis potestas coercitiva, ne inefficax et insufficiens evadat, eas omnes pœnas decernere potest quibus aptissime reprimuntur legis infractiones, bonusque ordo comparatur. Atqui aptissimæ sunt ad hunc finem pœnæ temporales, et sæpe magis idoneæ quam spirituales; etenim Ecclesia, societas visibilis et externa quandoque nonnisi per hanc viam in suos subjectos agere valet, quos indifferentes vel inefficaciter castigatos afficerent pœnæ spirituales. Quod B. Augustinus notavit in sua ad Bonifacium Epist. 185 : « Multi tanquam mali servi et quodam» modo improbi fugitivi, ad dominum suum temporalium » flagellorum verbere revocantur. »

Concilia in primæva Ecclesia habita multos tulerunt canones quorum non alia nisi temporalis datur sanctio. Summorum pontificum et episcoporum epistolæ declarant hunc modum castigandi ab eo tempore usitatum esse. Sint in exemplum : Concilium Romanum, sub Symmacho celebratum, anno 503, expresse declarat, juxta Patrum sententias ad exilium et ad privationem omnium bonorum temporalium eos esse damnandos qui statuta synodi infringere conarentur. — Concilium Narbonnense sub rege Reccaredo habitum, concilium Agatheuse et Matisconense primum loquuntur de flagellorum supplicio pro quibusdam dilectis ecclesiasticis adhibendo. — Liber quintus Decretalium, Sextus, et Clementinæ enumerant quam plurimas pœnas temporales et corporales quæ adversus dyscolos possunt decerni. De istis perlegantur tituli *de Hæreticis, de pœnis, de pœnitentiis, de remissionibus.* — Tandem sacrosancta synodus Tridentina hanc potestatem in Ecclesia recognoscit, ac in primis, cap. III, sess. 25, de Reform.

ARTICULUS TERTIUS.

DE ECCLESIASTICO SACERDOTIO.

I. Quid sacerdotium. — Non ideo tantum Christus instituit Ecclesiam, ut omnes corde et ore unam profiterentur

doctrinam, unamque efficerent societatem sub regimine pastorum, sed etiam sibi proposuit ex ea efformandam esse perfectissimam religionem qua Deus digne coleretur, hominesque sanctificati, cum Deo mirabile inirent commercium. Ea mente, diversa invenit sacramenta quibus in homines infunditur divina gratia, ita ut merito dixerit S. Irenæus in Ecclesia esse dispositam communicationem Christi. Lib. III, hær. cap. 24. Sed, quemadmodum voluit veritatem revelatam esse tradendam per magisterii officium, bona communitatis christianæ per viam imperii, ita cultus publici administrationem et mysteriorum dispensationem non omnibus commisit, ne mox divina instituta perirent, sed quibusdam ministris, quos inter populum Deumque mediatores pro sacris instituit. Inde natum est sacerdotium. Sacerdotium itaque nihil aliud est nisi ministerium quo fideles in Ecclesia sanctificantur.

Hoc sacerdotium ad quosdam ministros pertinere negarunt, et illudque omnes fideles penes esse primum docuerunt Marcionitæ, « nam et laicis sacerdotalia munia » injungunt, » ait Tertullianus, Presc. XLI. Wiclefistæ Hussitæque, totius constitutionis ecclesiasticæ hostes infensissimi, rationem sacerdotii everterunt, cum exigerent sanctitatem interiorem ut validi sint actus sacerdotum : hac sanctitate penitus latente, inde incertum et vanum fit eorum ministerium. Sed præsertim Lutherus, ejusque rebellionis sectatores permulti, juris sacerdotii munus pervertunt, ad omnes christianos illud extendentes. « Sunt omnes christiani sacerdotes, et omnes sacerdotes » sunt christiani. » De instit. minist. ad Boem. II, apud *Klee*, tom. II, cap. VI, n. 3. Ex Protestantibus plurimi quidem corpus Pastorum agnoscunt; sed eorum institutionem non quidem a Christo sed ab hominibus ortam esse existimant; et ideo nullam esse differentiam instituto divino inter plebem Christianam et pastores. Dum alii, inter quos Quaqueros indicare fas est, nullum admittunt sacerdotium quod non sit omnibus commune; unde quivis, aut vir aut mulier, si spiritu interiori exagitetur, ministerio sacerdolati fungi valet.

II. Asseritur et comprobatur de sacerdotio Ecclesiastico dogma Catholicum. — Juxta Catholicum dogma a Christo institutum fuit ministerium authenticum seu Sacerdotium, quibusdam ministris commissum, et in Ecclesia perseverandum, quo cultus publicus administratur, fideles sanctificantur, et ad Deum Christumve mediationem accipiunt. Hinc ex consilio divino datur discrimen inter plebem Christianam et istos ministros quos ab antiquo clerum seu clericos dicunt (Tert. in præscript. x, et in Constitutionib. Eccl. frequentissime). Quod ut melius intelligatur et comprobetur instituenda est sequens

PROPOSITIO.

Christus instituit sacerdotium quibusdam ministris commissum et in Ecclesia perseverandum.

Hæc propositio est de fide, utpote definita oraculo sacrosanctæ Synodi Tridentinæ: « Si quis dixerit non esse » in novo Testamento sacerdotium visibile et externum, » vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi » corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et » retinendi, sed officium tantum et nudum ministerium » prædicandi evangelium, vel eos qui non prædicant » prorsus non esse sacerdotes; anathema sit. »

Probatur insuper Scriptura sacra, Traditione et Ratione. Ac 1° *Scriptura sacra.* — A) *Institutio sacerdotii* primum ex sacra Scriptura eruitur. *Docete omnes gentes, baptizantes eas...* Matth. xxviii, 19. — Postquam Christus corpus et sanguinem consecraverit in ultima cœna, addidit: *Hæc facite in meam commemorationem.* Luc. xxii, 19. — *Sicut misit me pater et ego mitto vos. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, quorum retinueritis retenta sunt.* Joan. xx. Unde sic argumentari datur; ut ex his textibus comprobetur nostra propositio tria requiruntur et sufficiunt; primum ut his verbis a Domino instituatur officium sacerdotale; dein, ut quibusdam ministris committatur adimplendum; tandem ut hoc officium instituatur in Ecclesia

permanendum; atqui hæc tria certa sunt; etenim — a) verbis supra citatis a Domino instituitur officium sacerdotale; officium sacerdotis in sacrificiis conficiendis consistit, in mediationis operibus quibus interest inter Deum placandum peccatoresque reconciliandos; porro hic sacrificium committitur, id est sacrificium corporis et sanguinis Domini, quod unum et idem est ac sacrificium cruentatum crucis; mediationem comparat inter Deum et plebem christianam, et ope hujus mediationis placatur Deus, homines veniam et gratias divinas accipiunt, id est per baptismum, pœnitentiam, et alia sacramenta. — b) Hoc ministerium non omnibus fidelibus commisit, sed solis apostolis quibus dixit: *Docete... Hoc facite... Quorum remiseritis peccata.* — c) Hoc ministerium in Ecclesia est perdurandum; nam quidquid Christus commisit apostolis in gratiam totius Ecclesiæ semper est permanendum; porro hoc sacerdotium in gratiam Ecclesiæ constituitur, siquidem semper fideles ad Deum mediatione egebunt, semper erunt reconciliandi, semper per divinæ Eucharistiæ sacrificium, aliasve sacramentales gratias sanctificandi. — Ergo Christus verum et proprium instituit in Ecclesia sacerdotium.

— B) *Usus sacerdotii* ex sequentibus S. Scripturæ testimoniis patebit: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* I Cor. IV, 1. *Pro Christo legatione fungimur... Omnia ex Deo qui nos reconciliavit sibi per Christum et dedit nobis ministerium reconciliationis.* II Cor. V, 18. Unde accipimus in actu et in usu rerum Apostolos veluti ministros seu pontifices sacerdotali munere adimplevisse, et ex hoc privilegio a laicis fuisse distinctos. Aliunde novimus, nemine diffitente, eosdem Apostolos sæpissime per domos fidelium sacra peregisse, et apud diversas urbes ministros ecclesiasticos constituisse, ut legitur de B. Paulo, de S. Timotheo et de S. Tito.

— C) *Transmissio sacerdotii* etiam in Scripturis pluries apprehenditur, quæ quidem fit non per carnalem generationem, sicuti in sacerdotio levitico Hæbræorum, sed per electionem et per infusionem Spiritus sancti. Ritu enim

externo, scilicet impositione manuum, consecratos videmus Diaconos, Act. VI, 6. Item, Antiochiis, Saulus et Barnabas simili ritu in Apostolos assumuntur: *Tunc jejunantes et orantes, imponentesque eis manus dimiserunt illos.* Act. Ap. XIII, 2. — Iidem Saulus et Barnabas, vice sua ad obeundas sacerdotum functiones presbyteros creabant: *Quum constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros.* Act. XIV, 22. — Titus et Timotheus, a Paulo in episcopatum electi docentur ut et ipsi alios eligant; hujus sublimis status enarrantur virtutes, injungiturque ne cito cuipiam imponerentur manus. I Tim. V, 22. — Ergo.

2° *Traditione,* scilicet — A) *Constantissimo Ecclesiæ usu et praxi*, quæ tenuit sacerdotes et sacerdotium, quod ab institutione dominica acceptum existimabat, Spiritu Sancto vivificatum venerabatur, et supra conditionem fidelium, usque ad angelicam sortem extollebat. Ita persuasum habebat primæva Ecclesia sacerdotes supra populum christianum erectos esse, et ad munera sacerdotalia impares esse laicos, ut, sævientibus tyrannorum persecutionibus, cum deficerent et sacerdotes et sacrificia, nunquam passa sit laicos sacra peragere.

— B) *Ex testimoniis S. Patrum* de sacerdotio multos conficere libros haud esset difficile. Antiquiores sacræ hierarchiæ jura et ordines tuentur extolluntve, uti videre est apud S. Ignatium M. epist. ad Trall. et Smyr. de quâ mox infra; S. Dionysius Areopagita opus speciale et præstantissimum scripsit de ista Ecclesiastica hierarchia quam angelicis ordinibus æquiparat; neminem præterit item librum aureum de sacerdotio confecisse S. Joannem Chrysostomum. Item jam præclara de eodem sacerdotio habuerat S. Cyprianus; Tertullianusque inter multa redarguit hæreticos ex eo quod ordinem sacerdotalem subverterent, muneraque sacra promiscue omnibus communicarent. « Nusquam facilius, ait, proficitur quam in » castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promereri est; » itaque alius hodie episcopus, cras alius; hodie diaco- » nus, qui cras lector: hodie presbyter qui cras laicus;

« nam et laicis sacerdotalia munera injungunt.» De Præscript. c. 41.

3° *Ratione theologica.* — A) *Ex usu universo naturæ humanæ insito.* Apud omnes societates, ab ipsa mundi creatione, et ipso naturæ ductu, aliqui semper a reliqua plebe selecti fuerunt qui sacerdotii functiones obirent. Ethnici populi, a vero divinoque cultu alieni, prudenter tamen existimavere, ut, cum omnia Deo deberent, nec unicuique, præ suis negotiis et sua indignitate, sedulo sacris muneribus vacare liceret, aliquos destinarent sanctificatos, qui religionis officiis ex sui status obligatione incumberent. — Atqui hic sensus procedit ex natura rerum, ex reverentia erga Deum habenda, ex idea totius religionis, ergo verisimile est Christum ipsum instituisse sacerdotium, cum verissimam sanctissimamque religionem iniret.

— B) *Ex translatione sacerdotii Aaronici.* Lex antiqua et vetus Testamentum umbram et figuram legis novæ, Ecclesiæ scilicet, gerebant; atqui in antiqua lege sacrificia multa erant instituta, et ad ea implenda sacerdotium in tribu Levi et in familia Aaron constitutum; ergo et in nova lege hoc sacerdotium adumbratile erat perficiendum; et de facto veteris sacerdotii Aaronici in sacerdotium secundum ordinem Melchisedech translationem esse factam pluries commendavit B. Paulus, ac præsertim in Epist. ad Hebr. v. g. *Translato sacerdotio necesse est ut et legis translatio fiat.* VII, 12, et iterum: Qui *melius sortiti sunt ministerium, quanto meliores Testamenti mediatores, a Deo constituti sunt quod in melioribus repromissionibus sancitum est,* Heb. VIII, 6. — Ergo Christus instituit sacerdotium externum et visibile, quibusdam commissum et in Ecclesia perseverandum.

Objicitur. Passim in Scripturis et Patribus affirmatur munus sacerdotale omnibus christianis esse commune; sic B. Petrus I Epist. II, 5, christianos vocat *Sacerdotium sanctum,* ad eos dicit infra pertinere *regale sacerdotium;* Joannes item: Christus dum *lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, et fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri*

suo. Apoc. I, 5, 6. — S. Hieronymus, Dial. adv. Lucif. n. 4, memorat sacerdotium laici; et Tertullianuus affirmat laicos et esse sacerdotes, de exhort. Cast. — Ergo nullum est in Ecclesia sacerdotium apud quosdam constitutum.

Resp. Dist. Ant. — Scripturæ et Patres loquuntur de quodam sacerdotio interno, mystico et improprie dicto, *concedo*, de vero et reali *nego*. Datur enim quoddam sacerdotium internum, quo quis in sua conscientia et intimo corde veluti in templo et in altari Deo consecrat *hostias laudis*, immolat sua desideria, offert suum esse: *talibus enim hostiis promeretur Deus*. Heb. XIII, 16. At hoc sacerdotium nonnisi lato sensu vero et reali æquiparare intendunt Scripturæ et Patres, ut ex supra citatis apparet; et jam liquidum est ex eo quod in christianis ibidem cum sacerdotio regnum constituant; evidenter nonnisi mystice juxta Scrip. et Patres reges sunt christiani; et non alio modo reges sunt ac sacerdotes. Si vero Tertullianus aliquid nimium dixerit, ne miraris, quod pravam causam pravo argumento tueri sit conatus; nam loco citato probare nititur secundas nuptias non licere; quod eruere nititur ex sacerdotali dignitate omnibus christianis communi.

CAPUT SECUNDUM.

DE IIS IN QUIBUS RESIDET POTESTAS IN ECCLESIA CONSTITUTA.

In capite præcedenti, de potestate ecclesiastica quasi speculative disseruimus, quatenus scilicet in societate christiana a Christo Domino fuit constituta; sed practice et in agendi ratione illa auctoritas separari nequit a ministris qui eam exercent. In præsenti igitur tractandum habemus de iis in quibus residet potestas ecclesiastica;

itaque in primo articulo dicemus de iis qui nullatenus potestatis ecclesiasticæ sunt participes; in secundo, de iis in quibus Christus auctoritatem constituit, seu de sacra Hierarchia; in tertio, de Romano pontifice, quatenus in Ecclesiam universa potestate gaudet; in quarto tandem, de episcopis, in quantum regiminis universæ Ecclesiæ sunt participes.

ARTICULUS PRIMUS.

DE IIS QUIBUS NULLATENUS COMPETIT AUCTORITAS ECCLESIASTICA.

Diverso modo, et variis temporibus, alii plebem christianam, alii principes sæculares exhibuerunt veluti auctoritatis ecclesiasticæ ministros aut saltem participes. His aut illis vero nullatenus competit auctoritas a Christo in Ecclesia constituta, quod ex dicendis per partes evidenter patebit.

§ I. — Quod plebi christianæ nullatenus competat ecclesiastica auctoritas.

I. DE DUOBUS SYSTEMATIBUS QUÆ IMMERITO PLEBI CHRISTIANÆ AUCTORITATEM ECCLESIASTICAM ATTRIBUUNT. — 1° Primum systema eorum est qui, quolibet avulso inter clerum et populum discrimine, acerrime propugnant omnes christianos, sive viros, sive mulieres esse participes et ministros divinæ potestatis a Christo institutæ, si aliquam potestatem admittere fas est. Itaque juxta eos, constitutio et distributio potestatis per ordines et gradus, opus est tyrannicum, partum astutia et ambitione, ab omnibusque procul rejiciendum. Inter eos, pluribus prætermissis, citare licet, in medio ævo, Albigenses et Waldenses, qui subvertentes Ecclesiæ rationem, ab ea potestatem tollebant, quam in societate politica agnoscere recusabant.—Postea, Albigensium deliramenta renovaverunt Wiclefus et Joannes Hus, quos damnatos habuit Constantiense concilium. — Hos antesignanos et præcursores

habere gaudent XVI sæculi Novatores, qui, unanimi voce rejecerunt divinam originem ecclesiasticæ autoritatis; ex eis alii quosdam ministros retinuerunt, sed auctoritate humana solum præditos; alii nullos ferre consentiunt, ita ut apud eos quilibet, dum spiritus interioris motu sit afflatus, ad docendum vel ad sacra conficienda admittatur. Sic agere solent Anabaptistæ, Quakeri, et aliæ sectæ fanaticæ.

2° Aliud systema, practice forsan minus subversivum, sed eadem pravitate laborans, potestatem, qualiter in Ecclesia a diversis sacræ hierarchiæ gradibus exercetur, veluti legitimam et non usurpatam habet; sed suam auctoritatem ministri sacri non a Christo directe tenent sed ab Ecclesia accipiunt, quod eo modo intelligunt et explanant: Christus totam jurisdictionem corpori universo Ecclesiæ commisit; vice sua, Ecclesia hanc jurisdictionem delegat aliquibus nomine suo exercendam. Hinc Romanus Pontifex, episcopi et alii nihil aliud sunt nisi ministri communitatis christianæ *ad executionem* deputati; hinc supremo plebis principatu nititur constitutio Ecclesiæ et plane sese democraticam prodit.

Hoc perversum de constitutione ecclesiastica figmentum, a Protestantibus et præsertim Calvinistis acceptum, evulgavit M. Ant. de Dominis in opere cui titulus: *De Republica Christiana.* (Londini 1617 1620.) Paulo antea, jam Edm. Richerius, theologicæ facultatis Syndichus, idem docuerat in opere suo: *De potestate ecclesiastica et politica;* sed, principe sæculari et omnibus Sorbonicis doctoribus eum acriter impugnantibus, suam doctrinam revocavit Richerius; eam tamen retinuere Jansenistæ ac præsertim P. Quesnel, ut videre ex propositionibus *in bulla Unigenitus* condemnatis.— Versus medium XVIII sæculi prodiit *Justini Febronii de præsenti statu Ecclesiæ Liber singularis,* qui in Ecclesia ac præsertim in Germania sermone omnium celebratus fuit. Joan. Nic. de *Hontheim,* episcopus Myriophytanus *in part.*, et suffraganus Archiepiscopi Trevirensis, sub hoc mentito nomine Justini Febronii, inter multa prava damnataque,

errores Calvinistarum, Richerii, Ant de Dominis et Jansenistarum circa constitutionem Ecclesiæ instaurare nitebatur; falsumque suum principium de auctoritate plebis christianæ ad id temeritatis premebat, ut veluti legitimas et vim habentes admitteret leges a summo pontifice confectas, nonnisi accedente universæ communitatis consensu. Opus Febronii pluries a Clemente XXII et Clemente XIV damnatum tandem ab auctore proprio improbatum fuit. — Tandem Constitutione civili cleri Gallicani in praxim adducere potestatem plebis christianæ in res ecclesiasticas tentavere legati in conventu nationali sedentes, anno 1790, cum ab eis decretum est miministros esse nominandos a populo; et ideo ab eodem populo requirendam esse missionem.

II. PLEBI CHRISTIANÆ NULLATENUS CONVENIRE ECCLESIASTICAM AUCTORITATEM ASSERITUR ET COMPROBATUR. — Ecclesia Catholica tenet a Christo fundatam religiosam societatem nullatenus populari imperio inniti; ideo unica propositione nunc probaturi sumus in Ecclesia auctoritatem non exerceri a plebe christiana, nec etiam sensu democratico a plebe in ministros derivari.

PROPOSITIO.

Ex institutione Christi potestas ecclesiastica nec a plebe christiana exercetur, nec ab ea in ministros derivatur.

Hæc propositio habenda est veluti de fide, ut pote æquivalenter contenta in definitione concilii Trid. Sess. XXIII, can. 7; « Si quis dixerit ordines ab episcopis collatos sine » populi..... consensu aut vocatione irritos esse, aut eos » qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordi» nati nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse » verbi et Sacramentorum ministros; anathema sit; » et aliunde nostræ propositioni doctrina opposita pluries damnata manet in diversis Summorum Pontificum constitutionibus, ac imprimis in bulla *Auctorem Fidei* et in epis-

tola Pii VI, diei 10 martii 1791, qua constitutionem cleri gallicani, judicio supremo, damnavit.

Probatur insuper Scriptura Sacra, Traditione et Ratione theologica.

1° *Scriptura Sacra:* Hic advocari possent omnia sacræ scripturæ testimonia quibus comprobari solet diversam potestatem in Ecclesia a Christo institutam esse. Quædam citare sufficiat : *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Matt. XXVIII, 19. — *Amen, amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlis : et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* Matt. XVIII, 18. — Et instituta sacra Eucharistia, ad Apostolos dicitur : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem.* Luc XXII, 19. Unde sic et similibus argumentari juvat : Ut ex his textibus eruatur nostra propositio requiritur et sufficit, ut pateat Christum apud quosdam ministros constituisse potestatem Ecclesiasticam, ad exclusionem plebis christianæ quam obedientiæ partes jam solum manent ; atqui res ita se habet; nam ad solos Apostolos direxit verba superius citata quibus tum magisterii, tum imperii, tum sacerdotii creantur officia ; ab hujus potestatis participatione excluditur plebs christiana, nam ex eo quod aliqui doceant, regant, sacra conficiant, necesse est ut alii audiant et doceantur, ab eis regantur et sacra suscipiant ; ergo...

2° *Traditione.*—A) *Ac primum ex constanti praxi Ecclesiæ* constat nunquam populum christianum advocatum fuisse ut varia Ecclesiæ munera adimpleret, neque ut doceret, neque ut regeret vel judicaret, neque ut per sacramenta sanctificaret. — Plusquam sexcenta celebrata sunt concilia, quæ ex ministris semper fuerunt composita, ne unum quidem citari potest in quo simplices laici de rebus ecclesiasticis judicaverint. Ex hac praxi universa et constanti concludendum habemus christianam plebem in rebus ecclesiasticis de facto nunquam ullam potestatem exercuisse; insuper ex eadem plebe derivari hanc potestatem nullum ratum habuisse. Etenim hæc opinio per

multa sæcula nunquam prodiit; si vero fuisset quasi in animis latitans, in dubiis ac difficilibus multi popularem principatum, et supremam ejus divinamque auctoritatem invocassent; hac via etiam, et quidem non immerito obtinuissent depositionem pontificum quos jam ferre non placeret. Hæc vero quam inaudita sint omnes sufficienter norunt. Ergo.

— B) *Ex testimoniis Patrum* nostram propositionem, præ multitudine citandorum, haud esset difficile. Fere nullus datur qui hic aut illic, ac sæpe ex professo non commendaverit Episcopos reverandos veluti Christi ministros, ac Dei legatos. Adducimus unum aut duos tantum, qui præsertim audiendi sunt, cum expresse doceant super episcopos inniti Ecclesiam. S. Irenæus : « Habemus annu» merare eos qui ab Apostolis instituti sunt episcopi in » Ecclesiis, et successores eorum usque ad nos qui nihil » tale docuerunt. » Hær. Lib. IV, c. 26. S. Cyprianus : « Inde per temporum et successionum vices, episcoporum » ordinatio et Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super » episcopos constituatur et omnis actus Ecclesiæ per eos» dem præpositos gubernetur. » Epist. 27.

3° *Ex ratione theologica.* — A) Lex vetus adumbrabat novam, quæ veluti veteris perfectio datur; atqui, in veteri lege, non laicorum erat de rebus ad religionem pertinentibus judicare, sed presbyterorum, qui vices Dei gerebant, ut videre est præsertim Deut. XVII, 8.— Ergo et in nova lege res eodem modo se habere debent.

— B) Ecclesia seu fidelium cœtus veluti perfecta societas constituitur, seu veluti grex ovium, domus, civitas, regnum, nam iis figuris utuntur Scripturæ et Patres; atqui ab ovili non derivatur ad pastorem pascendi potestas, a liberis auctoritas paterna. Ergo...

— C) Plebs christiana nulla potestate ecclesiastica gaudere potest si eam tenet nec a Christi institutione nec a sua natura; atqui neutrum suppositum proferri licet; etenim primum nullibi in Scripturis, in operibus Patrum aut in annalibus Ecclesiasticis invenitur, ubi ne unum verbum ad constitutionem democraticam alludit; posterius vero,

scilicet, societati christianæ ex naturæ ejus necessitate potestatem ecclesiasticam competere serium examen non patitur; cum potestas ecclesiastica naturalem superet ordinem, et respiciat salutem animarum, a natura rerum aut hominum quoad suam originem non pendet; ergo hæc potestas non competit plebi Christianæ. Hoc argumentum, more suo, eleganter adornat *Bossuet :* « L'Eglise » catholique parle ainsi au peuple Chrétien : Vous êtes un » peuple, et un état, et une société; mais Jésus-Christ, » qui est votre roi, ne tient rien de vous, et son autorité » vient de plus haut : vous n'avez naturellement non plus » de droit de lui donner des ministres que de l'instituer » lui-même votre prince ; ainsi ses ministres, qui sont vos » pasteurs, viennent de plus haut comme lui-même, et il » faut qu'ils viennent par un ordre qu'il ait établi. Le » royaume de Jésus-Christ n'est pas de ce monde, et la » comparaison que vous pouvez faire entre ce royaume » et ceux de la terre est caduque...

—D) Christus eam constitutionem suæ Ecclesiæ præstare noluit quæ tumultibus multitudinis aut ejus diversis studiis esset necessario obnoxia ; atqui si in communitate christiana tanquam in depositorio disposuisset jurisdictionem spiritualem, ad communitatis judicium recurrere necesse esset in causis difficilibus aut incertis, sicuti in societatibus politicis ad supremum judicem recurritur, et quis non videt, si ita se res haberent, malo interno et lethali laborare Ecclesiam? Ergo.

Corollarium. — Sequitur ex dictis constitutionem ecclesiasticam nullatenus sub forma populari nec democratica a Christo fuisse delineatam. Unde—a) plebs christiana, ex intrinseco ac sibi proprio jure, potestatem non habet suos constituendi magistratus et ministros ecclesiasticos; quod tamen fieri potest ex consuetudine, vel ex concessione gratiosa ; — b) ex eadem plebe, veluti e suo fonte, in ministros ecclesiasticos non derivatur spiritualis jurisdictio ; — c) leges quæ in republica Christiana conficiuntur suam vim ac supremam auctoritatem non repetunt ex accedente populi consensu ; — d) A sententia

episcoporum et magistratuum Ecclesiæ, etiam in causis gravioribus ad judicium populi appellatio non est interjicienda; — e) episcopi aliive Ecclesiæ ministri apud populum non sunt accusandi, nec ad nutum ejus privandi dignitatibus, vel deponendi.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° B. Paulus, I Cor. v, 4, jubet ut fideles congregati incestuosum per excommunicationem ejiciant; et II Cor. II, 8, eosdem hortatur ut charitatem in illum confirment, et aliquid ei magis donent : ergo fideles jurisdictionis ecclesiasticæ sunt participes.

R. Nego conseq. Nam in ipso loco Epistolæ citatæ B. Apostolus ait ℣. 3 : *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum qui sic operatus est... congregatis vobis... tradere hujusmodi Satanæ.* Ergo ipse sententiam tulerat, et exsecutionem illius duntaxat Corinthiis mandat : in secunda vero Epistola, quos prioris sententiæ aliquo modo consortes fecerat, absolutionis participes similiter facit; at inde concludi non potest simplices fideles jurisdictionis ecclesiasticæ esse participes. Imo probabile est sacerdotes apud Corinthios tunc exstantes, non vero laicos, sententiam Pauli significasse. Ergo.

Obj. 2° In concilio Hierosolymitano sederunt Apostoli, et seniores, et fratres, juxta textum græcum, Act. xv, 23 : atqui per fratres necessario intelligendi sunt laici : ergo.

R. Nego maj. Legendum est enim non ut in græco, sed ut habetur in Vulgata, *Apostoli et seniores fratres.* Nam — a) peritiores critici, post maturum examen, censuerunt Vulgatam in hoc puncto textui græco anteponendam esse. — b) Act. xv, 2, de fratribus ab Antiocha super hoc negotio missis, legitur eos ascendisse *ad Apostolos et presbyteros;* et ℣. 6 dicitur : *Convenerunt Apostoli et seniores videre de verbo hoc.* Postea, ℣. 41, cap. eod., Paulus, electo Sila, præcipit fidelibus per Syriam et Ciliciam custodire præ-

cepta *Apostolorum et seniorum*. Tollendæ sunt igitur particulæ græcæ καὶ, οἱ, et legendum sicut in Vulgata, *et seniores fratres*, id est episcopi.

§ II. — Quod principi sæculari nulla competat auctoritas ecclesiastica.

Duæ maximi momenti quæstiones obvias nobis sese exhibent tranctandas; unam quam theoreticam libenter dicimus et quæ titulo superiori præcipue enuntiatur; altera vero quæ ad praxim spectat, quomodo scilicet ad sese invicem conferre debeant potestas ecclesiastica et imperium sæculare, quæ quidem commissis lateribus quotidie incedunt, et negotia promiscue temporalia et spiritualia tractant. — De hac et ista igitur sub diversis numeris disserendum est.

I. De modis quibus rei ecclesiasticæ se immiscere possunt principes. — Duplici modo isti principio et Ecclesiæ fundamento adversatur : 1° Anglicanæ sectæ fundatores et defensores existimant sceptro regio ita annexam esse potestatem spiritualem, ut ab imperio civili derivetur quævis ecclesiastica auctoritas, et sub ejus nomine et dependentia exerceatur. Sic ab Henrico VIII rege usque ad nos sub ea ratione constituitur et regitur Ecclesia Anglicana. De facto, ex eodem principio, multi ex Protestantibus principes sæculares simul societatem civilem et religiosam gubernant; et non secus sese gerit quoad regimen spirituale Moscovitarum imperator et Ecclesiæ Orthodoxæ rector.

2° Apud nos, et in multis Ecclesiæ regionibus, licet hæc absoluta juris ecclesiastici negatio improbetur, ad eam negationem accedens quædam evasit opinio. Juxta hanc opinionem, verum quidem et legitimum intercedit discrimen inter principatum sæcularem et spiritualem, sed tamen et necessario contingit ut pricipatus sæcularis spirituali superemineat, eumque gubernet. Sic, cum Ecclesia in imperio contineatur, (*l'Eglise est dans l'état*) eo ipso sequitur in Ecclesiam quoddam dominium habere impe-

rium. — Præterea, cum multa pertractent duæ Potestates dubia aut promiscue temporalia et spiritualia, jus in hæc mixta non omittit imperium sæculare, ea regere non desistit, ac proinde spiritualia simul regere tenetur. — Tandem quidquid in externum prodit, externamque actionem exigit, eo ipso cedit in dominium magistratus civilis, qui huic ordini externo præest; inde omnia ecclesiastica quæ eo modo externa sunt, a jurisdictione civili non excluduntur.

Hanc doctrinam verbis et actibus acerrime professa est in Galliis suprema Curia (*le Parlement*); ut ex hujus temporis historia patet; istam omnibus suis viribus fovebant Jansenistæ et ea imbuti erant Constitutionis civilis Cleri Gallicani fabricatores; ineunte XIX sæculo, pace Ecclesiæ reddita, eamdem in praxim et præceptum adduxere juristæ qui Articulos Organicos, Concordatui addictos, confecerunt : « Il y a sans doute des matières mixtes par » leur propre substance; mais lorsqu'en posant les bornes » des pouvoirs on attribue aux souverains la disposition » des choses temporelles, en réservant aux pasteurs les » matières spirituelles, on ne prétend pas laisser comme » vacant entre ces limites le vaste empire des matières » mixtes, ni permettre à chacune des puissances d'y faire » des incursions à son gré, avec une égale autorité, et » sans aucune règle de déférence, ce qui introduirait une » confusion dangereuse et rendrait souvent le devoir de » l'obéissance incertain. Il faut nécessairement qu'il y » ait une puissance supérieure et suréminente, qui règne » dans ce territoire commun à certains égards; et c'est » celle qui a le droit de peser les intérêts respectifs, celle » de qui dépend l'ordre public et général, et à laquelle » seule appartient le titre de puissance dans le sens » propre... *Le domaine des matières mixtes appartient » donc incontestablement au souverain, au magistrat poli- » tique.* » Sic loquebatur *D. Portalis : Rapport présenté au Gouvernement de la République par le Conseiller d'état, chargé de toutes les affaires concernant les cultes. Discours, Rapports et Travaux inédits sur le concordat de* 1801

par Jean Etienne Marie Portalis, pag. 131 *et* 138.

Apud exteros, Josephus II Imperator, pravis consiliis assentiens, manum rebus ecclesiasticis admovit, easque prorsus disturbavit; in Tuscia, frater ejus Leopoldus eamdem agendi rationem imitatus est, et ex hoc tempore ista injusta principis sæcularis occupatione laboraverunt imperium Germanum Italiaque superior. Tandem nuperrime S. S. D. N. PP. Pius IX brevi dato 22 Aug. 1851 damnavit et reprobavit *Juris Ecclesiastici Institutiones*, et *In Jus Ecclesiasticum universum Tractationes* Joan. Nepomuceni Nuitz in regio Taurinensi Athenæo professoris, in quibus ab auctore docebatur : « Civili potestati, vel ab » infideli imperanti exercitæ, competere potestatem indi- » rectam negativam in sacra; civilem potestatem ab Ec- » clesiastica si damno afficiatur sibi consulere potestatem » indirectam negativam in sacra; illi competere nedum » jus quod vocant *exequatur*, sed vero etiam appellatio- » nem ab abusu; in conflictu legum utriusque potestatis » jus civile prævalere. »

II. Probatur dogma catholicum. — Juxta vero dogma Catholicum, et constitutionem Ecclesiæ a Christo depictam, princeps sæcularis non accepit supremam potestatem in Ecclesiam, nec ullo modo ad res ecclesiasticas extenditur jure proprio ejus temporalis jurisdictio. Sit igitur

PROPOSITIO.

Principi sæculari ex jure proprio nulla competit auctoritas nec in Ecclesiam, nec in res ecclesiasticas.

Hæc propositio est de fide, sicut et præcedens, et ob eadem fundamenta; ac propter damnationem a Pio IX latam. — *Prob.* Scriptura Sacra, Traditione et Ratione Theologica.

1° *Scriptura sacra.* Duplici modo probatur ex Scriptura Sacra principi sæculari in Ecclesiam proprio jure nullam competere auctoritatem; ex una parte etenim potestas spiritualis promissa et data videtur illis personis quæ minime reges erant temporales; scilicet

constat ex testimoniis quæ iterum citare tœdet, hanc potestatem B. Petro Christum singulariter promisisse et concessisse, deinde Apostolis et eorum successoribus. Joan. xx, Matth. xviii. Præterea, idem constat ex eis qui, testante Scriptura, primævam Ecclesiam rexerunt, nullum fuisse principem sæcularem. — Ex altera parte ne unum verbum ex scripturis proferri potest quo supponatur in principibus temporalibus spirituale imperium constitui. Quandoque quidem principes temporales commemorantur, ut commendetur obedientia eis debita, sed minime in rebus spiritualibus. Notissimum est hocce Christi verbum : *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo*; quo verbo notavit Christus potestatem regiam non auferri, nec augeri, neque præsertim ei committi jus singulare oves suas pascendi. — Tandem B. Paulus, Eph. iv, 11, enumeratis omnibus quos dedit Christus ad ædificationem corporis sui mystici, id est Ecclesiæ, designat Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Pastores et Doctores, omnino de principibus sæcularibus silet : ergo.

2° *Traditione.* — A) *Ex usu et praxi Ecclesiæ* quæ nunquam passa est principes sæculares, ex virtute eis propria, rebus ecclesiasticis sese admiscere; nam sæpe usurpationem sacrilegam indigne ferens, sententiis suis prosecuta est reges qui jura spiritualia exercere non dubitabant. Ad memoriam advocare sufficiat longum inter Pontifices et Imperatores de *Investituris* dissidium, quo in medio ævo ex una parte jus Ecclesiæ proprium viriliter propugnabatur, ex altera lacessebatur ferro et insidiis.

— B) *Ex testimoniis SS. Patrum ac præsertim summorum Pontificum et etiam Imperatorum* quæ congerere haud difficile videtur. Sic Gelasius Papa in Epist. 10 ad Anastasium : « Duo sunt, imperator Auguste, quibus » principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Ponti» ficum, et regalis potestas. » Symmachus Papa in concilio Romano III, eidem assentit, definit enim « Non licere » laicis, quamvis religiosis; vel potentibus, in quacumque

» civitate, quolibet modo aliquid decernere de ecclesias-
» ticis facultatibus, quarum solis sacerdotibus disponendi
» indiscusse cura a Deo commissa videtur. »

Duo oracula ex ore Chrysostomi et Augustini etiam suscipere licet. Ita Chrysostomus limites potestatis civilis ponit : « Quanquam admirandus videtur thronus re-
» gius, tamen rerum terrestrium administrationem sorti-
» tus est, nec præter potestatem hanc præterea quidquam
» habet auctoritatis. » Hom. 4 de verbis Is. — B. Augustinus, in epist. 48 et 52, Donatistas redarguit quod in causa ecclesiastica ab episcoporum judicio ad Constantium imperatorem appellare ausi fuerint. « Neque ausus est,
» inquit, christianus imperator, sic eorum tumultuosas
» et fallaces querelas suscipere, ut de judicio Episcoporum
» qui Romæ sederunt ipse judicarit. »

Reges imperatoresque sensu christiano imbuti sæpissime libenterque agnovere sibi non esse concessam spiritualem jurisdictionem. Constantinus Magnus Patres Nicænos alloquens : « Deus, inquit, vos constituit sacerdotes,
» et dedit vobis potestatem de nobis quoque judicandi, et
» ideo nos a vobis recte judicamur, vos autem non potestis
» a nobis judicari. » Hist. Eccles. Euseb. l. 10, c. 20. — Theodosius junior, ad concilium Ephesinum dicit : « Nefas
» est qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscrip-
» tus non est, illum ecclesiasticis negotiis et consultatio-
» nibus sese immiscere. » *Labbe.* Eumdem sermonem et sententiam exhibuerunt ex regibus nostris præstantissimi.

3° *Ratione theologica* comprobatur etiam nullam principi sæculari competere auctoritatem in Ecclesiam et res ecclesiasticas, ac — A) præsertim *ex absente fundamento quo inniti deberet ea principis auctoritas.* Etenim princeps sæcularis non potest auctoritate in spiritualia gaudere nisi eam teneat vel ex jure naturali, vel ex jure positivo humano vel ex jure positivo divino, atqui nihil horum dici potest ; — non primum quidem, nam ex jure naturali nihil sumit nisi potestatem naturalem ; potestas autem naturalis prorsus est impar ad tractandas res spirituales, cum inter ordinem naturalem et supernaturalem

intervallum quasi infinitum intercedat. — Non secundum; nam jus humanum vel a principe oritur vel a communitate; porro princeps sibi non valet communicare potestatem quam ex se non habet; communitas item non potest conferre eam jurisdictionem qua omnino destituitur, uti ex præcedentibus patet. — Non tertium, nam modo vidimus Deum, a quo solum potestas in Ecclesiam originem ducit, minime illam commisisse regibus terrenis, sed Apostolis quos penes non erat temporale imperium: ergo.

— B) *Ex defectu unitatis quo in hypothesi laboraret Ecclesia.* A constitutione Ecclesiæ plane alienum est quodvis principium quo adulteratur ejusdem Ecclesiæ divina et essentialis unitas; probatum est enim Christum suis precibus, consiliis, institutis quæsivisse suæ Ecclesiæ unitatem, ita ut una sit in fide, in regimine, in sacramentis; atqui si principes temporales quadam jurisdictione pollerent in Ecclesiam, unitas ejus frangeretur; quot sunt principes temporales a se invicem independentes, tot essent spirituales; ab aliis prohiberetur vel præscriberetur, quod ab aliis in contrarium præscriptum aut prohibitum jaceret; et cum essent summis pontifibus minime subjecti, nullum jam esset unitatis vinculum. Ergo...

— C) *Ex pluribus incommodis.* Ab ecclesiastica constitutione amovendum est principium ex quo sequeretur principes paganos, hæreticos, et etiam mulieres habere legitimam jurisdictionem in spiritualia Ecclesiæ; neminem fugit mulieres quas in Ecclesia loquentes non patitur B. Paulus, a fortiori potestatis Ecclesiasticæ esse incapaces; item repugnat principes qui de Ecclesia non sunt vel adversus eam rebellantur, in eam et ejus negotia auctoritatem obtinere, ita ut Nero, Diocletianus, et Julianus Apostata merito ea tractassent; atqui si proprio jure principes sæculares ejusmodi potestatem exercent, mulieres quandoque ad hoc munus vocabuntur, cum ad potestatem regiam sint idoneæ; pariter sæpe contingit ut Ecclesia constituatur sub imperio regum paganorum, vel hæreticorum

et ipsi infensorum, ut per ævum persecutionum actum est, et hodie sæpius videtur; et isti reges jam ecclesiasticæ jurisdictionis participes evaderent. Ergo...

COROLLARIUM. Ex argumentis quæ per ordinem evolvimus sequitur in genere nullam auctoritatem principi sæcalari competere in Ecclesiam et res ecclesiasticas; sed in specie sequitur quod ad principes sæculares non pertineat leges, constitutiones novas circa spiritualia et ecclesiastica componere; — quod non possint nec debeant regimen ecclesiasticum cohibere et vetare ne leges ecclesiasticæ suum effectum sortiantur; — tandem ad se et sua judicia causas ecclesiasticas, et de eis appellationes suscipere.

Solvuntur objectiones.

Obj. 2°. Multi principes christiani varias leges ad Ecclesiæ regimen spectantes promulgaverunt, ut constat ex omnibus historiis, et præsertim ex Capitularibus Caroli Magni, Ludovici Pii, etc. Ergo.

R. Disting. ant. Varias leges ad Ecclesiæ regimen spectantes promulgaverunt, sed de consensu episcoporum et summi Pontificis, *concedo;* absque ullo consensu, *subdistinguo :* et potestatem suam excedebant, *conc.;* secus, *nego ant.* Itaque fateor principes sæculares non semel tulisse leges ad regimen Ecclesiæ pertinentes; sed ordinarie id faciebant ex consensu, et aliquando ex precibus episcoporum et summi Pontificis, qui potestatem civilem in adjumentum auctoritatis spiritualis advocabant. Si autem consensus pastorum legibus hujusmodi non accedebat, tunc limites potestatis suæ excedere censebantur principes. Unde nonnula eorum edicta ab Ecclesia fuerunt rescissa, v. g. *Ecthesis* Heraclii et *Typus* Constantis. Si vero aliquoties contigerit ut contra istiusmodi leges non statim reclamaverint pastores, id ex prudentia, ad vitanda majora mala, factum est.

Quod ad Capitularia regum nostrorum attinet, certum est illa non tantum civili, sed simul utraque potestate,

ecclesiastica et civili, fuisse condita; nam in comitiis generalibus in quibus condebantur, semper aderant episcopi cum prioribus regni. Aliunde nihil continebant nisi quod Ecclesiæ canonibus jam erat statutum. Ergo.

Obj. Principes sæculares impedire possunt ne quædam Ecclesiæ decreta vim in ditionibus suis habeant : ergo quamdam auctoritatem spiritualem habent.

R. Dist. ant. Principes sæculares impedire possunt ne decreta disciplinam spectantia, etc., *transeat*, ad fidem aut mores pertinentia, *nego ant.* Diximus *transeat :* quidam enim sunt qui putant sed immerito principes sæculares aliquando impedire posse ne quædam disciplinæ decreta vim in ditionibus suis habeant, quia spectant materias mixtas, civiles simul et ecclesiasticas, et idcirco utrique potestati subjiciuntur. Grave vulnus huic opinioni illatum fuit per damnationem et prohibitionem operis *Nuytz*, anno 1851. At nusquam principes sæculares impedire possunt ne decreta Ecclesiæ ad fidem aut mores spectantia vim in ditionibus suis habeant; tunc enim potestatem spiritualem exercerent, quam non acceperunt a Christo, et quæ ipsis nunquam tributa fuit in traditione. Ergo.

III. De relationibus quæ in praxi inter potestatem ecclesiasticam et imperium sæculare intercedunt. — Deus cum institueret Ecclesiam, noluit evelli temporalem societatem; ideoque potestas quæ isti societati præest merito sibi vindicat subditorum reverentiam et obedientiam. At, uti perspicuum est, duæ societates, spiritualis scilicet et temporalis, quasi juxtaponuntur; iisdem subjectis sæpe utuntur; versanturque circa eadem negotia; unde sequitur, inter eas et principes quibus reguntur necessarias intercedere relationes. In imperiis recte gubernatis, ne subrepant controversiæ et conflictus, a duabus potestatibus conficitur pactum seu concordatum quo supra dictæ relationes determinantur, tolluntur incerta, fit concordia et utriusque societatis finis facilius obtinetur. Hujusmodi pactum a duabus potestatibus sacratum, veluti duplici jure meretur obsequium.

Attamen sive concordatum confectum fuerit, sive om-

nino abeat, et secluso persecutionis statu, triplici ratione vivendi erga sæculare imperium utitur Ecclesia. — Vel Ecclesia suscipitur veluti propria et exclusiva imperii religio (*Religion d'état*). Rebus ita se habentibus, cultus alii proscribuntur, aut saltem sola tolerantia vigent; teneturque civilis princeps ad tuendum leges ecclesiasticas, vigilandumque ut ab omnibus impleantur. Hoc regimine usque adhuc utuntur quædam imperia, et isto utebantur olim ea quæ catholico nomine gaudebant. — Vel Ecclesia in imperio suscipitur velut legitima quidem, sed non exclusive; ita ut quidam alii cultus eodem titulo et jure suscipiantur, eadem utantur libertate, eadem protectione vivant. Hoc regimen viget apud diversas regiones, ac præsertim in Galliis, ubi Ecclesia catholica, Judæorum religio et ex protestantibus quatuor confessiones sub ejusdem legis, protectionis et libertatis regimine juxtaponuntur. — Vel Ecclesia, ut religio, non admittitur in imperio, quod nullam agnoscit religionem; sed solummodo uti associatio hominum quæ ad instar cujusvis associationis civilis, scientificæ, sub regimine communi protegitur; et in eo casu, imperium quod ita se gerit de nulla religione curat, non secus ac si nulla existeret.

Quæritur 1° *quænam positio Ecclesiæ erga imperium sæculare sit præ omnibus anteponenda, et justitiæ rationive magis consentanea.* Affirmare non dubitamus *speculative* præ omnibus esse anteponendam et justitiæ rationique magis consentaneam eam positionem qua Ecclesia catholica in imperio sæculari, veluti gubernii propria religio, suscipitur et fovetur, quovis alio cultu excluso, vel solum tolerato. Etenim 1°, temporalis quævis societas, veluti privati cives seorsim sumpti, Deum agnoscere et cultu religioso prosequi tenetur; atqui si hæc societas ut suam accipit Ecclesiam catholicam, cæteros falsosque renuens cultus, hac via Deum verum agnoscit, officia quibus dignus est, et eo modo quem elegit ipse, præ suis viribus, adimplet.

2° Insuper, homini unicus finis ultimus proponitur, scilicet adeptio boni supernaturalis et æterni, et huic fini

omnia favere necesse est, si recte ordinantur. Societas temporalis quidem et princeps sæcularis huic fini obtinendo non præsunt, sed ab ea absolute non sunt alieni; ita ut, e contra, eorum perfectio in eo sita sit quod ei inserviant in quantum possunt. Ecclesia autem catholica a Deo expresse constituitur, ut sit homini tanquam via patens ad finem supernaturalem; ergo societas temporalis et imperium sæculare, si recte et juxta divinam dispositionem ordinantur hanc Ecclesiam catholicam suscipere debent, illam fovere, ejus extensioni consulere, ac procul repellere falsas religiones mendacesque cultus.

3° Tandem, bona civium protegere tenetur potestas temporalis, et invigilare aptis mediis ne infauste pereant; atqui inter bona civium, nullum pretiosius datur quam catholica fides, ergo illam fidem protegere tenetur; et cum facilius disperditur si error libere serpat, si varii cultus varia contradictoriaque documenta serant, hominibus quasi ex proprio pondere in falsum ruentibus, potestas sæcularis tenetur igitur præcavere ne libere error sub nomine cultus religiosi omnibus sit obvius; quemadmodum venena e manibus tollit, ut sanitati communi curet.

Diximus *speculative*, id est stantibus principiis, et positis ponendis; sed in praxi aliquando contingit impossibile esse eo modo ad invicem componi ordinem supernaturalem et naturalem, Ecclesiam et imperium sæculare. In multis regionibus enim a longo tempore jam vigent falsi cultus a multis civibus observati; vel luctuosus invasit indifferentismus; vel præjudicia Ecclesiæ hostilia occupant animos; hinc sequitur in hac hypothesi, moribus publicis adversantibus, jura Ecclesiæ prudenter esse premenda, licet in se semper valeant.

Tunc, habita ratione locorum, temporis et circumstantiarum, anteponendum est vel illud institutum quo Ecclesia una cum quibusdam aliis cultibus agnoscitur sicut religio legitima et protegitur ab imperio sæculari, vel istud quo accipitur sicut res omnino civilis et communis, ordine civili ab ordine spirituali absolute sepa-

rato. Duplex igitur hoc institutum, quod indicat societatem diversis malis laborare, non est in se uti bonum et rectum habendum, sed relative tantum ad circumstantias.

Quæritur 2° *Quid sentiendum sit de libertate conscientiæ aut cultuum.*

Resp. Eo sensu intelligimus hic *libertatem conscientiæ seu cultuum*, quod princeps sæcularis teneatur tolerare vel etiam ex æquo protegere quaslibet opiniones ad religionem spectantes, ac ideo non possit respuere varios cultus qui ex prava conscientia oriuntur. Nos vero dicimus libertatem conscientiæ sic intellectam *absolute* et *speculative* non esse bonam, nec ad ullum tanquam de jure pertinere. Rectitudo hujus affirmationis ex modo dictis jam satis apparet, et argumentis sequentibus comprobatur. 1° Soli veritati competit jus strictum et proprie dictum existendi, sese defendendi ac diffundendi; errori autem jus simile minime datur; si enim existit error jam malum est et defectus; pejus, si adversus veritatem sese defendit; ac pessimum si animos nondum infectos invadit. Ideo penitus proscribendum est systema, quo veritati et errori eadem jura veluti ex æquo debita tribuuntur, nam inde essentiale discrimen quo inter se differunt error et veritas penitus aufertur. — Porro in Ecclesia catholica veritas absolute existit, infallibiliter servatur et docetur, et quidquid ei contrarium exhibetur circa religionem et revelationem error est reputandus; — ergo si libertas quodlibet credendi, quemlibet cultum asservandi ab Ecclesia catholica alienum, ex proprio et naturali jure omnibus inest; si item hæc naturalis libertas restringi nequit, jam eadem jura veritati et errori tribuuntur, ac proinde aufertur essentiale discrimen quo inter se differunt. Ergo.....

2° Non mirum igitur si Romani pontifices, juris divini et humani custodes vigilantissimi, in multis constitutionibus improbarint hanc conscientiæ libertatem veluti pravum figmentum, aut potius deliramentum, veritatis catholicæ quam maxime subversivum. Sic Pius VII, *brevi*

die 29 Apr. an 1814, ad D. *de Boulogne* episcopum Trecensem directo, circa negotia Ecclesiæ Gallicanæ, et novam regni constitutionem, hæc habet: « At multo gravior, ac vere acerbissimus cordi nostro dolor accrevit... » ex constitutionis articulo vigesimo secundo, in quo perspeximus *libertatem cultuum et conscientiæ* (ut iisdem quæ » fert articulus verbis utamur) non permitti modo vi constitutionis, sed libertati hujusmodi, prætereaque *cultuum* » quos vocant ministris præsidium patrociniumque promitti. Non opus certe multis est, cum tecum agamus, ut » plane agnoscas, quam lethali vulnere catholica religio in » Galliis per hujusmodi articulum percellatur. Dum enim » *cultuum* indiscriminatim omnium libertas asseritur, hoc » ipso veritas cum errore confunditur ac pari loco cum hæ» reticorum sectis, judaicaque ipsa perfidia, sancta et im» maculata Christi sponsa Ecclesia extra quam salus esse » non potest, collocatur....»

Pariter Gregorius XVI in memorabili Encyclica littera *Mirari vos* die 15 anni 1832 in publicum prolata, sic acerrime redarguit de Libertate conscientiæ sententiam: « ... Ex hoc putidissimo indifferentismi fonte absurda » illa fluit ac erronea sententia seu potius deliramentum, » asserendam esse ac vindicandam cuilibet libertatem cons» cientiæ. Cui quidem pestilentissimo errori viam sternit » plena illa atque immoderata libertas opinionum quæ in » sacræ et civilis rei labem late gressatur, dictantibus per » summam impudentiam nonnulis aliquid ex ea commodi » in religionem permanere. At quæ pejor mors animæ, » quam libertas erroris, inquiebat Augustinus (Epist. 166). » Freno quippe omni adempto quo homines contineantur » in semitis veritatis, proruente jam in præceps ipsorum » natura ad malum inclinata, vere apertum dicimus pu» teum abyssi...»

Diximus tamen supra *speculative*, nam fieri potest ut in praxi, habita ratione temporum et locorum, hæc libertas conscientiæ veluti malum minus, aut pejoris remedium habeatur. In eo casu appertum est imprimis ad Ecclesiam Catholicam pertinere hac libertate frui; nam

ejus positionem cæteris falsis cultibus inferiorem ac pejorem fore nunquam permittitur.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE IIS IN QUIBUS RESIDET POTESTAS ECCLESIASTICA.

Christus, cum noluisset potestatem ecclesiasticam ab omnibus indiscriminatim exercendam esse, instituit speciale ministerium in quo istam potestatem reposuit. Item, habuit consultum in hoc ministerio ecclesiastico diversa distribuere officia, uno alteri subjecto, ita ut ex eis aptissime inter se cohærentibus admirabilis fieret unitas, et Ecclesiæ commodum.

Hæc distributio dicitur Hierarchia, quæ attentis vocibus græcis radicibus ἱερὸς et ἀρχὴ, idem sonat ac potestas sacra. Hierarchia igitur definiri potest: *Ordo officiorum et ministrorum ad Ecclesiæ regimen et fidelium sanctificationem a Christo institutus.* Consulto diximus *officiorum* et *ministrorum*, quia vox Hierarchia auditur sive *objective*, scilicet de diversis gradibus potestatis Ecclesiasticæ, sive *subjective* id est de personis quæ hujus potestatis partem accipientes ad se invicem ordinantur. — Pariter, hæc verba ad Ecclesiæ regimen, et fidelium sanctificationem adhibentur ad designandum duplex objectum potestatis Ecclesiæ, a quo fit duplex hierarchia, una Ordinis, altera jurisdictionis de qua mox instituemus ex professo sermonem.

In hoc articulo dicemus 1° de institutione sacræ hierarchiæ; 2° de variis speciebus Hierarchiæ et de distributione in ea officiorum; 3° tandem de lege successionis in Hierarchia.

§ I. — De institutione sacræ Hierarchiæ.

I. Enumerantur varii sacræ Hierarchiæ adversarii. — Hierarchia sacra tribus officiis comparatur, episcopatu scilicet, presbiteratu et diaconatu. Hanc Hierarchiam ac-

cipere nolunt, ut patet, hæretici veteres aut juniores qui quodlibet sacerdotium aut ministerium a Christo institutum inficiantur. — Alii vero unum aut alterum ordinem subvertunt, ita Aerius, presbyter secta Arianus, tollit episcopatum quem æquiparabat presbyteratui. Primum et tertium ordinem penitus eruunt multi ex Protestantibus, qui discrimen inter episcopos et presbyteros ex institutione Christi adesse negant, et pro ministris solos habent presbyteros. — Ad eos accedere visi sunt multi Jansenistæ, qui in presbyterianismum impengentes, declarabant episcopum inter presbyteros esse veluti primum inter pares. — Anglicana communio servavit quidem Hierarchiam quæ constat ex episcopis, presbyteris et diaconis, sed cum officia his ordinibus affecta non retinuerit, cum aliunde plures profiteantur hanc distinctionem non a Deo venire sed ab hominibus, cum tandem apud eos sint nec missio legitima nec sacerdotii character, sed tantum nomen et pinguissima beneficia nominibus addicta, merito Anglicanos reputamus inter adversarios sacræ Hierarchiæ. — Postremo Richerius, aliique supra memorati, qui ex institutione plebis Christianæ, minime vero ab institutione directa Christi, repetunt originem in Ecclesia officiorum, ex ea parte sacræ Hierarchiæ adversarii consistunt.

II. Confirmatur dogma Catholicum de institutione sacræ Hierarchiæ.—Uti jam diximus, Ecclesia Catholica agnoscit sacram Hierarchiam quæ episcopatu, presbyteratu et diaconatu constat, et accepta est ab institutione Christi. Vox ista *Episcopus, episcopatus*, a græco ἐπι-σκοπεω derivatur, inspectionem et inspectores designat; presbyter a πρεσβυς idem significat ac senior; licet in primæva ætate Ecclesiæ duplex ista appellatio indiscriminatim primi aut secundi gradus ministros designaverit, a multis annis jam viguit usus ut ministri primi ordinis vocentur Episcopi, secundi vero ordinis, presbyteri. Ministri inferiores seu tertii ordinis dicuntur Diaconi, a verbo διακονος, quod ministerium in genere significat.

PROPOSITIO.

Christus in Ecclesia instituit sacram Hierarchiam quæ constat Episcopis, Presbyteris et Diaconis.

Hæc propositio est de fide, ut pote definita in concilio Tridentino, sess. XXIII, con. 6: « Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam, divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris, Anathema sit.»

Probatur insuper nostra propositio Scriptura Sacra et Traditione.

1° *Scritura sacra.* Ut ex sacris litteris eruatur nostra propositio requiritur et sufficit ut ex eis demonstretur Episcopos, Presbyteros et Diaconos a se invicem fuisse distinctos, et ad officia sacra regimenque Ecclesiæ propositos; atqui res ita se habent: — A) Quoad Diaconos nulla difficultas subesse potest: omnes etenim norunt eos ab Apostolis fuisse electos et consecratos ad quoddam particulare ministerium. Act. VI. — Stephanus et Philippus post suam consecrationem munia sacra adimplent, Act. VI, 8 et seqq. — Paulus et ipse Diaconos memorat et ab aliis ministris separat: *Paulus et Timotheus... omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum Episcopis et Diaconibus.* Philip. I, 1; et iterum II ad Timoth. cum Apostolus virtutes Episcoporum et Presbyterorum commendat, quales etiam esse debeant Diaconi recenset: Oportet: *Diaconos similiter pudicos... Diaconi sint unius uxoris viri,* III, 8, 12. — Tandem, licet Apostoli directe instituerint Diaconos, id non impedit quin eorum institutio ad Christum Dominum referri debeat; nam Apostoli Ecclesiam instituerunt juxta exemplar a Christo susceptum, omnemque potestatem in seipsis repositam juxta diversa ministeria inter diversos ministros diviserunt.

— B) Pariter ex Scripturis datur discrimen inter Epis-

copos et Presbyteros. Etenim, licet his aut illis aliquando commune nomen imponatur, distinguitur diversum officium aut saltem non dubia subordinatio : *Reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per singulas civitates Presbyteros, sicut et ego constitui te. Tit.* I, 5. — *Adversus Presbyterum accusationem noli recepire, nisi sub duobus aut tribus testibus.* I Tim. V, 29. — *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* Act. XX, 28. — *Pascite qui in vobis est gregem Dei..... neque ut dominantes cleris, sed forma facti gregis ex animo.* I Pet. V, 23. Ex his accipimus adesse discrimen inter eos qui constituunt et constituuntur; qui judicant et judicantur, qui regunt et pascunt simul gregem Dei et Cleros, super quos tamen præ ista præcellentia, sese extollere non licet; ergo...

2° *Traditione* invictissime probatur sacræ Hierarchiæ divina institutio : — A) *Primum quidem ex universo et constanti usu in Ecclesia recepto ;* videmus enim ex perspectis historiæ annalibus Ecclesiam a primæva ætate retinuisse Diaconos et alios ministros inferiores ad diversa officia deputatos. — Item ex vetustissimo more, Apostolico scilicet, Episcopi veluti Apostolorum successores habiti sunt ut maximi pontifices; Ecclesias regunt, præsunt clericis ; in conciliis congregantur litesque componunt ; tandem eorum nomina in thesauris Ecclesiarum servantur, et hæc series nominum Ecclesiarum antiquitatem, apostolicitatem et identitatem efficiunt, quibus redargui solent hæretici. De hoc, inter multos testem habemus Iræneum, Hær. Lib. III, c. 3 : « Habemus, inquit, » annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Epis» copi in Ecclesiis, et successores eorum usque ad nos. »

— B) *Ex Testimoniis SS. Patrum* quæ congerere haud esset difficile ; quædam tantum ex antiquioribus et præstantioribus seligantur. Multa ex epistolis S. Ignatii Anth. prodeunt ad Smyrnæos : « Omnes, inquit, Episcopum » sequimini ut Jesus Christus Patrem, et Presbyterum, ut » Apostolos, Diaconos autem revereamini, ut Dei manda» tum. » Idem consilium dirigit S. martyr ad Magnesios,

ad Philadelphios, ad Trallenses, quod in genuinis litteris perlegendum est.

S. Dionysius Areopagita in opere suo de Ecclesiastica hierarchica ex professo peracto, tres actus hierarchicos recenset et eorum munia describit : « Est pontificatus » seu episcopatus ordo, qui consummante virtute fultus » perficientia quæque sacri ordinis munia præminenter » consummat... Sacerdotum autem ordo qui illuminat, ad » sacra mysteria contuenda initiatos manuducit... Verum » ordo ministrorum seu Diaconorum est qui expiat ante- » quam ad sacerdotum sacra veniant. »

Tertullianus et ipse triplicem ordinem commemorat, de Bapt. c. 16 : « Dandi baptismi habet jus summus sa- » cerdos qui est episcopus; dehinc Presbyteri et Diaconi, » non tamen sine episcopi auctoritate. »

Tandem, ut alios prætermittamus, accersimus Clementem Alexand., qui lib. VI Strom. multis assentiens ait : « Hic quoque (in Ecclesia) progressiones episcoporum, » presbyterorum, diaconorum sunt, ut arbitror imitatio- » nes gloriæ angelicæ... »

Ergo demonstratum est ab institutione Christi sacram potestatem per tres gradus Hierarchiæ, episcopatus, presbyteratus, et diaconatus constitui.

v. infra 475.

§ II. — De diversis Hierarchiæ speciebus, et de distributione potestatis per diversos hierarchiæ gradus.

I. De diversis Hierarchiæ speciebus. — Licet unica Hierarchia in genere a Christo fuerit instituta, diversa tamen apparet si sub diverso aspectu consideretur. Porro considerari potest sacra Hierarchia vel sub respectu potestatis in ea residentis, vel sub respectu originis a qua derivatur.

1° *Sub respectu potestatis* in Ecclesia constitutæ tot species hierarchiæ distingui possunt, quot diversæ sunt potestates a Christo in Ecclesia depositæ; atqui triplex est potestas in Ecclesia, uti vidimus, Magisterii scilicet, Imperii et Sacerdotii, et inde triplex hierarchia posset

exhiberi. Sed, juxta communem usum ab omnibus receptum, potestas magisterii ad Imperium revocatur; ideo duplex tantum hierarchia ex ea parte datur : Hierarchia scilicet ordinis in quo distribuitur sacerdotium, et Hierarchia jurisdictionis qua exercetur potestas magisterii et imperii.

—A) *De realitate hujus distinctionis.* Hæc distinctio inter hierarchiam ordinis et jurisdictionis non est fictitia vel solum speculativa, sed etiam revera existit et in natura rerum fundatur. Etenim, licet Christus, fundator Ecclesiæ, voluerit duplicem potestatem ordinis et jurisdictionis in eadem hierarchia radicari, et ordinarie ab eisdem ministris exerceri, non intendit unquam esse separandas, res de se distinctas. Aliunde ab exordio Ecclesiæ, distinctæ fuerunt duæ potestates ordinis et jurisdictionis; siquidem, ut videre est ex decursu totius Ecclesiæ, stante integra potestate ordinis, v. g. apud episcopos, potestas jurisdictionis vel restricta sæpe fuit quoad locum, personas, materias; vel divisa et distributa inter diversos ministros, ex. gr. vicarios generales, officiales, etc.; vel omnino ablata est; vel nondum impresso per sacramentum ordinis charactere, jurisdictio episcopalis aliquando valide exercita est, et hodie adhuc exerceri potest. — Hæc distinctio ab omnibus theologis et canonicis Catholicis admittuntur; omnesque audire licet in D. Thoma, qui hæc habet : « Spiritualis potestas una » quidem sacramentalis; alia jurisdictionis. Sacramenta» lis quidem potestas est quæ per aliquam consecratio» nem confertur... et talis potestas secundum suam es» sentiam remanet in homine qui per consecrationem » adeptus est, quandiu vivit sive in schisma, sive in hæ» resim labatur... Potestas autem jurisdictionis est quæ » ex simplici injunctione hominis confertur, et talis po» testas non immobiliter adhæret; unde in schismaticis » et hæreticis non manet. » — 2, 2, q. XXXIX, art, III, in corp. (Conf. *Bouix.* Tract. de Princip. Jur. Can. Pars. IV, c. III, § II.)—Ergo si duæ potestates ordinis et jurisdictionis in praxi separari possunt; ex utraque divisa institui

potest duplex Hierarchia, una quidem ordinis et altera jurisdictionis.

—B) *De Hierarchia ordinis.* Hierarchia ordinis iis coalescit gradibus qui ordinantur ad sanctificandam plebem Christianam, et ad sacra conficienda; ad hoc inter diversos hujus hierarchiæ ministros distribuitur specialis potestas tum in corpus Christi eucharisticum, tum in ejus corpus mysticum, scilicet Ecclesiam. — In diversis hujus Hierarchiæ gradibus potestas confertur per sacram initiationem seu consecrationem, a qua character quasi divinus ministro imprimitur. — Tandem in Hierarchia ordinis potestas collata est inamissibilis; compleri quidem potest augerive ab accessione ad gradum superiorem; annihilari autem vel ad gradum inferiorem reduci impossibile est, ac illicite quidem exerceri valet in multis circumstantiis, invalide nunquam, positis aliunde ponendis.

—C) *De Hierarchia jurisdictionis.* Uti jam diximus, Hierarchia jurisdictionis intime conjungitur hierarchiæ ordinis, attamen in multis differt, ut patet : ordinatur hæc Hierarchia non directe ad sanctificationem fidelium, sed ad eorum regimen et gubernationem ; — confertur non per consecrationem, sed per missionem, id est per superioris delegationem ; — character non imprimitur iis qui in ea Hierarchia constituuntur ; — gradus non modo inamissibili occupatur, nam potestas vel ex se aut ex lege extinguitur quando ad tempus aut ad quasdam circumstantias collata est; vel restringi aut auferri potest ad nutum superioris.

2° *Sub respectu originis* a qua derivatur, Hierarchia dividitur in divinam et ecclesiasticam. Equidem omnes hierarchiæ gradus ab institutione Christi emanant, sed alii directe a Christo sunt instituti, alii indirecte per mediationem Ecclesiæ. Christus primaria hierarchiæ lineamenta descripsit, munusque commisit Ecclesiæ opus suum perficiendi, vel dividendi per gradus potestatem quam in uno vel altero plenariam constituerat. Ergo quidquid directe a Christo institutum ad hierarchiam di-

vinam pertinere dicitur ; ad ecclesiasticam , quidquid ab Ecclesia institutrice provenit. — Sic in Hierarchia ordinis, episcopatus, presbyteratus, diaconatus Hierarchiam proprie divinam constituunt. At, *prælati* qui, licet charactere solo sacerdotali insigniti, quorumdam honorum, vel jurium, ad episcopos spectantium, sunt participes; item forsan, juxta quorumdam sententiam, ordines diaconatui inferiores, id est, subdiaconatus, Acolytorum, Exorcistarum, Lectorum, Ostiariorum hierarchiam ecclesiasticam efformant. — In hierarchia jurisdictionis, summus Pontifex, quatenus honoris et jurisdictionis primatu universæ Ecclesiæ præficitur; corpus episcopale, in quantum in regimen Ecclesiæ universæ adjungitur; unusquisque episcopus seorsim sumptus relative ad suam diœcesim ; presbyteri relative ad jurisdictionem fori interni, ex institutione divina directe procedunt. — Cardinales vero, Patriarchæ, Primates, Metropolitani, Abbates, vicarii generales ex institutione Ecclesiastica oriuntur.

II. De distributione potestatis inter diversos Hierarchiæ gradus. — 1° *Quoad Hierarchiam ordinis*, — a) In ordine sacerdotali primum locum tenent episcopi quorum ea est sacra potestas ut sit summa et superior non existat. — Hæc potestas eadem est et perfecte æqualis in omnibus episcopis, cum eodem sacramento conferatur, et idem imprimatur character. — Functiones sacras quas adimplere valet episcopus rite ordinatus, in *Tractatu* de sacramento Ordinis enumerare expedit; sed forsan notare juvat, quod ex ordine suo episcopi accipiunt aptitudinem ad jurisdictionem Ecclesiasticam, vel ut alii dicunt jurisdictionem radicalem, sive *in potentia*, quæ tamen ut ad actum transire valeat opus est ut assignentur territorium et subjecti. Item, juxta nonnullos, ex eodem ordine episcopi accipiunt idoneitatem ad regimen totius Ecclesiæ veluti membra corporis episcopalis.

— b) Ordo secundus Hierarchiæ ordinis ex Presbyteris componitur quorum apud omnes idem est character, potestas eadem quoad sacra conficienda.

— c) Ordo tertius ex Diaconis coalescit, quorum mi-

nisterium plenarium est in eis qui et nomen et officium adepti sunt, divisum vero in ordinibus inferioribus. Isti ordines paulo diversi fuerunt sive in Ecclesia Orientali, sive in Occidentali; sed a longo tempore diaconatus evolutio ad hos ordines accessit: subdiaconatus qui ab Innocentio III inter majores est reputatus; Acolytæ, Exorcistæ, Lectoris et Ostiarii officia, quæ minores dicuntur ordines, et tandem clericatus, qui est sacra initiatio vel præparatio qua quis, a sæculo segregatus, fit de familia ecclesiastica, et aptus ad ordines suscipiendos; quod videre est in suo loco.

2° *Quoad Hierarchiam jurisdictionis*, distribuitur sacra potestas uti infra describitur: — 1° Summus Pontifiex Romanus universum et plenarium honoris et jurisdictionis primatum in totam Ecclesiam tenet: et ab ea potestate accipiunt qui diverso modo a summo Pontifice in ministros cooptantur; mox per partes hujus potestatis jura et prærogativæ in tuto reponentur. — 2° Episcopi, qui spectari possunt vel relative ad Ecclesiam universalem, vel relative ad suam diœcesim. — Relative ad Ecclesiam universalem episcopi simul sumpti, sub capite Petro seu Romano pontifice efformant corpus episcopale; et illud corpus ab institutione Christi potéstatem habet regendi et docendi totam Ecclesiam. Infra perscrutabimur quo modo, quo tempore, quibusne circumstantiis exerceatur hæc potestas corporis episcopalis. Sed circa Ecclesiæ universale regimen notandum est episcopum unum, seorsimque solum, omni jurisdictione destitui. — Relative ad suam diœcesim, episcopus rite institutus, plenaria et externa jurisdictione pollet, sub legibus tamen quibus regitur tota communitas Ecclesiæ. Sapientissime enim Christus Ecclesiæ institutor voluit vastissimam Ecclesiæ regnum in plurimas dividi provincias, quibus præesse habent episcopi; in iis provinciis seu diœcesibus auctoritatem magisterii, imperii et sacerdotii exercent eo modo explicando ubi de episcopis. Fideles immediate ab eis accipiunt veritatem, directionem et gratiam, ac per eos mediate ad summum Pontificem accedunt; et eo modo

ex innumeris societatis christianæ civibus fit unum corpus membris suis perfecte compositum, ex ovibus sub Christo, unus ovile et unus pastor.

Quæritur 1° an episcopi dicti in *partibus infidelium* ordinarii sint fidei judices?

R. Qui ad infideles vere mittuntur, etiam tanquam vicarii Apostolici, juxta communem sententiam plenaria jurisdictione episcopali gaudent, potestateque magisterii et imperii, vel relative ad universalem Ecclesiam, vel relative ad circumscriptionem quam regendam acceperunt.

Idem dicatur de iis qui sub titulo coadjutoris instituuntur, quia jurisdictionem episcopalem habent et regunt Ecclesiam Dei.

De episcopis vero qui simpliciter sunt titulares aliorum episcoporum suffraganei inter theologos et canonistas fit controversia. Sic *Melchior Canus*, de Auctorit. Concil. c. 2, et Suarez, apud eos esse jurisdictionem episcopalem renuunt; multi vero alii contendunt titulares episcopos jurisdictionem in actu primo habere, et, remota infidelium tyrannide, eam in Ecclesiis quarum sunt titulares exercere posse; unde concludunt merito eos veluti alios præsules ad regendam et edocendam universalem Ecclesiam eodem jure convocandos esse, quando rite fit ista convocatio. Ita *Jacobatius*, *Ferraris*, *V. Concil.* art. 1, n. 29.

Quæritur 2° quænam sit potestas episcoporum qui sedibus suis renuntiarunt, vel in schisma et hæresim prolapsi sunt.

Episcopi qui sedibus suis renuntiarunt, conservant episcopalem characterem et ordinis potestatem, uti diximus; sed sua renuntiatione rite accepta jurisdictionem amittunt; unde nec suam diœcesim, nec Ecclesiam Dei regere amplius possunt; nec etiam magistri fidei habendi sunt; quia potestas docendi supponit subditos qui audire et obedire tenentur, ac in data hypothesi subditi ab episcopis qui renuntiavere adempti sunt. Episcopi qui aperte sunt hæretici aut publici schismatici evidenter Ecclesiam docendi privilegio privati sunt, ac ad eam regendam im-

pares ; ac si in conciliis Ecclesiæ vocentur, hæc convocatio fit ut causam suam defendant, vel ut ad meliorem frugem adducantur, minime autem tanquam Patres fidei et Ecclesiæ rectores.

3° Presbyteri, rite ordinati approbative, et servatis aliis Ecclesiæ legibus gaudent ea jurisdictione quam *internam* dicunt, scilicet, vi cujus, in tribunali pœnitentiæ sedentes peccata remittunt aut retinent : sed jurisdictione externa qua corpus sociale ecclesiasticum gubernatur, penitus destituuntur presbyteri. — Etenim quidem presbyteri, saltem parochi, parochiam suam administrant ; sed cum parochia non efficiat corpus quoddam sociale, in sua administratione nihil aliud sunt quam ministri ab episcopo deputati. — Item, presbyteri immediate populos docent doctrinam christianam, sed in hoc munere plenaria potestate magisterii non pollent et sunt tantum veluti præcones eorum quorum est doctrinam servare, controversias judicare et imponere fidem. — Ideo, presbyteri, nec pro tota Ecclesia, nec pro sua diœcesi ex jure proprio sunt testes fidei, nec judices controversiarum, nec leges condunt, nec causas judiciales audiunt et judicant, nec ad istud opus veluti conciliarii necessarii cooptantur ab episcopis ; ac eo sensu dicimus presbyteros proprio jure potestatis magisterii et imperii non esse participes.

Quidem Jansenii et Quesnelli discipuli, et post eos auctores et defensores Constitutionis civilis cleri Gallicani hæc jura ad presbyteros pertinere agnoverunt ; et sic in verum presbyterianismum impengebant. Igitur tum ad eos redarguendos, tum ad bonam doctrinam exponendam sit sequens propositio, sensu supra exposito intellecta :

PROPOSITIO.

Presbyteri, jure proprio, potestatis magisterii et imperii non sunt participes.

Probatur hæc propositio Scriptura sacra, Traditione et Ratione theologica.

Prob. 1°. *Scriptura sacra.* — a) Omnia testimonia e quibus eruitur potestas magisterii et imperii ad Apostolos sunt directa et ad eorum successores; atqui soli episcopi sunt successores Apostolorum, et eorum plenariam potestatem in hæreditatem acceperunt; ergo soli episcopi, exclusis presbyteris, potestatis docendi et regendi sunt compotes. — b) Insuper nullus textus, nullum verbum ex Scriptura profertur, ex quo sequitur, Christo sic res disponente, presbyteros hac potestate indutos fuisse; ergo, saltem ex hac parte, constat presbyteros jure divino et proprio nec magistros nec reges esse in Ecclesia.

Prob. 2°. *Traditione*, ac — A) primum quidem *praxi constanti et universa Ecclesiæ;* quoad potestatem magisterii, omnes enim norunt a concilio hierosolymitano usque ad præsentem ætatem plusquam sexcenta celebrata fuisse concilia, sive generalia sive particularia, in quibus sedere et docere solent magistri fidei; porro in istis conciliis presbyteri nominatim non fuerunt convocati, sed soli episcopi; in permultis abfuerunt; si quando fuerunt admissi, pluries a deliberatione et subscriptione repulsi sunt, ut in concilio Lugdunensi II, anno 1274, ex quo sacerdotes, qui nominatim convocati non fuerant, ejecti sunt: et in concilio Tridentino cujus Patres vocem deliberativam D. Soto, celebri theologo concedere noluerunt; — vel si quando quidam presbyteri subscripserunt, usi sunt modo speciali, a forma episcopis consueta diverso: sic episcopi subscribebant: *Ego N. definiens vel judicans subscripsi;* presbyteri vero simpliciter: *Ego N. subscripsi;* qua formula indicatur episcopos definire tanquam potestate gaudentes, presbyteros autem rem definitam obe-

dienter accipere. — Tandem non omnes presbyteri ad subscriptionem admittebantur, verum ii duntaxat qui ab episcopis erant deputati; eos representabant, ac eorum nomine subscribebant. — Quoad potestatem imperii eadem argumentatio institui potest, nam in conciliis sive generalibus sive particularibus, non solum agebantur negotia circa fidem, sed etiam circa disciplinam, et non magis ad posteriora cooperati sunt proprio jure presbyteri quam ad priora. — Insuper ex canonibus fere numero infinitis ex quibus componitur legislatio ecclesiastica, ne ullus datur, qui, non ab episcopis conditus, e presbyteris proveniat. — Ergo ex praxi Ecclesiæ constat presbyteros non esse participes potestatis magisterii et imperii.

— B) *Ex testimoniis Concil. et S. Patrum*, ete. Ex congerie testimoniorum quibus eruitur episcopos superiores esse presbyteris, facile etiam probatur istos presbyteros ea potestate magisterii et imperii qua pollent episcopi omnino destitui. Sic legitur in Constitutionibus Apost. l. 2, c. 26 : « Qui episcopus est... hic princeps et dux vester » est; hic vester rex et dynaster; hic vobis post Deum ter- » renus Deus, cui honorem debetis præstare, de eo quippe » et de similibus aiebat Deus : *Ego dixi dii estis, et filii* » *excelsi omnes, et diis non* maledices. Igitur episcopus » vobis præsideat tanquam Dei dignitate condecoratus, » ob quam clero præest et plebi universæ imperat. » *Cotel.* Porro, episcopus non diceretur rex, dynaster, Deus, si æqualem haberent potestatem presbyteri quibus præsunt episcopi. Quamvis ille textus non sit omnino authenticus, saltem uti antiquissimus Ecclesiæ primævæ sententiam exprimit.

In Synodo Ephesina Episcopi Ægyptii petunt foras ejici omnes qui charactere episcopali non sunt insigniti : « Petimus superfluos foras mitti. Synodus episcoporum » est, non clericorum. » *Labbe, tom.* IV, *col* III. S. Avitus, episcopus Viennensis, anno 517, in epistola pro convocatione ad Concilia Hispaniarum idem agnoscit : « Ubi » clericos, prout expedit compellimus; laicos permittimus » interesse, ut ea quæ a solis pontificibus ordinata sunt

» et populus possit agnoscere. » *Hardouin*, tom. II, col. 1046.

Prob. 3° *Ratione theologica.* — A) Procul pellendum est systema ex quo sequeretur Ecclesiam a constitutione Christi genuina semper fuisse alienam; atqui si supponatur Presbyteros jure proprio possidere potestatem magisterii et imperii, sequitur ex primæva ætate Ecclesiam declinatam esse a constitutione Christi, nam Presbyteri, uti modo vidimus hanc potestatem nunquam exercuerunt, et etiam eis tanquam propria denegata est. Ergo...

— B) Presbyteri nunquam sibi potestatem docendi ac regendi Ecclesiam vindicaverunt; atqui si revera a Christo Domino hanc potestatem accepissent, incredibile esset eos non voluisse vel non potuisse hujus potestatis legitimæ exercitium obtinere, et semper eos tyrannide et injusta dominatione episcoporum fuisse detentos, dum a multis sæculis eis numero præstent presbyteri. — Ergo...

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Plurima Scripturæ sacræ verba quibus fundatur auctoritas controversias circa fidem judicandi, non minus presbyteris quam episcopis conveniunt, v. g.: *Quæcumque alligaveritis super terram*, Matth. XVIII, 18. *Qui vos audit, ... Dedit quosdam apostolos .. quosdam pastores et doctores.* Ergo.

R. Distinguo ant. Quædam ex prædictis testimoniis non minus presbyteris quam episcopis conveniunt, in aliquibus, nempe in his quæ ipsis cum episcopis sunt communia, v. g., baptizare, prædicare, offerre Eucharistiam et pœnitentiam administrare, *concedo ant.;* conveniunt in omnibus et eodem modo, *nego ant.* Etenim quædam sunt ita propria episcopis ut presbyteris non conveniant, fatentibus adversariis, qualis est potestas confirmandi, ordinandi, sententias depositionis ferendi. Hæc tamen episcoporum potestas in iisdem supradictis textibus specialiter fundatur, et ex perpetuo Ecclesiæ usu ac constanti

traditione concluditur eam solis episcopis competere. Porro non minus constat, ex praxi et usu Ecclesiæ, auctoritatem judicandi et controversias circa fidem dirimendi ad solos episcopos pertinere. Ergo.

Inst. 1° Nomen episcopi communiter tribuitur in Scriptura presbyteris et episcopis; v. g., Act xx, 28, Paulus vocavit majores natu Ecclesiæ Ephesinæ et eis dixit: *Attendite vobis*, etc. Unicus esse poterat episcopus Ephesi: igitur majores natu erant presbyteri. Philip. I, 1, B. Paulus loquitur *sanctis qui sunt Philippis, cum episcopis et diaconibus;* unicus pariter debebat esse episcopus in illa civitate, et Apostolus non omisisset presbyteros, si illos sub nomine episcoporum non designasset, etc. Ergo eadem auctoritate ac episcopi donantur presbyteri ad docendum, sicque ad judicandum de fide.

R. 1° Si præmerentur hæc argumenta, sequeretur nullum dari discrimen inter episcopos et presbyteros: atqui novatores quos hic impugnamus hanc sequelam non admittunt: ergo prædicta argumenta nihil probant.

R. 2° *Nego ant.* Episcopi pluries vocantur in Scripturis sacerdotes aut presbyteri; verum non ita constat simplices presbyteros per nomen episcopi designatos esse: vocavit quidem Apostolus majores natu Ecclesiæ ab Epheso, et eos appellat episcopos. Hinc recte infertur episcopos vocari posse majores natu vel seniores: at non sequitur presbyteros dici posse episcopos. Tunc enim non solus episcopus Ephesinus, sed alii viciniores potuerunt simul B. Paulum adire Miletum: et merito idem Apostolus illis dicere potuit: *Attendite vobis*, etc. Hæc itaque verba de solis episcopis sunt intelligenda, prout ea de facto intellexerunt patres concilii Tridentini, sess. 32, de Ordine, c. 4; similiter et abbas *de Saint-Cyran*, ac quatuor episcopi qui primi a Constitutione *Unigenitus* ad futurum generale concilium appellaverunt. Ergo.

R. 3° *Nego conseq.* Etiamsi concederetur nomen episcopi in Scripturis commune esse ipsis episcopis et presbyteris, non sequeretur episcopos presbyteri superiores non esse; in usu enim civili, sub communi nomine omnes

magistratus designantur : attamen alii sunt aliis superiores : ergo *a pari*, etc.

Insuper, Epist. B. Pauli quæ *ad Philippenses* inscribitur, juxta plures, non tantum directa est ad eos qui habitabant Philippis, sed ad vicinas quoque civitates in quibus erant Episcopi cum diaconis. Sæpe tunc temporis nullus erat presbyter in ecclesiis, sed episcopi duntaxat quibus serviebant diaconi, et tot erant episcopi quot civitates. *Vide* Estium in hunc locum. Ergo.

Inst. 2° Illi pares sunt episcopis qui alios presbyteros et etiam episcopos ordinabant : atqui simplices presbyteri alios, etc., ut patet ex verbis B. Pauli, I Tim. IV, 14 : *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi... cum impositione manuum presbyterii*. Ergo.

R. Nego min. Sæpe enim episcopi, ut jam diximus, vocantur presbyteri ; quando autem de consecrando episcopo agitur, ex antiquissimo usu Ecclesiæ plures episcopi manus imponunt, licet unus sacramentum conficiat : ergo ibi forte agitur de episcopis qui, in ordinatione Timothei, cæremoniam manuum impositionis impleverunt.

Et revera, Apostolus per impositionem manuum *presbyterii*, hic propriam manuum suarum impositionem exprimere intendit ; nam in Epistola secunda, I, 6, ad eumdem Timoth. dicit : *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum*. Ergo.

Obj. 2° In concilio Hierosolymitano simplices presbyteri sederunt et judicarunt, ut patet ex Act. XV, 2 : *Statuerunt ut ascenderent Paulus et Barnabas... ad Apostolos et presbyteros in Jerusalem :* et ℣. 23 : *Apostoli et seniores fratres, his qui sunt Antiochiæ*, etc. Ergo.

R. Nego ant. Nam ut vera esset propositio objecta, probandum foret — a) vocem *presbyteros* tam sacerdotes quam episcopos significare ; — b) simplices sacerdotes non tantum sedisse, sed etiam judicasse ; — c) judicasse ex jure proprio, non ex solo privilegio : at tria hæc probari nequeunt. Ergo,

Constat voces *presbyteros* et *seniores* non raro designare episcopos. Sic B. Joannes, secunda et tertia Epist. I, 1, seip-

sum vocat seniorem. B. Paulus ad Titum, 1, 5: *Reliqui te Cretæ, ut... constituas per civitates presbyteros;* et statim subjungit, ℣. 7: *Oportet enim Episcopum sine crimine esse.* Ergo illæ voces, *presbyteri*, *seniores*, non semper sacerdotes secundi ordinis designant.

Præterea, vox apud nos usitata, *clerus*, episcopis et presbyteris est communis: attamen sæpe, ex circumstantiis et absque ullo addito, solos episcopos designat, v. g., quando dicitur comitia cleri Gallicani, clerus Gallicanus has aut illas propositiones damnavit: ergo *a pari*, etsi voces istæ *seniores*, *presbyteri*, sacerdotibus primi et secundi ordinis sint communes, possunt tamen ex circumstantiis solos episcopos designare: porro, ex omnium sæculorum traditione et universa praxi Ecclesiæ, constat ad solos episcopos pertinere de fide judicare: ubi ergo legitur seniores aut presbyteros circa fidem aut mores judicasse, dicendum est illos fuisse episcopos.

Obj. 3° Sacerdotes secundi ordinis, et præsertim parochi, jure divino deputantur ad docendum; at auctoritas quæstiones circa fidem judicandi annexa est potestati institutæ ad docendum: ergo.

R. Dist. maj. Sacerdotes secundi ordinis, et præsertim parochi jure divino deputantur ad docendum, sed dependenter et auctorite limitata, et quantum ad institutionem ipsius sacerdotii, *conc.;* absolute et primaria auctoritate, *nego maj.* Similiter distincta minore, *nego conseq.* Itaque fatemur sacerdotes secundi ordinis specialiter a Deo fuisse institutos ut docerent, sacramenta administrarent, etc., sed non nisi dependenter et limitata auctoritate, ut toto traditionis decursu constat et adversarii fatentur. Porro ex traditione non minus constat jus controversias circa fidem dirimendi eis solis competere qui absolutam habent potestatem docendi et Ecclesiam Dei regendi: ergo.

Obj. 4° Simplices sacerdotes deputari possunt ab episcopis, et tunc conciliis admittuntur, cum episcopis sedent ac judicant; duo sacerdotes Romani ex delegatione summi Pontificis, concilio Nicæno I cum celebri Osio

præfuerunt; religiosorum ordinum generales et abbates, Cardinales presbyteri, ex usu in conciliis sedent ac judicant. Ergo.

R. 1° Ex hoc argumento concludendum foret non solum presbyteros, sed et diaconos controversiarum fidei esse judices; nam diaconi ab episcopis deputari possunt, et revera pluries in conciliis admissi sunt: atqui nolunt adversarii diaconos controversiarum fidei esse judices: ergo.

R. 2° *Nego conseq.* Nihil enim ex his factis adversus propositionem nostram concludi potest; contendimus enim simplices sacerdotes non esse jure divino controversiarum fidei judices: at prædicta facta contrarium non probant, ut patet, sed tantum monstrant episcopos per sacerdotes aut diaconos repræsentari posse.

Constat autem hujusmodi delegatos non nisi ex speciali concessione in conciliis sedisse ut consultores, et vocem deliberativam non habuisse; concilium Tridentinum hanc facultatem ipsis denegavit; vix obtentum est ut suffragia trium abbatum Cassinensium pro unico computarentur. *Palavic.* l. 6, c. 2. Ergo.

Quoad abbates et generales ordinum, nonnulli arbitrantur suffragia illorum vim consultationis tantum habuisse, non autem vim deliberationis et judicii. Communius docetur, si agatur de conciliis generalibus, eos esse convocandos et habere suffragium decisivum, sed ex consuetudine ac privilegio, non vero ratione dignitatis, quæ non a Christo, sed ab Ecclesia tantum fuit instituta. In conciliis vero particularibus, non habent suffragium decisivum, nec etiam necessario convocari debent, nisi habeant, quod aliquando accidit, jurisdictionem quasi episcopalem. Vide *Ferraris*, v° *Concil.*, art. 1, n. 30.

Inst. 1° Potestas de fide judicanda a solo Deo pendet: nemini ergo ab Ecclesia conferri potest.

R. Nego conseq. Etenim tota jurisdictio ecclesiastica a solo Deo pendet: attamen singuli episcopi eam delegare possunt: potestas autem de rebus fidei judicandi ad jurisdictionem Ecclesiasticam pertinet: ergo non repugnat

eam simplicibus presbyteris ab Ecclesia conferri posse.

Inst. 3° Qui habent facultatem de fide judicandi, privilegii infallibilitatis fiunt participes : at repugnat Ecclesiam privilegium infallibilitatis alicui conferre : ergo.

R. Dist. maj. Qui habent facultatem... privilegii infallibilitatis fiunt participes, id est, cooperantur infallibili sententiæ, *concedo;* ipsi infallibilitatis fiunt realiter participes, *nego maj.* Etenim privilegium infallibilitatis non omnibus individuis, sed Petro ejusque successoribus et corpori episcoporum capiti suo conjunctorum fuit promissum. Unde, hæc sola sententia est infallibilis, quæ a Romano Pontifice ex cathedra definiente, vel quæ nomine episcoporum cum capite suo conjunctorum fertur.

Verum accessio quorumdam cardinalium non episcoporum, abbatum aut generalium ordinum regularium ex privilegio subscribentium, non impedit quin sententia nomine episcoporum feratur.

Nullus est locus timendi ne presbyteri in nimio numero admissi episcopis prævaleant; cum enim vocem deliberativam habere non possint nisi ex libera episcoporum concessione, nunquam in majori numero admittentur. Aliunde, vel episcopis consentirent, vel non. Si prius, nulla difficultas; sententia esset episcoporum : si posterius, tunc decretum ut legitima fidei definitio non haberetur. Ergo.

Quæritur quo fundamento simplices presbyteri delegari possint ad judicandum de fide.

R. Juxta communem theologorum sententiam sic ratiocinandum est : Ex pluribus factis constat simplices presbyteros aliquando suffragium decisivum habuisse in conciliis, sed nunquam nisi ex speciali conciliorum vel summi Pontificis concessione : proprio igitur titulo non sunt fidei judices, sed ex commissione tales fieri possunt. Inde concludunt eos capacitatem judicandi in ordinatione sua accipere. Rem illustrant exemplo : Soli episcopi sunt ordinarii ministri sacramenti Confirmationis : attamen presbyteri, ex delegatione seu ex commissione summi Pontificis, valide et licite illud sacramentum administrare

possunt : ergo in ordinatione sua quamdam facultatem circa hoc sacramentum accipiunt : similiter dici potest eos certam judicandi capacitatem in ordinatione accipere.

Imo et diaconi hujusmodi capacitatem accipere videntur; nam ad sacram hierarchiam pertinent, et aliquando sederunt in conciliis ac suffragium dederunt, v. g., cardinales diaconi. Ergo. At privilegium istud ab Ecclesia concedi non posset subdiaconis et aliis clericis, quia de hierarchia non sunt. *Ita communiter theologi.*

Corollarium primum. Sequitur ex dictis simplices presbyteros, quavis dignitate insignitos non esse necessarios episcopi consultores in regimine et educatione diœcesis. Convenit quidem episcopos, ut mos est, nonnullos sibi adjungere sacerdotes scientia et prudentia conspicuos, quorum exposcunt consilium, præsertim in rebus alicujus momenti, v. g., in controversiis circa fidem, in confectione statutorum, in exercenda jurisdictione contentiosa, etc. At validitas sententiæ, legum aut fidei decisionis ab istius modi consultationibus non pendet; tota enim potestas docendi, gubernandi et judicandi in solis episcopis residet, et ad presbyteros, jure proprio, minime pertinet.

Corollarium secundum. Cum presbyteri nullatenus sint participes potestatis plenariæ magisterii et imperii in Ecclesia, ac non pertineat ad eos publicum Ecclesiæ regimen, a fortiori, Diaconi, et ministri inferiores hujus jurisdictionis non sunt compotes. Diaconi et alii ministri, ad quos non spectat etiam jurisdictio fori interni ex se nihil aliud habere videntur nisi potestatem ordinis. Olim quidem eorum erat negotia temporalia Ecclesiarum pertractare; sed hoc munus essentialiter, et ex institutione divina ad eos non pertinebat; nam longo a tempore hoc officiis non funguntur.

§ III. — De transmissione potestatis in Ecclesia, et de lege successionis.

1. De transmissione potestatis. — Sub lege mosaica, sacerdotium jure hæreditorio a patre ad filium transmittebatur in tribu Levitica et in Aaronica familia, sub lege nova autem sacerdotium et ecclesiastica potestas nondum juxta hunc modum carnalem traduntur. Cum duplex sit in Ecclesia potestas et duplex hierarchia, duplex etiam modus instituitur eam transmittendi.

1° *Potestas ordinis* transfertur per consecrationem, seu sacramentum ordinis quo imprimitur indelebilis character. Hæc consecratio pluries commemoratur in sacris litteris : sic Diaconi electi in suum ministerium per impositionem manuum cooptantur. *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, et orantes imposuerunt eis manus.* Act. VI, 6. — Item Paulus et Barnabas in opus apostolicum segregati assumuntur : *Tunc jejunantes et orantes, imponentesque eis manus.* Act. XIII, 3. — Ipsique vice sua eodem modo pro singulis Ecclesiis seniores consecrant. *Et cum constitissent illis per singulas Ecclesias presbyteros, et rogassent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino.* Ibid. XIV, 22. Eadem impositio manuum et consecratio in Epistolis ad Thimotheum et Titum commendatur. — Traditionis monumenta tradunt modum quo in primæva Ecclesia fiebat ista consecratio, et speciatim describitur in tractatu Ordinis. Hic vero in memoriam citantur solummodo Constitutiones Apostolicæ, quæ ritus prioris ævi describunt; S. Dionysius Areopagita qui, in Divina et Ecclesiastica Hierarchia, pulchre sacras ordinationes, quibus clerici consecrantur, enumerat; concilium Carthaginense, anno 398 celebratum, in quo exprimuntur ritus multiplices ordinationum quos usque adhuc retinuimus; tandem hæc lex vetustissima ex Canonibus Apostolicis : « Episcopus a duobus vel tribus episcopis » ordinetur, » testatur pariter a vetustissimo more, ad Christum scilicet referendo, potestatem ordinis per sa-

cram ordinationem et consecrationem conferri et transmitti.

2° *In Hierarchia jurisdictionis* ut quis locum obtineat, non sufficit sacra ordinatio, sed requiritur etiam missio seu institutio a superiore tradita. Sic sacerdotes, qui tantum jurisdictionis fori interni sunt capaces, eam exercere non valent nec licite nec valide nisi mittantur ab Episcopis. — Si vero agatur de Episcopis hæc missio speciatim dicitur institutio canonica. Ista institutione a superiore, id est a summo Pontifice, juxta regulas juris facta, episcopo confertur plenaria episcopalis jurisdictio in sede assignata exercenda. Hæc institutio rationi bene consentanea est; nam in societate recte ordinata nullus sibi assumit honorem et potestatem, sed ad ministerium quodvis implendum, a superiore in quo residet plena auctoritas deputatur. Hæc institutio insuper qua jurisdictio episcopalis intra limites diœcesis assignatæ coactatur valde necessaria est; nam, cum episcopi ex ordinatione sint æqualis potestatis, omnes ubicumque indiscriminatim eam potestatem possent exercere, quod nonnisi inordinate fieret. Aliunde, ex hac institutione unitas Ecclesiæ mirabiliter procuratur, nam eo vinculo diœceses una vinciuntur et ad sedem principalem in unum conspirant; ex omnibus provinciis ecclesiasticis fit unum regnum sub regimine unius capitis institutum. Tandem convenit ut potestas hac institutione collata non sit inamissibilis, sicut character episcopalis, nam fieri posset, ut Ecclesia Dei regeretur ab hæreticis et schismaticis, si quidam episcopi in hæresim aut schisma dilaberentur. — Ubi de summo Pontifice amplius videbitur de legitimate et antiquitate hujusce institutionis.

II. De lege successionis. — 1° Quoad episcopos lex successionis in eo consistit quod episcopi rite ordinati et instituti, merito succedant iis qui in eadem sede prius sederunt; ita ut ab episcopis hodie Ecclesias regentibus quasi per lineas parallelas ad Apostolos ascendere fas sit. Unde merito episcopi dicuntur successores et hæredes Apostolorum. — Episcopos apostolorum successores esse

multimodis enarraverunt SS. Patres. Sic S. Hieronymus ad Marcellam scribens : « Apud nos Apostolorum locum » Episcopi tenent, » et in Epist. ad Evagrium : « Cæte- » rum, omnes (episcopi) Apostolorum successores sunt. » S. Cyprianus, epist. LXIX : « Apostolis vicaria ordina- » tione succedunt. » Sed notandum est episcopos esse successores et hæredes Apostolorum tantum quoad jura publica quæ ex institutione Christi in Ecclesia erant permansura, non vero quoad jura et privilegia mere personalia. Sic episcopi non acceperunt donum prophetiæ, miraculorum, inerrantiam, confirmationem in fide et sanctitate, quibus insigniti sunt apostoli extraordinarie, et speciatim ad instituendam Ecclesiam. — Pariter singuli episcopi singulis apostolis non succedunt ; quia Apostoli, excepto forsan S. Jacobo, Ecclesiæ Hierosolymitanæ episcopo, sedem fixam et unicam non tenuerunt, sed per provincias deambulabant prædicando, Ecclesias constituendo, eisque præficiendo episcopos. — Solus Romanus pontifex singulariter B. Petro in sede romana succedit et ob hanc causam specialius romana sedes, dicitur sedes et Cathedra Apostolica.

2° Christus Dominus ad opus suum conficiendum non solum Apostolos elegit, sed etiam discipulos alia septuaginta duos assumpsit sibi, quos sacerdotio primum decoravit. *Post hæc autem designavit Dominus et alios septuaginta duos et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus.* Luc x, 1. At quemadmodum Episcopi merito dicuntur Apostolorum successores, sic, saltem quodam sensu, presbyteri septuaginta duorum discipulorum successores sunt. Hanc successionem agnoscit veneranda traditio ; id enim docent Anacletus Pontifex, epist. II ; S. Hieronymus, *ad Marcellam.* V. Beda, *in Lucæ* XV ; imo S. Petrus apud Clementem, epist. I ad *Jacobum, fratrem Domini ;* Theodulsius, Aurelianensis Episcopus ad suæ diœcesis sacerdotes scribens : « Scitote, inquit, vestrum gradum nostro gradui » secundum et pene conjunctum esse. Sicut enim Epis- » copi Apostolorum in Ecclesia, ita nimirum presby-

» teri cæterorum discipulorum Domini vicem tenent.»

Attamen ista successio ab apostolica successione in multis discrepat. Etenim, presbyteri succedunt discipulis Domini eo sensu quo singuli eamdem habent potestatem sacerdotalem quam discipuli a Christo acceperant; Apostoli vero non solum potestatis Apostolorum sunt hæredes, sed etiam simul efficiunt corpus episcopale in quo auctoritas publica Ecclesiæ constituitur, et quod ipsum corpori apostolico succedit. — Insuper, Apostoli sedes instituerunt episcopales, et ex eis, qui has sedes occupaverunt, series episcoporum efficiuntur quæ ab hodiernis diebus quasi per lineas non interruptas ad apostolos ascendimus; nullæ vero sedes fixæ septuaginta duobus discipulis assignatæ sunt, nec eorum successoribus, ita ut ex presbyteris, series successorum effici nequeant quibus constat Ecclesiæ apostolicitas.

Utrum vero ob hanc successionem, presbyteri, at præsertim parochi, jurisdictionem immediate accipiant a Christo, non autem ab episcopis, quod theologi gallicani, inter quos *Habert, de ordine*, 6, *Collet, de ordine*, 1; *confér. d'Angers, de la Hiérarchie*, acriter contendunt adversus Bellarminum, quæstionem hic agitare non intendimus.

ARTICULUS TERTIUS.

DE EO QUI IN ECCLESIAM UNIVERSALEM JURISDICTIONEM HABET, SEU DE SUMMO PONTIFICE.

De primatu in Ecclesia. — Præter Christum, caput quidem supremum Ecclesiæ, ut ait Apostolus, Coloss. I, 18, sed invisibile, aliud necessario in Ecclesia existere debet, ut vices Christi gerat super terram, et visibilem primatum in tota Ecclesia teneat. Unus unquam, Romanus, pontifex scilicet, sibi talem primatum adscripsit, et quo jure infra videbimus.

Primatus autem duplex esse potest, scilicet alius honoris et alius jurisdictionis. Primatus honoris ille est quo

aliquis primum locum inter cæteros obtinet, sed absque ulla superiori potestate, qualis est, v. g., præses in cœtu deliberante ex æqualibus membris composito. Primatus jurisdictionis ille est quo aliquis non solum in cœtu primum locum obtinet, sed reipsa aliis superior constituitur et supremam habet potestatem.

Primatus potest iterum vel esse tantum juris ecclesiastici, ut in archiepiscopis, primatibus et patriarchis; vel juris divini, si ab ipso Christo fuerit institutus. Schismatici et hæretici non ægre concederent pontifici Romano quemdam honoris primatum, vel etiam admitterent illum superiorem aliquam olim habuisse jurisdictionis potestatem, sed tantum juris ecclesiastici, quam deinceps Ecclesia ab eo auferre potuit. Ita sentiunt Græci, qui pontifici Romano subjecti fuerunt usque ad tempora patriarchæ Photii, circa annum 887. Catholici vero unanimiter contendunt Romanum pontificem semper habuisse jure divino primatum, non tantum honoris, sed jurisdictionis, in tota Ecclesia.

Ut autem ab exordio rerum ad consectaria descendamus per triplicem paragraphum dicemus 1° de transmissione summæ potestatis a Christo usque ad Romanum pontificem; 2° de natura primatus seu potestatis pontificis Romani; 3° de consectariis et proprietatibus hujusce primatus.

§ I. — De transmissione summæ potestatis a Christo ad Romanum pontificem.

Invicte demonstrabitur Romanos pontifices jure quidem in Ecclesia primatu gaudere si extra dubium situm sit Christum B. Petrum vero primatu donasse; hunc primatum ex institutione Christi post Petri mortem duraturum esse; et tandem pontifices Romanos, tanquam B. Petri successores, esse ejusdem primatus honoris et jurisdictionis hæredes. Porro hæc tria per partes aggredimur et probamus.

I. De Primatu Petri. In odium Romani pontificis au-

dacter negaverunt protestantes Christum aliquam concessisse B. Petro auctoritatem supra alios Apostolos : unde inferunt episcopum Romanum nihil supra alios episcopos ratione suæ sedis habere. Quidam alii novatores, Janseniani quidem et a Jansenianis laudati, prætenderunt æqualem potestatem collatam fuisse Petro et Paulo. Hunc errorem dicimus vernacula lingua *Hérésie des deux Chefs;* contra quos omnes sit

PROPOSITIO.

Beatus Petrus accepit a Christo præeminentiam auctoritatis seu primatum supra omnes apostolos.

Hæc propositio probatur tum Scriptura Sacra tum Traditione.

Probatur 1° *Scriptura sacra.* Ex multis enim textibus et momentis e novo testamento depromptis liquidum est Christum multis distinctionibus B. Petrum ad primatum præparasse; — postea eumdem primatum speciatim promisisse; — dein eum reipsa donasse; — et tandem B. Petrum vel hunc primatum exercuisse, vel ab aliis apostolis tanquam præsidem fuisse habitum.

— A) *Præparatio primatus.* Præparatio primatus B. Petri perspicitur ex multiplicibus prærogativis aut distinctionibus quibus a Christo fuit insignitus. Inter istas distinctiones memorentur sequentes : — a) Impositio novi nominis. Andreas primus viderat Jesum venit ad fratrem suum Simonem, et dixit illi : *Invenimus Messiam... et adduxit eum ad Jesum. Intuitus autem eum Jesus, dixit : Tu es Simon, filius Jona; tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Joan. I, 41, 42. — Circa hanc impositionem nominis notandum est, quod nomen impositum a Deo sit indicium vel futuræ missionis, vel eximiæ prærogativæ, sint in exemplum Abraham et Israel ; — quod istud nomen Petrus aut lapis, sive in veteri, sive in novo Testamento (Is. XXVIII, 16; I Epist. B. Petr. II, 4; Rom. IX, 32, 33), applicetur Christo, tanquam principi

Ecclesiæ considerato, unde quando Christus idem nomen B. Petro imponit, ejusdem dignitatis eum participem efficere videtur; — quod tandem soli Petro nomen ejus generis, et semper retinendum indiderit. — b) Huic prærogativæ adde, quod Christus pro se et pro solo Petro tributum solverit; quod pro eo solo oraverit, ne fides ejus deficiat; quod ejus pedes primum lavaverit; quod sæpissime eum solum fuerit allocutus, v. g. quando dixit : *Duc in altum et laxate retia*, Luc v, 4... *Ex hoc jam homines eris capiens*, ibid., 10, etc. — Ex his omnibus recte judicatur Christum præparare voluisse Petri futurum primatum, præsertim si notetur Petrum nihil in se habuisse e quo meruerit hos favores.

— B) *Promissio Primatus.* Post celebrem divinitatis Christi confessionem, Petrum sic allocutus est Filius Dei : *Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, et dabo tibi claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram erit solutum et in cœlis.* Math. xvi, 17. Unde sic : Fundamentum ædificii aliquem constituere, claves regni ei dare sunt voces metaphoricæ collationem auctoritatis et regiminis significantes. Etenim fundamentum in ædificio est sicut rector in civitate, dux in exercitu ; claves item semper fuerunt symbolum auctoritatis et dominii. Porro, Christus B. Petro, verbis supra allatis promittit se illum constituturum fundamentum ædificii ecclesiastici; nam illæ voces : *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus et super hanc petram*, prima fronte et naturali sensu de persona Christi intelliguntur : pronomen istud *hanc* manifeste ostendit vocem *Petram* ad Petrum immediate antecedentem esse referendam. In lingua hebraica, chaldaica et syriaca, non est mutatio generis, sed idem habetur ac si diceretur : *Tu es lapis et super hunc lapidem.* Hujus vera promissionis verba apprime concordant impositioni nominis Cephæ seu Petri, de

quo jam diximus. — Pariter Christus promittit se Petro *claves* prestiturum, et quidem regni cœlestis. Soli namque Petro Christus dixit : *Tibi dabo claves regni cœlorum :* statim addidit : *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis.* Ex toto contextu patet Christum quamdam prærogativam B. Petro concedere voluisse, in præmium insignis confessionis qua præ cæteris exclamaverat : *Tu es Christus Filius Dei vivi* : ergo.

— C) *Collatio Primatus.* Apud S. Joannem XXI, 15, legitur : *Dicit Simoni Petro Jesus : Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei : Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei ; Pasce agnos meos. Dicit ei iterum : Simon Joannis, diligis me Ait illi : Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos. Dicit ei tertio : Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus quia dixit ei tertio, Amas me? et dixit ei : Domine, tu omnia nosti : tu scis quia amo te. Dixit ei : Pasce oves meas.* Unde sic : Ut ex illo textu merito concludatur beatum Petrum eminentem potestatem jurisdictionis accepisse a Christo, duo sufficiunt, scilicet, ut per *agnos* et *oves* omnes intelligi debeant fideles, et vox *pasce* veram exprimat jurisdictionem : atqui hæc duo constant. — a) Per *agnos* et *oves* omnes intelligi debent fideles, pluries enim Christus se designat tanquam pastorem, et Ecclesiam velut ovile : unus est Christus, igitur unus pastor et unum ovile : ergo omnes fideles sunt oves Christi. — b) Vox *pasce* veram exprimit jurisdictionem, et idem est ac si diceretur : Rege, duc, guberna; talis est enim naturalis sensus vocis græcæ ποιμαίνε; et insuper eo sensu vox *pasce* sumitur, quoties ad populum applicatur : v. g., II. Reg. V, 2, sic inducitur Deus loquens ad David : *Tu pasces populum meum Israel, et tu eris dux super Israel.* Ps. LXXVII, 70 : *Et elegit David servum suum... pascere Jacob servum suum, et Israel hæreditatem suam.* Certe in his casibus vox *pascere* significat regere, ducere, gubernare ; sic et quando Jesus dixit Petro : *Pasce agnos meos : pasce oves meas ;* ergo, etc. ; aliunde, etc. Ergo. Unde illustrissimus *Bossuet, Sermon sur l'unité de l'Eglise,* 1^er^ *point :* « C'est à Pierre

» qu'il est ordonné premièrement, d'aimer plus que tous » les autres Apôtres, et ensuite de paître et gouverner » et les agneaux et les brebis, et les petits et les mères, » et les pasteurs mêmes : pasteurs à l'égard des peuples, » et brebis à l'égard de Pierre, ils honorent en lui Jésus- » Christ. »

— D) *Exercitium primatus.* Ex fere innumeris testimoniis apparet B. Petrum exercuisse verum primatum etiam in alios discipulos; et ex aliis apostolos et fideles nascentis Ecclesiæ hunc primatum agnovisse. — a) Ipsemet Petrus supremam potestatem exercuit; jam ante ascensionem Domini ubique primarias partes obtinet. Primus apparet confitendo Christi divinitatem; primus in affirmando suam erga Christum dilectionem; primus inter omnes semper nominatur, legitur enim apud Matth. x, 2: *duodecim Apostolorum, nomina hæc sunt : primus Simon qui dicitur Petrus et Andreas, frater ejus.* Et ibidem xvii, 1 : *assumit Jesus Petrum et Jacobum,* etc., etc. Marc. iii, 16; ix, 1; xiv, 33 et xvi, 7. Luc, vi, 14; viii, 45, 51; ix, 20, et xxxii, 8, Joan. xxi, 2. Act. 1, 13; ii, 37; iii, 1. Primus Petrus inter Apostolos in sepulcrum Christi introivit, licet præcucurrerit Joannes; primus cui Christus resurgens apparuerit : *Visus est Cephæ et post hoc undecim,* I ad Corinth, xv, 5. — b) Post vero ascensionem Domini videtur plenam exercere auctoritatem, in diversis Apostolorum congregationibus primus loquitur; sive agatur de nominatione Apostoli in locum Judæ Iscariotæ *Act.* i, 15; sive de abrogatione observantiarum, primus quidem sententiam proponit; omnes assentiunt. — Primus, e cœnaculo egrediens alloquitur Judæos, primosque fideles ad Christum adducit, et Ecclesiam Hierosolymitanam instituit. Primus, post visionem propheticam, in Ecclesiam introducit Cornelium centurionem et cum eo gentiles. Primus exercet potestatem judicialem, morte afficiens Ananiam et Sapphiren, Simonemque Magum anathematizans. Primus tandem et pluries sermonem habuit ante præsides et judices ut fidem in Christum confiteretur et defenderet.

— E) *Acceptatio primatus.* Apparet etiam Petrum legitimum exercuisse hunc primatum ex gestis et assensu omnium Apostolorum qui sponte primas partes Petro committunt. Ac primum id patet ex visitatione B. Pauli ad eum. B. Paulus recens conversus Jerosolymam proficiscitur, et quamvis plures tunc ibi degerent Apostoli, causam sui itineris sic indicat, Gal. I, 18: *Veni Jerosolymam videre Petrum, et mansi apud eum diebus quindecim.* Tandem B. Petri denuntiat primatum agenda ratio tum fidelium, tum judæorum. Fideles ad Petrum confugiunt ut fidem et remissionem peccatorum obtineant, *Act.* II, 37; Judæi Petrum inquirunt, et pœnis afficiunt, quasi eum perdendo novam religionem diluunt. *Herodes* enim *ut placeret Judæis, apposuit ut apprehenderet et Petrum.* Act. XII, 3. Impossibile est B. Petrum casu fortuito et sine causa primum locum sic constanter obtinuisse: atqui alia causa insignis hujus distinctionis assignari non potest præter primatum auctoritatis; non erat enim major ætate; non primus vocatus, sed Andreas, frater ejus, ætate provectior, juxta omnes SS. Patres, primus fuit vocatus, Joan. I, 40; Petrus non erat *ille discipulus quem diligebat Jesus;* nulla ratione constat illum præ cæteris virtutibus et sanctitate fuisse præditum; constat e contra illum solum jurando et blasphemando Christum negasse. Ergo distinctionis qua eminet B. Petrus non alia datur causa sufficiens nisi primatus legitima acceptus, et exercitus; aliunde, etc. Ergo...

2°. *Prob. traditione.* Hocce posterius argumentum petitur tum ex testimoniis SS. Patrum, tum ex usu Ecclesiæ.

— A) *Ex testimoniis SS. Patrum.* SS. Patrum quasi innumeri textus citari possent, quibus sole clarius eminet primatus auctoritatis B. Petri. Inter eos alii varie commentati sunt verba quibus continentur hujus præeminentiæ præparatio, promissio vel collatio; alii primatum simpliciter asserunt quasi ab omnibus notum et a nemine inficiendum. Inter græcos et latinos nonnullos citare oportet.

Origenes, hom. 2, de diversis, appellat S. Petrum, « Summum Apostolorum verticem. »

Eusebius in Chron. ad an. 14: « Petrus Apostolus natione » Galilæus et Christianorum pontifex primus. » Non dicit illum esse Romanorum sed Christianorum pontificem; vocat e contra Jacobum Iersolymarum pontificem.

Basilius, serm. de Peccato, sic de Petro loquitur: « Ille » Petrus omnibus discipulis prælatus, cui majora data » quam aliis sunt testimonia, qui prædicatus est beatus, » cui claves regni cœlestis concreditæ sunt. »

S. Cyrillus Alexandrinus, lib. XII in Joannem: « Præ » aliis, inquit, emicat ille cæterorum caput ac princeps, » et ait: Tu es Christus Filius Dei vivi. »

S. Chrysostomus, Hom. LV in Matth. « Ecclesiæ pastor » et caput est, inquit, homo piscator et ignobilis. »

S. Epiphanius, Hæres. LI, dicit de Christo: « Petrum » discipulorum suorum principem elegit. »

Inter Latinos, Tertullianus in Scorpiaco, cap. X: « Si » adhuc clausum putas cœlum, memento claves ejus hic » Dominum Petro, et per eum Ecclesiæ reliquisse. » At non alia ratione, ait Turnelius, per Petrum Ecclesiæ claves relinquere dici potest, quam quia erat caput ejusdem Ecclesiæ quibus personam repræsentabat.

S. Cyprianus, Epist. LV: « Petrus, inquit, super quem » ædificata ab eodem domino fuerat Ecclesia, unus pro » omnibus loquens, et Ecclesiæ nomine respondens. »

Ambrosius, in cap. XII Epist. II ad Corinth.: « Prima- » tum, ait, non accepit Andreas, sed Petrus. »

S. Augustinus, serm. 76: « Ipse enim Petrus in Apos- » tolorum ordine primus, in Christi amore promptissimus, » sæpe unus respondit pro omnibus. »

— B) *Ex usu Ecclesiæ*. Duo facta ex usu Ecclesiæ Petri primatum denotant, nempe festum cathedræ S. Petri, et præeminentia sedis Ecclesiæ Romanæ, Anthiochenæ et Alexandrinæ.—a) Omnes norunt speciale institutum fuisse festum universale in memoriam cathedræ B. Petri, et istius festi institutionem usque ad prima Ecclesiæ sæcula ascendere, ut videre est apud *Godescard*, ad diem 18 ja-

nuarii : at nusquam tale festum fuit institutum in memoriam et honorem aliorum Apostolorum ; ergo hæc specialis distinctio satis significat Petrum aliis apostolis præfuisse. Vide etiam *Foggini, de Romano divi Petri itinere et episcopatu.* — b) Ab initio Ecclesiæ Romanæ, Antiochenæ et Alexandrinæ aliis præfuerunt dignitate et eminentia, atqui hæc præeminentia provenit ex eo quod fuerint fundatæ per B. Petrum , sive directe sive indirecte, et ab eo suum honorem et primatum obtinuerunt, multis fatentibus Patribus, ergo... Ergo superabundanter tum ex Traditione tum ex Scriptura probatur B. Petrum accepisse a Christo præeminentiam auctoritatis supra omnes alios Apostolos, quod erat demonstrandum.

Solvuntur objectiones.

Ojicitur 1° *adversus hoc argumentum quo probatur Christum præparasse , contulisse B. Petri primatum :* Apostoli inter se disputabant *quis eorum videretur esse major,* Luc. XXII, 24 ; Christus vero eos redarguebat his verbis : *Reges gentium dominantur eorum : ... vos autem non sic...* Atqui non ita disputassent, nec Christus eos sic redarguisset, si unus caput aliorum constitutus fuisset : ergo.

R. Nego min. Nam 1° Apostoli erant adhuc rudes et valde imperfecti , ut patet ex ipsismet Christi objurgationibus ; non mirum est ergo si adhuc disputarent : imo ipsa prærogativa Petro promissa occasionem disputandi forte præbebat ; poterat enim Petrus verba Christi in sui gratiam invocare, Joannes amorem et prædilectionem Domini allegare, Andreas quod natu major esset et prior vocatus ; alii, ut Jacobus, quod essent cognati Domini. Ergo.

2° Increpatio Christi ad Apostolos, inter se sic vane disputantes, non significat nullam futuram esse inter eos hierarchiam nullumque primatum ; nam , eo ipso nulla existere debuisset potestas ecclesiastica nullique pastores : siquidem pastores esse non possunt quin fidelibus sint superiores et aliquo modo eis dominentur. Id unum ergo

significare voluit Christus, scilicet, suos ipsius ministros dominari non debere cum fastu et ostentatione, nec subditis terrorem incutere, sed potius fiduciam et amorem sibi conciliare, humilitatem, mansuetudinem et charitatem in usu suæ potestatis semper demonstrare. Et vero Christus ibidem addit : *Sed qui major est in vobis, fiat sicut minor*; *et qui præcessor est, sicut ministrator :* supponit ergo aliquem superioritatis gradum inter eos existere aut exstiturum esse. Ergo.

Obj. 2° *adversus hoc argumentum quo probatur Petri primatus, ex eo quod Petrus vocetur et super eum ædificetur Ecclesia :* Plures SS. Patres referunt hæc verba *et super hanc petram,* non ad Petrum, sed ad Christum, vel ad fideles, vel ad ipsam B. Petri confessionem de divinitate Christi : ergo falsum est Ecclesiam super Petrum esse fundatam.

R. Nego conseq. 1° Enim pauci SS. Patres prædictum textum in sensu nostro, qui est obvius et naturalis, non intelligunt. 2° Communiter qui alium sensum dictis verbis, *super hanc petram,* pro abundantia rationum assignant, sensum nostrum non excludunt ; illum e contra tanquam primum et genuinum tradunt, et simul alium per allegoriam inveniunt. Ergo.

Inst. 1°. Matth. XIX, 28, Christus ad omnes Apostolos : *Sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* B. Paulus ait loquens ad fideles, Eph. II, 20 : *Superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu,* Apoc. XXI, 14, Apostoli dicuntur *duodecim fundamenta,* scilicet murorum Ecclesiæ : ego duodecim Apostoli perfecte fuerunt æquales.

R. Nego conseq. Nam in his textibus de potestate respectiva Apostolorum non agitur, sed de eorum virtutibus meritis et præmiis, vel de eorum dignitate et ministerio quatenus collective spectantur.

Sic 1° quando Christus dicit ad eos : *Sedebitis et vos super sedes duodecim,* etc., de potestate eorum in Ecclesia non loquitur, sed de eorum statu in cœlo ; sic enim

habet integer textus : *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos,* etc.; hæc igitur verba ad rem non pertinent.

2° B. Paulus declarat fideles esse fundatos et ædificatos super Apostolos, super Prophetas et super Christum : non eodem modo tamen prophetæ se habent respectu Ecclesiæ ac Apostoli, nec Apostoli eodem modo ac Christus, nec omnes Prophetæ eodem modo Christum prædixerunt. Ergo pariter, licet Ecclesia sit fundata super omnes Apostolos, non sequitur omnes æquali jurisdictione pollere.

3° Idem dicendum est de textu Apocalypsis. Duodecim Apostoli appellantur fundamentum murorum Ecclesiæ vel potius Jerusalem cœlestis, comparantur lapidibus pretiosis; sed inter lapides pretiosos alii aliis valde superiores sunt. Similiter ergo et Apostoli diversam habere possunt auctoritatem.

Obj. 3° *adversus hoc argumentum quo probatur B. Petri primatus ex eo quod pascere debeat agnos et oves :* B. Petrus, I Epist. v, 2, sic habet : *Pascite qui in vobis est gregem Dei :* et S. Cyprianus, de Unitate Eccl. : « Episcopatus » unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur. » Ergo Petrus nihil habuit plus quam cæteri Apostoli.

R. Nego conseq. Quando enim primatum B. Petri astruimus, non contendimus hunc Apostolum, esse unicum pastorem, nec dicimus aliorum pastorum Apostolorum et episcoporum auctoritatem ab eo solo derivare : id unum affirmamus, nempe Petrum ea præditum esse pascendi et regendi potestate qua cæteros pastores antecellat, eosque ex divina institutione subditos habeat. Atqui hoc posito, textus objecti nobis minime nocent : non prior; ex eo enim quod alii jure divino præponantur ut populos pascant, non sequitur Petrum non fuisse constitutum eorum superiorem, et specialem non accepisse auctoritatem cunctos generaliter pascendi et populos et pastores : non posterior; nam idem S. Cyprianus, eodem libro, majorem S. Petri auctoritatem his verbis profitetur : « Super illum

» (Petrum) unum Christus ædificat Ecclesiam suam, et » illi pascendus mandat oves suas. » Deinde postquam dixit parem auctoritatem omnibus Apostolis sensu modo exposito datam fuisse, statim subjungit : « Tamen ut uni- » tatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno » incipientem sua auctoritate disposuit. » Si ergo episcopatus sit unus, id intelligendum est de unitate finis quem omnes episcopi sibi proponere debent, de unitate functionum quas omnes pariter exercere debent, de dignitate episcopali quam omnes æqualiter possident; non vero de unitate auctoritatis, eo sensu quod unus aliis superior non existat.

Obj. 4° *adversus hoc argumentum quo probatur primatus Petri ex eo quod ipse exercuerit et alii Apostoli acceperint hunc primatum :* Act. VIII, 14, Petrus ab aliis Apostolis Samariam mittitur ; ibid. XI, 2, a fratribus objurgatur, et, Gal. II, 11, a Paulo corripitur ; atqui superior ab inferiore non mittitur, non objurgatur, non corripitur : Ergo.

Nego min. et resp. ad primum : Miserunt quidem Apostoli Petrum et Joannem, sed ibi agitur de missione quæ fit ex deliberatione et per preces, non vero de missione ex auctoritate et per mandatum : porro ejusmodi missio prærogativis Petri non nocet. Sæpissime primi magistratus qui veram habent auctoritatem super omnes, tanquam legati a civibus eliguntur et ad regem mittuntur ; Ismael, summus sacerdos, a Judæis missus est Romam ad Neronem, Joseph, Ant. lib. 20, c. 7. Ergo.

Ad duo posteriora : una est objurgationis species quæ a superiore tantum fieri potest, nempe quando fit per modum castigationis ; sed alia est objurgatio fraternitatis quæ fit per modum admonitionis : hæc posterior est quidam charitatis actus quo quis, saluti proximi providens, non solum æqualem, verum et superiorem monere ac quodam modo objurgare vel corripere potest : at hujusmodi fuerunt objurgationes fratrum et correptio Pauli erga Petrum. Ergo.

Ins. 1°. II Cor. XII, 11, B. Paulus ait *Nihil minus fui*

ab iis qui sunt supra modum Apostoli. Dixerat, XI, 28, sibi commissam fuisse sollicitudinem omnium ecclesiarum. Gal. II, 7, dicit sibi *creditum* esse *evangelium præputii, sicut et Petro circumcisionis* : atqui hæc verba demonstrant æqualitatem inter Petrum et Paulum exstitisse. Ergo.

R. Nego min. Et ad primum respondeo. B. Paulum, in citato loco, cum Petro se non conferre, sed ministerium suum cum ministerio Apostolorum æquiparare; declarat enim se divinitus a Christo fuisse immediate missum, doctum, et Apostolica potestate donatum, non secus ac cæteri discipuli. Ergo.

Ad secundum; Non ait Apostolus curam omnium animarum sibi commissam fuisse; bene vero omnium ecclesiarum sollicitudine se gravari : sed hæc sollicitudo potuit esse meræ charitatis, non vero ministerii. Præterea, illa sollicitudo intelligi potest de cunctis ecclesiis ab ipso fundatis; erant enim sat numerosæ, ut hyperbolice merito diceret se gravari *omnium ecclesiarum* sollicitudine. Insuper omnes apostoli collective sumpti omnium ecclesiarum curam habebant; unde Joannes, Jacobus et Judas ad omnes ecclesias scripserunt : similiter ergo B. Paulus dicere potuit omnium ecclesiarum sollicitudine se gravari, licet parem non habuerit potestatem cum Petro.

Ad tertium : B. Paulus ait sibi creditum fuisse evangelium præputii, id est gentilium, et B. Petro evangelium circumcisionis, seu Judæorum : at inde non sequitur Petrum Judæis tantum, et Paulum solummodo gentibus prædicare debuisse; nam B. Petrus Cornelium gentilem totamque ejus domum convertit ad Christum et baptizavit, Act. X. Paulus autem Judæis primum verbum Dei annuntiabat, deinde convertebatur ad gentes, Act. XIII, 46 : ergo de speciali quadam missione agitur et de particulari destinatione divinæ Providentiæ, quæ ad hierarchicum ordinem minime pertinebat : sic S. Vincentius a Paulo specialiter dicitur evangelizasse pauperes, et eorum Apostolus vocatur : attamen non tantum pauperes evangelizabat et docebat ; ergo *a pari*, etc.

Inst. 2° Plures sancti Patres docent Paulum æqualem esse B. Petro, et ipsius fratrem. Ergo.

R. Dist. ant. Plures sancti Patres docent Paulum æqualem esse Petro ratione vocationis, laborum, martyrii, fructuum copiæ, meriti ac gloriæ, *con.;* ratione dignitatis et potestatis, *nego ant.* Itaque non diffitemur plures sanctos Patres B. Paulum aliquoties cum B. Petro comparasse et æqualem fecisse, sed sensu modo exposito quod absque dubio fieri potest; at negamus sanctos Patres illum cum Petro comparasse ratione dignitatis et auctoritatis; nullus enim pro hac opinione affertur textus clarus et expressus, dum multi, e contra, proferuntur in quibus suprema B. Petri auctoritas clare exprimitur; et insuper singularis ille primatus tot et tantis argumentis demonstratur, tam constanti traditione firmatur, ut pauca quædam sanctorum Patrum verba illud dogma subvertere nequeant. Ergo.

Romani pontifices sua decreta suasque constitutiones nomine beatorum Petri et Pauli tradunt, eaque auctoritate utriusque Apostoli obfirmant. Verum doctrina sanctæ sedis Romanæ satis nota est ut illæ locutiones benigna interpretatione intelligi debeant; certum est enim illos Pontifices nunquam ambos Apostolos tanquam pares ratione auctoritatis et jurisdictionis habuisse; quando igitur nomine utriusque agunt, id intelligendum est de invocatione ac de patrocinio. Ergo.

II. De Primatu Petri in perpetuum perduraturo. — Nihil ad finem nostrum, videlicet summa auctoritate gaudere Romanos Pontifices, lucrati sumus, si primatus B. Petro concessus fuerit personale privilegium, et cum Petro moriente evanuerit. Sic existimant multi ex Græcis, Anglicanis et Protestantibus, qui licet primatum Petri agnoscentes, illum contendunt soli Petro fuisse concessum et in præmium suæ confessionis. Nos vero asserimus et modo probabimus hocce munus Petro devolutum habere characteres ministerii publici, quod in Ecclesia usque ad ejus consummationem perdurabit; quod exprimit sequens

PROPOSITIO.

Primatus B. Petro concessus in Ecclesia perpetuo durabit.

Probatur hæc propositio Scriptura sacra, Traditione et ratione theologica.

1° *Scriptura sacra.* Percelebris S. Matthei textus sic se habet : *Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Unde sic argumentari datur : Christus promittit Ecclesiam, veluti inexpugnabile ædificium in perpetuum esse asservandum, atqui ædificium in perpetuum immanere nequit quin ejus fundamentum et ipsum inconcussum maneat; ergo fundamentum Ecclesiæ, Petri primatus scilicet, in perpetuum durabit. Itaque ill. *Bossuet, serm. sur l'unité,* sic se habet : « Qu'on ne dise point, qu'on ne » pense point que ce ministère de Pierre finisse avec lui : » ce qui doit servir de soutien à une Eglise, ne peut ja- » mais avoir de fin. Pierre vivra dans ces successeurs, » Pierre parlera toujours dans sa chaire. »

Apud eumdem Matth. legitur XXVIII, 19, 20 : *Euntes, ergo docete... et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Unde sic : His verbis, Christus spondet se servaturum esse usque ad consummationem sæculi totam constitutionem Ecclesiæ quam ipse instituerat; porro hoc promissum emittit coram suis apostolis suis muneribus insignitis, et B. Petro suo primatu donato; ergo Christus asserit se servaturum esse tum officia apostolorum, tum primatum Petri quo factus est fundamentum Ecclesiæ et pastor totius gregis. *Bossuet,* iterum hoc argumentum his verbis illustrat : « Quand Jésus-Christ dit à ses Apôtres : *Je suis avec vous...* » il montra que le forme qu'il avait établie parmi eux, » passerait à la postérité. Saint Pierre y était avec les » autres, mais il y était avec sa prérogative, comme le » premier des dispensateurs. »

Prob. 2° *Traditione,* tum ex testimoniis SS. Patrum, tum ex praxi Ecclesiæ.

— A) *Ex testimoniis SS. Patrum,* S. Optatus, ep. III, lib. 7. : « Bono unitatis, B. Petrus præferri Apostolis om-» nibus meruit. »

S. Cyprianus, de Unit. Eccles. lib. « Primatus Petri » datur, ait, ut una Christi Ecclesia, et cathedra una » monstraretur. »

S. Hieronymus, lib. Iadv. Jovianum, cap. XIV : « Unus » inter duodecim eligitur, ut capite constituto schismatis » tollatur occasio. » — Ex his textibus argumentum sequens instrui potest : Juxta Patres ad observandam unitatem instituitur a Christo inter Apostolos primatus, atqui non solum temporibus apostolicis, sed præsertim postea servanda est unitas; ergo et primatus, hujus unitatis medium, perseverabit.

— B) *Ex praxi Ecclesiæ.* Statim mortuo Petro, ac labentibus sæculis, semper fuit quidam in Ecclesia hæres B. Petri prærogativæ, principis vices gerens et ab omnibus, nemine renitente, ut talis acceptus, ut fusius videbitur ubi de Romani pontificis primatu; porro quidquid ab initio in praxi Ecclesiæ fuit jure habetur ut legitimum et a Christo institutum, ergo primatus post Petrum perseverans.

3° *Ratione theologica.*— A) *Ex Constitutione Ecclesiæ.* Ex instituto Christi, constitutio Ecclesiæ usque ad consummationem sæculi perdurabit, nec mutationem patietur; atqui ad constitutionem Ecclesiæ essentialiter pertinet primatus quo totius ædificii stabilitur fundamentum et corporis erigitur caput. Ergo...

— B) *Ex fine primatus.* Primatus in persona Petri fuit institutus, ut super fundamento inconcusso nitatur Ecclesia, ut salvetur vel ligetur quidquid ligamine aut solutione indiget, ut sub pastore pascant agni et oves, et tandem, juxta veterum Patrum sententiam, ut unitas in societate christiana semper maneat; porro non solum temporibus apostolicis, sed præsertim post apostolos unitas servanda est, grex pascendus, solvendum aut ligan-

dum, et Ecclesiæ ædificium permanendem; ergo retinendus est usque primatus Petri quo fit fundamentum Ecclesiæ, pastor gregis, claviger cœli et vinculum unitatis.

III. De primatu romani pontificis, veluti B. Petri successoris. — A primatu Petri ad Romani pontificis primatum recta devenimus. Ut extra dubium ponatur Romanos pontifices summa auctoritate gaudere duo requiruntur et sufficiunt, nempe primum B. Petrum Romam venisse, ibique sedem suam instituisse, quod renuunt nonnulli Protestantes, asserentes eum vel Romam non venisse, vel saltem ibi sedem adhuc occupantem non obiisse, ut inde concludant Romanum pontificem B. Petri successorem non esse; dein, Romanos pontifices vi hujus successionis esse hæredes divini primatus B. Petro a Christo concessi; hoc redarguit quosdam ex Protestantibus et Græcis schismaticis; equidem fatentur Petrum sedem suam ab Antiochia Romam transtulisse, ibi eam occupantem mortuum esse, et Romanum pontificem legitimum successorem habuisse: at simul contendunt illum nullam auctoritatem jure divino super alios episcopos habere; et, si quam olim exercuerit, hanc ex Ecclesiæ concessione, seu ex conciliis obtinuisse. Contra hos et illos duæ erunt propositiones.

PROPOSITIO PRIMA.

Beatus Petrus sedem suam transtulit Romam, et ibi eam tenens, mortuus est.

Prob. 1°. Illud pro certo tenendum est quod constanti traditione per quindecim sæcula unanimiter fuit creditum; alioquin nihil esset credendum in historia: atqui per quindecim sæcula constanter et unanimiter creditum est B. Petrum venisse Romam, sedem suam in hac civitate fixisse, et ibi eam occupantem mortuum esse. Ad astruendam nostram hanc propositionem, innumera citari possent testimonia, tum SS. Patrum, tum auctorum

ecclesiasticorum: et nullum aliud testimonium eis positive adversatur. Inter illa testimonia tum de vita, tum de morte B. Petri Romæ habita, citentur ipsemet B. Petrus qui ad finem primæ suæ epistolæ v. 13. sic se habet: *Salutat vos Ecclesia in Babylone collecta.* Omnes, cum Papia auctore antiquissimo, fatentur hic per Babylonem Romam designari.

Irenæus lib. III, cap. 3 dicit romanam Ecclesiam a Petro et Paulo fundatam.

Arnobius lib. II contra gentes dicit Romam ideo conversam ad Christum, quia viderat Simonis Magi igneas quadrigas Petri ore difflatas, Christi nomine invocato, continuo evanuisse. De sede episcopali a B. Petro constituta Romæ loquitur S. Optatus Milev. lib. II. contra Parm.: Cathedra una est, quæ est prima de dotibus..... » Sedet prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit » Clemens.» Item Caius presbyter apud Euseb., Tertullianus de Præscriptione c. 25, enumerantes Romanos pontifices B. Petro primarium præstant locum.

De morte Petri Eusebius lib. hist, cap. xxv hæc habet præclara: « Nero... appetit neces, et Paulum quidem » capite, in ipsa urbe Roma, Petrum vero crucis patibulo » condemnat. Iterum testimonium quærere extrinsecus su» perfluum puto, cum rem gestam insignia usque in ho» diernum et splendidissima eorum monumenta testan» tur. »

De hac quæstione consuli possunt *Baronius, Bellarminus, Foggini, Billuart, de regulis fidei disp. 4. de summo pontifice.*

Prob. 2°. Illud factum rejici non potest quod necessario conjunctum est cum inconcussis monumentis: atqui factum modo a nobis expositum cum inconcussis monumentis essentialiter conjungitur; sepulcrum enim B. Petri ostenditur Romæ, reliquiæ ejus summo honore venerantur, ad eas frequenti concursu adeunt fideles ex cunctis orbis partibus; urbs illa ideo dicitur sancta; apud eam dicuntur esse limina Apostolorum, ejus Pontifex semper habitus est ut legitimus beati Petri successor:

atqui hæc omnia sic institui et perpetuo tradi non potuerunt quin reipsa Petrus venerit Romam; et ibi sedem episcopalem tenens mortuus fuerit: ergo.

Prob. 3°. *Ex confessione acatholicorum.* Multi citantur protestantes qui suis suffragiis hanc propositionem plenissime confirmant. Sic, inter alios, *Pearson*, episcopus Anglus, *Grotius*, *Usserius*, *Hammandus*, *Blondel*, *Scaliger*, *Casaubon*, *Du Moulin*, *Petit*, *Basnage*, etc.

Solvuntur objectiones.

Obj. Assignari non potest tempus quo B. Petrus venerit Romam, nullam mentionem de itinere ejus facit S. Lucas in Actibus Apostolorum; ipsum ne nominat quidem B. Paulus in Epistola ad Romanos: ergo non constat eum venisse Romam ibique mortuum esse.

R. Nego conseq. Nam — a) multa sunt facta quæ a nemine in dubium revocantur, et quorum tamen dies et annus præcise assignari non possunt: talis est mors Christi, de qua sane nemo dubitare potest, et cujus tamen epocha non est omnino certa.

— b) Multa non levia omisit S. Lucas in Actibus Apostolorum, v. g. reprehensionem Petri a Paulo circa legalia, et iter B. Pauli Jerosolymam ad videndum Petrum.

— c) B. Paulus in Epistola ad Hebræos de Jacobo episcopo Hierosolymitano non loquitur, nec de Timotheo episcopo Ephesino in Epistola ad Ephesios; attamen nemo inde concludit Jacobum non fuisse Jerusalem, nec Timotheum Ephesi: ergo, *a pari*, ex eo quod de Petro in Epistola ad Romanos non loquatur, male inferretur eum istius Urbis episcopum tunc non fuisse.

Aliunde, eo tempore quo Paulus ad Romanos scribebat, anno æræ vulgaris 57, Petrus juxta plures, non erat Romæ, quia omnes Judæi et cum illis christiani, anno Claudii nono, inde expulsi fuerant: Petrus vero tunc in Oriente versabatur. Jerosolymam petit, ibique primum concilium celebravit, prout in cap. xv Act. describitur.

Mortuo Claudio, rediit Romam, et in hac civitate anno Neronis ultimo, æræ nostræ 67, una cum Paulo ab Oriente adducto, martyrio coronatus est. Post ascensionem Domini, quatuor annos manseratJerusalem, quarto anno venerat Antiochiam et ibi suam sedem instituerat; inde profectus diversas regiones evangelizans peragraverat, scilicet Asiam Minorem, Galatiam, Pontum, Cappadociam, etc. Quinto circiter anno a sede sua Antiochiæ instituta, redierat Jerusalem, ubi ab Herode in carcerem conjectus, ministerio angeli liberatus fuerat, Act. XII, statim venerat Romam et ibi sedem suam fixerat, anno Claudii 2, Christi vero 52. Sic per viginti quinque annos circiter Romanam rexit Ecclesiam ab ipso fundatam.

PROPOSITIO SECUNDA.

Romanus Pontifex, tanquam B. Petri successor, primatum honoris et jurisdictionis habet jure divino in tota Ecclesia.

Probatur hæc propositio Scriptura Sacra, Traditione, rationibus theologicis, et diversis testimoniis Protestantium.

Prob. 1° *Scripturâ sacrâ.* Hic redeunt textus percelebres e quibus eruitur B. Petri primatus: *Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam... Tibi dabo claves regni cœlorum, quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis, quodcumque solveris... Rogavi pro te ut non deficiat fides tua... et tu conversus confirma fratres tuos...* Unde sic argumentari licet: Ut constet Pontificem Romanum primatum jurisdictionis seu auctoritatis supra alios episcopos jure divino in tota Ecclesia habere, duo requiruntur et sufficiunt, scilicet: quod B. Petrus successorem in suo primatu habere debuerit; quod Pontifex Romanus hunc B. Petri primatum solus habere possit: atqui hæc duo certa sunt.

— A) *Petrus successorem in primatu habere debuit;* demonstratum est etenim primatum apud B. Petrum non fuisse prærogativam personalem, sed pertinere ad

constitutionem Ecclesiæ quæ semper fundamento suo inniti debet, tanquam inexpugnabile ædificium, ac ad modum gregis semper a pastore suo ad pascua duci.

— B) *Solus pontifex Romanus primatum B. Petri habere potest.* Nullus enim alius gloriari potest se talem habere prærogativam. Præterea B. Petrus mortuus est Romæ, sedem episcopalem hujus urbis tenens : solus ergo ipsius successor in hac sede episcopali ejusdem primatum habere potest, vel illius successor nullam haberet sedem : ergo, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Prob. 2°. *Traditione.* Merito enim concluditur ex traditione constare Pontificem Romanum, tanquam B. Petri successorem, primatum jurisdictionis in tota Ecclesia habere, si continua existit series testimoniorum conciliorum et Patrum in favorem hujus assertionis, si aliunde praxis Ecclesiæ perpetua demonstrat semper et varie viguisse Romani Pontificis primatum : atqui continua existit series testimoniorum conciliorum et Patrum in gratiam hujus assertionis, et aliunde huic optime favet praxis Ecclesiæ, ut unicuique Ecclesiasticam historiam attente legenti patet.

— A) *Ex conciliis.* Apertum est Romanos Pontifices summa auctoritate pollere ex historia Conciliorum, tum quia solus gravisus est jure has sacras synodos convocandi, iis præsidendi, earumquo sententias confirmandi ut valeant, tum quia ipsamet concilia multis modis doctrinam de primatu romano patefecerunt. Inter multa citentur :

I Nicænum, generale I : « Ecclesia Romana semper habuit primatum. » *Labbe, t.* II.

Constantinop. I, generale II : Patres hujus concilii in epistola communi ad S. Damasum aiunt : « Quoniam vos... » nos velut membra propria accersivistis... » et infra : « Constantinopolim conveneramus mandato litterarum su- » periori anno a vestra reverentia... missarum. » Agnoscunt igitur S. Damasum ut suum caput, ut auctoritate in ipsos præditum. *Labbe, t.* II, *col.* 961.

Ephes. generale III, actione 3 : « S. Petrus, Apostolo-

» rum princeps et caput, Ecclesiæ Catholicæ fundamen-
» tum a D. N. J. C... claves regni accepit, solvendique ac
» ligandi peccata potestas ipsi data est, qui ad hoc usque
» tempus et semper in suis successoribus vivit et judi-
» cium exercet. » *Id. t.* III.

Chalcedonense, generale IV, cujus Patres ad S. Leonem scribentes, aiunt : « Rogamus igitur, tuis decretis nostrum
» honora judicium, et sicut nos capiti in bonis adjecimus
» consonantiam, sic et summitas tua filiis quod decet ad-
» impleat. » *Labbe, t.* IV.

Concil. Florentinum, in quo Græci cum Latinis sedebant, sic habet : « Definimus sanctam sedem Apostolicam
» et Romanum Pontificem in universum orbem tenere
» primatum, et successorem esse B. Petri principis Apos-
» tolorum verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ
» caput, etc. » *Id. t.* XIII.

Concil. Trident. sess. 14. cap. 7 : « Pontifices maximi,
» pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita,
» causas aliquas criminum graviores suo potuerunt pecu-
» liari judicio reservare. »

—B) *Ex testimoniis SS. Patrum.* Omnes antiqui patres ore unanimi prædicant pontifices Romæ sedentes, veluti successores B. Petri, ejus primatus fuisse hæredes. Hoc pondus testimoniorum ita premit adversarios ut fateri cogantur doctrinam SS. Patrum omnino favere Romanæ prærogativæ, ex innumeris quæ citari possent, et quæ apud *Tournely, Regnier, Jacques* afferuntur, quædam tantum testimonia seligemus.

S. Irenæus, lib. 3 contra Hæres. c. 3, n. 2, dicit, ad Ecclesiam Romanam, *propter potiorem principalitatem*, omnem necesse esse convenire Ecclesiam.

S. Athan. ad Felicem, Romanum Pontificem, scribit : « Ob id vos prædecessoresque vestros... in summitate arcæ
» constituit (Christus), omniumque Ecclesiarum curam
» habere voluit, ut nobis succurratis. » Idem habent S. Basilius, Epist. 31 ; S. Cyril. Alex. lib. de Thesauro; Theodoretus, Epist. ad S. Leonem.

S. Cyprianus, Epist. 53 : « Navigare audent, et ad Petri

» cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde uni-
» tas sacerdotalis exorta est... litteras ferre. »

S. Aug. Epist. 43, alias 162 : « In Romana Ecclesia sem-
» per Apostolicæ cathedræ viguit auctoritas. »

S. Hieronymus, Epist. 14 ad Damasum Papam : « Ego
» nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini
» tuæ, id est, cathedræ Petri communione consocior...
» Quicumque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui
» Christi non est, Antichristi est. » Ergo, etc.

— C) *Ex praxi Ecclesiæ*. Hoc supremæ auctoritatis exercitium illustrare licet diversis exemplis ex historia primævæ Ecclesiæ selectis; nam de primatu S. Pontificis per sæcula posteriora exercito nullus sane dubitare potest.

In I sæculo, dissidia exorta sunt apud Corinthios inter quosdam e clericis et fidelibus. Hæc causa judicanda ad B. Clementem S. Pontificem Romæ degentem delata est, dum prope Corinthum, Ephesis scilicet, adhuc viveret S. Joannes Apostolus, et Ecclesias orientales plurimi vel Christi vel Apostolorum discipuli regerent, ad quos jure recurrendum esset nisi alibi mansisset suprema potestas.

In II sæculo, omnibus nota est percelebris de die paschali controversia. Victor Pontifex Romanus præscripsit festum paschale celebrandum esse die dominica post novilunium mensis Martii, et cum id ægre ferrent quidam ex episcopis orientalibus, qui celebrabant pascha die 14 martii, repugnantibus summus Pontifex excommunicationem minatus est, vel forte hac pœna eos profligavit. Porro S. Victor hac potestate et violentia non usus fuisset nisi primatus legitime et ex ore unanimi ei competivisset et præterea hanc usurpationem redarguissent irati orientales episcopi, si qua fuisset usurpatio.

Sæculo III, B. Cyprianus cum *Lapsis* de pœnitentia agenda post apostasiam disputans, suam detulit causam ad Ecclesiam Romanam ubi vices Romani Pontificis mortui gerebant quidam simplices presbyteri. — Eodem tempore B. Stephanus non dubitavit evellere errorem de Baptismo renovando, quem ipse docebat S. Cy-

prianus et ejus asseclæ quidem non sese submisere, in hoc non culpa vacantes, sed nunquam prædicarunt Pontificem Romanum usurpasse auctoritatem qua usus erat.

In finem vertente III sæculo, Dionysius Alexandrinus propter falsam de hæresi accusationem ad Dionysium Romanum Pontificem confugit; hoc exemplum secuti sunt IV sæculo S. Athanasius, Paulus Constantinopolitanus, Marcellus Ancyranus; sæculo V, S. Chrysostomus; post ipsos multi alii, ita ut historia Ecclesiæ optime prædicet tum exercitium supremæ auctoritatis penes fuisse Romanos Pontifices, tum omnium opinionem circa hujus primatus legitimitatem.

Prob. 3°. *Ex ratione theologica* — A) *Ex ordine successionis*. Posito quod primatus B. Petro concessus perseverare debuit sic argumentatur. Ille quasi in hæreditatem accepit primatum B. Petro concessum qui ejus est verus et legitimus successor; nam in Ecclesia, ministeria quæ Christus instituit ad successores, uti vidimus, transeunt; porro Romanus Pontifex est verus et legitimus B. Petri successor; etenim in societate legali et bene ordinata quæritur et invenitur successor ubi antecessor gradum tenens mortuus est. *Vid. Lieberman, Knoll.* Atqui cum B. Petrus Romam venerit, ibi sedem instituerit, et tandem decederit, sequitur Pontificem romanam sedem occupantem esse B. Petri verum et legitimum successorem; ergo Romanus Pontifex quasi in hæreditatem accepit primatum B. Petro concessum.

--B) *Ex natura primatus et ex facto auctoritatis supremæ a pontificibus romanis habitæ*. Posito quod primatus a Christo in Ecclesia modo permanenti institutus, sit aliquid visibile, externum et ab omnibus facillime apprehendendum, sic argumentari datur : si in Ecclesia unica sit sedes episcopalis quæ unquam sibi primatum invocaverit, quæ sola eum exercuerit, quæ ut hoc primatu donata ab omnibus fuerit habita, declarandum est ad hanc sedem pertinere primatum a Christo institutum; alioquin dicendum esset hunc primatum exerceri semper invisibili

modo et esse a veris principibus et ab aliis christianis ignotum, dum alius visibilem et nemine reclamante supremam prærogativam usurparet, quod evidenter repugnat : — atqui soli episcopi sede Romana insidentes sibi invocavere primatum B. Petro concessum, soli eum exercuere, soli ipsi ut legitime eum possidentes habiti sunt ; ergo necesse est ad eos pertinere supremi primatus prærogativam.

— C) *Ex eo quod Ecclesia Romana sit vera* ut probatum est. Vera Ecclesia habere debet principium unitatis regiminis, *ex probatis* ; atqui Ecclesia Romana, quæ est vera Ecclesia, *ut demonstravimus*, principium unitatis regiminis non haberet, si primatus jurisdictionis summi Pontificis rejiceretur ; tunc enim nullus esset cui omnes subjici tenerentur.

Prob. 4° Ex confessione quorumdam ex Protestantibus et Græcis schismaticis. Melancthon apud *Bossuet, Histoire des Variations, l.* 5, *n.* 24 : « Nos gens demeurent » d'accord que la police ecclésiastique où l'on reconnaît » des évêques supérieurs de plusieurs églises, et l'évêque » de Rome supérieur à tous les évêques, est permise... » Ainsi, il n'y a point de contestations sur la supériorité » du Pape et sur l'autorité des évêques, et tant le Pape » que les évêques peuvent aisément conserver cette auto- » rité ; car il faut à l'Eglise des conducteurs pour main- » tenir l'ordre, pour avoir l'œil sur ceux qui sont appelés » au ministère ecclésiastique et sur la doctrine des prêtres, » et pour exercer les jugemens ecclésiastiques : de sorte » que s'il n'y avait point de tels évêques, il en faudrait » faire. La monarchie du Pape servirait aussi beaucoup » à conserver entre plusieurs nations le consentement » dans la doctrine : ainsi on s'accorderait facilement » sur la supériorité du Pape, si on était d'accord sur tout » le reste. »

Leibniz apud *de Starck* sic habet : « Comme Dieu est » le Dieu de l'ordre, et comme il est de droit divin que le » corps d'une seule Eglise catholique et Apostolique soit » contenu par un seul gouvernement hiérarchique et

» universel, il s'ensuit qu'un magistrat suprême spiri-
» tuel, qui se renferme dans de justes bornes, y soit éga-
» lement en vertu du même droit, et qu'il se trouve
» investi de toute la puissance et force dictatoriales né-
» cessaires à l'exercice de sa charge pour le salut de l'E-
» glise. »

In Gallia nostra Calvinistæ, anno 1775, humilem confecerunt supplicationem ad regem, ut honores status civilis et legitimitatem matrimoniorum suorum obtinerent; in ea autem supplicatione sic loquebantur :

« La chaîne de la tradition dont Pierre et Paul ont at-
» taché le premier anneau à l'Eglise de Rome est telle-
» ment perpétuée parmi nous, que si les Irénée, les Gré-
» goire, les Cyrille, les Athanase, les Chrysostome reve-
» naient aujourd'hui sur la terre, ils ne reconnaîtraient
» que dans l'Eglise romaine la société dont ils étaient
» membres; »apud *de Stark*. Utilissime legetur recens ille auctor Lutheranus.

Multa pariter clara et non parum curiosa reperiuntur testimonia, et protestantium, et schismaticorum Græcorum apud D. *de Maistre, du Pape, t.* I, *chap.* 9 et 10. Ergo denique tenendum est Pontificem Romanum tanquam B. Petri successorem, supremam habere jure divino auctoritatem, seu primatum jurisdictionis in tota Ecclesia.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. *Adversus argumentum ex script. sacrâ petitum.* —B. Paulus, Eph. IV, 11, et I Cor, XII, 28, varios enumerat hierarchiæ ecclesiasticæ gradus, nempe Apostolos, evangelistas, pastores et doctores, nihilque de summo Pontifice dicit : ergo superiorem illius auctoritatem non agnoscit.

R. Nego maj. Nam B. Apostolus in locis citatis nominat prophetas, evangelistas, doctores et eos qui extraordinaria dona acceperant a Deo; sed hi omnes ad sacram hierarchiam non pertinebant. Præterea, summus Pontifex inter pastores numeratur; quando enim loquimur de

pastoribus Ecclesiæ in genere, summum Pontificem certe non excludimus : pariter ergo B. Paulus illum sub generali pastorum denominatione complectebatur. Ergo.

Obj. 2°. *Adversus argumentum ex successione B. Petri petitum.* Quamvis episcopi legitimi sint Apostolorum successores, specialia tamen eorum privilegia non habent : ergo *a pari* pontifex Romanus, licet B. Petri successor, ipsius primatum non ideo possidet.

R. Nego conseq. Namque duplicis generis necessario distinguenda sunt privilegia Apostolorum : alia scilicet ad conservationem Ecclesiæ necessaria et jugiter permansura, et alia non necessaria et ideo ad tempus tantum duratura. Prioris generis sunt potestas ordinis et potestas jurisdictionis : utraque absolute necessaria est Ecclesiæ : tandiu igitur perseverare debet quandiu durabit Ecclesia, id est usque ad consummationem sæculi. Privilegia autem posterioris generis sunt dona miraculorum, prophetiarum, linguarum, personalis infallibilitas, extraordinaria potestas ubique terrarum prædicandi, episcopos et presbyteros constituendi, etc. Hæc quidem in creanda et constituenda Ecclesia valde utilia et aliquo sensu necessaria esse potuerunt : ad regimen vero et conservationem ejus necessaria non sunt : imo privilegium ubique prædicandi et episcopos ac presbyteros constituendi, paci, tranquillitati ei unitati evidentissime noceret : hæc privilegia igitur ad episcopos Apostolorum successores transire non debuerunt. Similiter B. Petrus personalia etiam habebat privilegio cæteris Apostolis et sibi communia, quæ suis successoribus transmittere non debuit : at primatus prærogativa hujus generis non erat, cum ad ipsam Ecclesiæ constitutionem pertineat. Ergo.

Inst. Primatus auctoritatis B. Petro fuit collatus in præmium insignis ejus fidei confessionis : ergo privilegium erat personale.

R. Nego conseq. Christus enim, propositum Ecclesiam suam constituendi efformans, voluit ut esset una : eo ipso decrevit aliquem in ea exstiturum primatum sicut est prima auctoritas in omni societate bene ordinata; potuis-

set illum primatum huic aut illi ex Apostolis conferre : illum autem B. Petro contulit, propter eximiam ejus fidei confessionem : sub hoc respectu fuit prærogativa personalis, sed nihilominus fuit simul qualitas veræ Ecclesiæ essentialis, ad successorem S. Petri transitura et jugiter permansura. Ergo.

Obj. 3°. *Adversus argumentum ex SS. Patrum testimoniis petitum.* S. Gregorius Magnus non Episcopus universalis, sed *Servus servorum* Dei appellari voluit : attamen si primatum B. Petri habuisset, Episcopus universalis appellari potuisset. Ergo.

Resp. 1°. *Dist. maj.* Episcopus universalis appellari noluit, humilitatis vel prudentiæ causa, *conc.* ; quia persuasum habebat se præeminentiam jurisdictionis non habere, *nego maj.* Itaque S. Gregorius Magnus nomen *Episcopi universalis* fortiter respuit, quia erat valde humilis et honores despiciebat. Aliunde, ita forte se gessit, ut efficacius reprimeret ambitionem et audaciam Joannis Jejunatoris, patriarchæ Constantinopolitani, qui Patriarcha œcumenicus vel Episcopus universalis appellari volebat : contra hujusmodi novitatem fortiter insurrexit S. Gregorius et quantum potuit eam repressit tanquam insolitam, falsam, impiam, blasphematoriam et juribus Ecclesiæ Romanæ nocivam. Si ergo talem abnuerit denominationem, si testatus sit nullum e suis prædecessoribus illam usurpare voluisse, non ideo persuasum habebat se nullam præeminentiam jurisdictionis habere.

Resp. 2°. *Dist. min.* Episcopus universalis appellari potuisset, eo sensu quod veram haberet auctoritatem super omnes alios episcopos, *conc.* ; eo sensu quod solus esset episcopus, vel alii episcopi essent duntaxat illius vicarii, *nego min.* Equidem hæc appellatio quæ in Patriarcha Constantinop. blasphemiæ nomen erat (Greg. Mag. lib. 5, Epist. 30), aliquo sensu in Pontifice Romano vera esse potest : at sub alio respectu male sonat et falsa est ; nam Pontifex Romanus non est solus episcopus : licet caput sit generale totius Ecclesiæ, alia tamen sunt capita a Christo instituta, sed capiti generali subordinata : merito

igitur Gregorius Magnus hanc æquivocam appellationem respuit.

Obj. 4° *Adversus argumentum ex praxi Ecclesiæ petitum.* Ecclesiæ ab Apostolis et ab eorum successoribus primitus fundatæ erant independentes; decursu temporum et datis occasionibus primatum Romani episcopi agnoverunt, ut in eo invenirent centrum unitatis, vinculum firmitatis et imperatorum protectionem obtinerent; ita *Bodin, Guizot* et alii recentiores historici eum sequentes: ergo.

R. Nego ant. Ex textibus enim Scripturæ sacræ supra citatis, ex monumentis ab incunabilis Ecclesiæ usque ad nos seriem non interruptam formantibus, constat B. Petrum primatum auctoritatis a Christo accepisse, et Pontificem Romanum B. Petri successorem illum semper tenuisse.

Si aliquando exercitium supremæ hujus auctoritatis non fuerit tam frequens ac manifestum, id tribuendum est circumstantiis, v. g., difficultatibus relationum. Tunc multa delegatione aliis committebantur: sic confirmatio Episcoporum a metropolitanis et metropolitanorum a Conciliis provincialibus fiebat. Ergo, etc.

Obj. 5° *Adversus hanc partem propositionis, primatum Romani Pontificis esse jure divino.* Primatus Romani Pontificis eo facto nititur, scilicet, B. Petrum Romam venisse, ibique sedem suam fixisse et mortuum esse: atqui factum istud jure divino non nititur: ergo primatus Pontificis Romani non est juris divini.

R. 1°. *Retorqueo argumentum.* Successio ministerii ecclesiastici hoc facto nititur, scilicet episcopos serie non interrupta sibi successisse et legitime ordinatos esse: atqui factum istud jure divino non constat: ergo successio ministerii ecclesiastici non est juris divini.

R. 2°. *Nego maj.* Primatus enim Pontificis Romani hac utraque propositione nititur, nempe Petrum primatum jurisdictionis in tota Ecclesia jure divino habuisse et legitimum B. Petri successorem hunc eumdem primatum jure divino possidere: hæc utraque propositio in

Scriptura expresse aut æquivalenter continetur; igitur est de fide : atqui evidenter constat Romanum Pontificem legitimum B. Petri esse successorem; ergo evidenter constat illum jure divino primatum jurisdictionis in tota Ecclesia habere : id unum probare intendebamus.

Inst. Si B. Petrus obiisset Antiochiæ, solus Antiochenus episcopus primatum jurisdictionis habuisset : ergo præeminentia Pontificis Romani, non a Christo, sed a Petro qui suam mutavit sedem, oritur, proindeque non est juris divini.

R. 1° *Retorqueo arg.* Si talis vir ad episcopatum non fuisset electus, alius sedem quam occupat habuisset : ergo potestas quam exercet non oritur a Deo, bene a vero rege qui eum designavit.

R. 2° *Distinguo consequens.* Præeminentia Pontificis Romani non oritur a Christo, sed a Petro, etc., quoad factum successionis, *transeat*; quoad ipsam superioritatis prærogativam, *nego consequens et conseq.* Distinguendum est igitur cum Bellarmino, lib. 2, c. 12, factum successionis ab ipsa superioritatis prærogativa successioni annexa; Christus enim voluit ut B. Petrus legitimum haberet successorem qui eumdem jurisdictionis primatum teneret : unde statim atque constat hunc aut illum Pontificem legitimum esse beati Petri successorem, eo ipso certum est illum jure divino, id est a Christo, primatum jurisdictionis habere. Itaque si Petrus nullam elegisset particularem « Ecclesiam quam regeret, sicut fecit quinque » primis sui apostolatus annis, post ejus mortem ille epi- » scopus Petro successisset quem sibi elegisset Ecclesia. Po- » tuisset quoque semper manere Antiochiæ, et tunc An- » tiochenus episcopus sine dubio illi successisset; quia » vero Romæ sedem suam fixit, et eam tenuit usque ad » mortem, inde factum est quod Romanus Pontifex ei » succedat. » Ita Bellarminus in loco citato. Certum est ergo Romanum Pontificem suam jurisdictionis præeminentiam immediate a Christo tenere, quia evidenter constat illum B. Petri esse successorem.

Quoad factum successionis, diximus *transeat*, quia non

omnino certum est pontificem Romanum, quatenus est pontifex Romanus, ex institutione Christi esse caput totius Ecclesiæ; non est enim ex institutione Christi caput totius Ecclesiæ, nisi in quantum Christus voluit ut Petrus sedem suam figeret Romæ, et ibi eam tenens moreretur: atqui non constat Christum voluisse, etc. Communius tamen id a theologis admittitur, at multo convenientius fuisse videtur. Roma quippe tunc præcipua erat urbs, princeps et caput totius orbis cogniti: valde igitur conveniebat ut ibi figeretur prima sedes religionis christianæ per orbem diffundendæ: sed neque ex Scriptura, neque ex traditione constat Petrum hujusmodi mandatum a Christo accepisse: ergo, etc.

§ II. — De natura et extensione primatus Romani pontificis.

Quid ad Romanum Pontificem pertineat, vi sui primatus in tuto repositi, nunc quærendum est ac demonstrandum. Decurrente primo hujusce tractatus capite, expositum est a Christo in Ecclesia triplicem potestatem fuisse institutam, nempe potestatem docendi, regendi et sanctificandi. Porro quidquid juris et potestatis Christus in Ecclesia sua dereliquit, summo gradu reperitur apud Romanos Pontifices, Petri successores et Christi vicarios; itaque Romanos Pontifices penes est jus istud triplex quod diximus magisterium, imperium et sacerdotium, et recte dicuntur supremi doctores, reges et sacerdotes Ecclesiæ. Sequentibus vero sectionibus fusius intendemus quid sub hoc triplici respectu ad Romanum Pontificem pertineat.

SECTIO PRIMA. — *De Magisterio in Romano pontifice considerato.*

I. SUMMUS PONTIFEX POTEST CONDERE DECRETA FIDEI, QUÆ OBLIGENT OMNES FIDELES. — Ad Romanum Pontificem, qui, in persona B. Petri, erat ex Apostolico collegio, sicut et ad alios Apostolorum successores dictum fuit a Christo: *Ite... docete omnes gentes*, unde ei sicut et aliis episcopis

docendi munus incumbit. At, ut jam vidimus, episcopi, saltem separati, suam diœcesim solummodo docere possunt et debent, quia ad universam Ecclesiam non sunt ordinati, sed ad unam partem seu provinciam totius reipublicæ. Romanus vero Pontifex eo quod sit ad totam Ecclesiam constitutus, omnium membrorum caput, totius gregregis pastor, munus et officium habet docendi omnem Ecclesiam, agnos videlicet et oves. Idcirco ut res clarior evadat modo probabimus Pontificem Romanum, ratione sui primatus habere potestatem edendi fidei decreta quæ cunctos obligent Christianos, ac ulterius progredientes, hæc decreta sub debitis conditionibus edita, errori nullatenus esse obnoxia, id est, Romanum pontificem in edendis hisce decretis esse, ut aiunt, infallibilem.

PROPOSITIO.

Summus Pontifex, ratione sui primatus, habet potestatem edendi fidei decreta quæ cunctos obligent christianos.

Prob. Hæc propositio Scriptura sacra, Traditione et Ratione theologica.

1°. *Scriptura sacra.* Hic famosi textus resumuntur ***Matth.*** XVIII, 18, *Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Joan. XXI, 15-17: *Pasce agnos meos pasce oves meas.* Luc. XXII, 32: *Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Unde sic argumentandum est: — A) Ut ex his textibus eruatur nostra propositio duo requiruntur et sufficiunt, nempe ex his verbis primatum B. Petri et Rom. Pontificis effluere, et postea ex hoc primatu potestatem edendi fidei decreta quæ omnes Christianos obligent; atqui hæc duo certa sunt: prius alibi luculenter probatum est, et de eo nunc quæstio moveri non potest; posterius item sole clarius est; etenim, vi sui primatus, Rom. Pontifex, Christi vices gerens, in Ecclesia habet supremam potestatem, quæ ad omnia sese extendit, cui nemo contradicere potest, cui

omnes obedire tenentur, porro inter objecta quæ huic potestati subjiciuntur, jure adnumeratur fidei objectum, seu veritas christiana, quam Rom. Pontifex ut doctor supremus servat et docet; ergo Rom. Pontifex potest edere fidei decreta, et omnes ea accipere tenentur.

— B) Præterea, juxta verba Christi Petrus seu Romanus Pontifex est fundamentum quo Ecclesia semper inniti debet; atqui si Rom. Pontifex non haberet potestatem edendi fidei decreta quæ omnes christianos obligent, Ecclesia in eo non inniteretur, nam pastores et fideles qui secus ac Romanus Pontifex de fide sentirent, vel qui ejus vocem audire recusarent, essent quasi lapides ædificii a fundamento alieni et avulsi; ergo.

— C) Debet et Romanus Pontifex pascere gregem seu agnos et oves; et de pascuis fidei et veritatis id præcipue intelligendum est; porro ad pastorem pertinet regere et præcipere, sequi autem et obedire gregis est obligatio, ergo...

— D) Tandem Romanus Pontifex munus accepit suos fratres confirmandi in fide, porro impossibile esset eos ita confirmare, si non haberet potestatem fidei decreta edendi; nam unus aut omnes ejus præcepta et confirmationes contemnere possent, et quidem jure; ergo.

Prob. 2°. *Traditione, scilicet praxi Ecclesiæ.* In omnibus retro sæculis summi Pontifices tulerunt fidei decreta. Inter multa alia, citari possunt exempla, S. Damasi in causa Macedonii, S. Syricii in causa Joviniani, S. Innocentii I, S. Zozimi, S. Bonifacii, S. Cœlestini I et S. Sixti III in causa Pelagianorum, ejusdem S. Cœlestini in causa Nestorii, S. Leonis Magni in causa Eutychetis, etc. Ergo 2°.

Prob. 3°. *Ratione theolog.* — A) *Ex munere Pontificibus Romanis devoluto.* Summus Pontifex, in quantum est totius Ecclesiæ caput, specialem habet curam errores abigendi aut præcavendi, fideles docendi et deposito revelationis invigilandi : atqui certe hæc præstare non posset, si proprie dictam non haberet potestatem edendi decreta quæ omnes obligarent.

— B) *Ex necessitate auctoritatis doctrinalis.* Ut varii errores undique nascentes sufficienter reprimantur, et vera Christi doctrina integra semper custodiatur, necesse est ut universalis et permanens existat auctoritas quæ continuo invigilet, episcopos fidei judices moneat, aut saltem in unum eos jugiter devinciat : porro talis auctoritas est necessario auctoritas summi Pontificis, siquidem concilium generale frequenter coadunari non potest : ergo.

II. De infallibilitate Romani pontificis. Ex eo quod, vi sui primatus, Romanus Pontifex jus habeat condendi fidei decreta quæ fideles obligent, liquidum sequitur Pontificem Romanum in hisce decretis errare non posse, ac proinde, ut dicunt, esse infallibilem; at cum olim apud nos hæc doctrina de infallibilitate summi Pontificis excitaverit multos animorum motus, eam fusius exponere ac probare convenit. Ut, statu quæstionis recte limitato, solutio facilius evadat quædam prænotanda sunt.

1° *Status quæstionis.* Nullus negat Romanum Pontificem errare posse in controversiis fidei quæ cum quæstionibus fidei vel morum non sunt colligatæ. Tenent item illum errare posse in quæstionibus fidei et morum, si ut doctor privatus doceat, v. g., si libros theologicos aut canonicos componat, licet maxima gaudeat auctoritate ; ut, ex. gr. de Benedicto XIV dici potest. Si vero summus Pontifex doceat vel damnet aliquid per publicas litteras, at tamen non præcipiat fidem nec obligatorie definiat, gravissima inde evadit sententia, sed tamen ex omnium consensu non irreformabilis. Si tandem summus Pontifex, ex Cathedra Petri loquens, et tanquam vices Christi gerens, aliquid doceat aut damnet, prescribatque adhæsionem animorum, dicimus eum esse infallibilem, et ejus judicium a nemine esse reformandum.

2° *Quid theologi Catholici et Gallicani de infallibilitate summi Pontificis sentiant.* Hæc doctrina de infallibilitate Romani Pontificis fuit semper accepta et accipitur ab omnibus theologis extra Galliam degentibus. Eam fortiter tenent et tuentur Bellarminus, qui dicit eam esse *proximam fidei*, Suarez, juxta quem, *certa est de fide*,

Melchior Canus, lib. VI, cap. 3 et seq.; Billuart. S. Ligorius, Veith, Dens, Cerboni, Perrone etc... etc... Apud nos item ea sententia de infallibilitate Romani pontificis fuit communis ante XIV sæculum. Sed eo luctuosissimo tempore, et a schismate Occidentali, huic infallibilitati contraria opinio in scolis Galliæ invadere cœpit, et locum tenuit inter eas opiniones sedi Romanæ infensas, quas *Gallicanismum* dicimus. Anno 1682, in comitiis generalibus cleri Gallicani *Bossuet* hanc sententiam, quasi propriam Galliæ doctrinam profitens, speciali declaratione sub his verbis [expressit: *In fidei... quæstionibus præcipuas summi pontificis esse partes ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit.* — Attamen ex Gallicanis, multi ultra fines fidei orthodoxæ progredi timentes, existimabant summum Pontificem in re dubia statuentem, et per decretum ad omnes fideles spectans, ab omnibus cum reverentia et obedienter audiendum esse, licet hoc judicium non sit irreformabile, quia id necessarium est ad bonum Ecclesiæ regimen et ad depositum sacræ doctrinæ custodiendum. Præterea agnoscebant Rom. Pontificem, si in errorem dilaberetur, in eo non diu permanendum, sed inde ad fidem cito revocandum esse, ita ut Ecclesia Romana vere non possit a fide deficere; hanc prærogativam sedis Romanæ indefectibilitatem appellabant.

Licet opinio Gallicana olim apud nos communiter irrepserit, ab ea tamen recesserunt quidam inter doctissimos et sapientissimos doctores, v. gr. doctissimus *De Marca* speciali hac de re dissertatione, *Fénélon*, pluresque Sorbonici doctores. Hodie hæc opinio ab omnibus deseritur, et in Galliis vix unum reperies theologum qui publice eam tueri auderet; itaque tanquam certa et communis statuitur sequens

PROPOSITIO.

Infallibilis est Romanus Pontifex, ex cathedra aliquid de fide aut moribus definiens.

1°. *Prob. Scriptura sacra.*— Legitur apud Luc XXII, 31 et seq.: *Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.*

Unde sic argumentari datur: Ut ex hoc textu invicte eruatur, nostra propositio duo requiruntur et sufficiunt, nempe Christum his verbis Petrum infallibilitate donasse, dein hoc privilegium infallibilitatis ad Petri successores ex mente Christi transiisse; atqui hæc duo certa sunt. — a) Prius certum est: etenim Christus annuntiat tentationes circa fidem natum fore: *Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum.* — Dein Christus orat ne deficiat fides Petri: *Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua:* At cum Christi preces semper finem suum assequantur, sequitur fidem Petri in tuto reponi et illum a fide deficere non posse. Tandem hæc confirmatio fidei promittitur ut Petrus possit vice sua confirmare fratres suos: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* At confirmare fratres suos non potest nisi stet semper firmus in fide et incorruptus, nam quomodo confirmaret, si ipse lapsus in errore jaceret. — Ergo Christus Petrum infallibilitate donavit. — b) Posterius item certum est: privilegium infallibilitatis scilicet a Petro transiisse ad Romanos Pontifices, B. Petri primatus successores. Quidquid enim Christus in utilitatem Ecclesiæ B. Petro præstitit, ad Romanos Pontifices, primatus B. Petri hæredes, transiit; porro privilegium infallibilitatis B. Petro præstitit Christus in utilitatem Ecclesiæ siquidem ut error auferatur ab Ecclesia; cum autem non solum tempore Apostolorum, sed præsertim postea, errores circa fidem irrepere possint, post Apostolos permanere debet ministerium et privilegium quo aufertur error et fratres

in fide confirmantur; — ergo privilegium infallibilitatis B. Petro concessum ad Rom. Pont. transiit; ergo ex allato textu recte eruitur nostra propositio.

Alterum argumenium mutuamur ab hoc oraculo Christi, ex Matth. XVI, 17 et seqq. : *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui in cœlis est... Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Ex hoc textu sic argumentamur: B. Petrus et una Romani Pontifices a Christo ponuntur in fundamentum Ecclesiæ, quasi lapis inconcussus quo totum Ecclesiæ ædificium semper inniti debet; atqui si Romanorum Pontificum decreta circa fidem et mores essent erroribus obnoxia, isti Pontifices non essent lapis fundamenti inconcussus, cum enim in essentiali concuterentur; Ecclesia in eis firma inniti non posset, cum super falsum eam inniti sit impossibile. — Aliunde, si judicia Rom. Pont. essent errori obnoxia, ac proinde reformanda, tunc ædificium non e fundamento, sed fundamentum ab ædificio suam firmitatem mutuaretur, quod essentiæ rerum ac sermoni Christi repugnat; ergo...

S. Joannes XXI, 15 et seqq. sic se habet: *Dicit* (Jesus) *Simoni Petro: Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei: etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me? Ait illi: Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus quia dixit ei tertio: Amas me? Et dixit ei: Domine, tu omnia nosti: tu scis quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas.* — Inde sequens constituitur argumentum: His verbis Romanus Pontifex constituitur pastor agnorum et ovium, fidelium scilicet et episcoporum, ita ut sub ejus regimine semper totus grex per vias rectas incedat, et in pascuis gratiæ et veritatis absque ullo timore maneat; atqui si iste pontifex errare posset, non esset bonus pastor a Christo constitutus et cujus vocem omnes tenentur audire et sequi; nam, a via recta veritatis gregem abstrahere posset, et eum ad pas-

cua erroris adducere, quod puritati Ecclesiæ repugnat; aliunde si a quovis alio esset reformandus Romanus Pontifex, jam non pastor oves pasceret, sed pascerent oves pastorem... Ergo Scriptura sacra probatur nostra propositio.

Prob. 2°. *Traditione.* Hoc argumentum triplex conficitur, ex testimoniis SS. Patrum scilicet, ex conciliis, et ex praxi Ecclesiæ.

— A) *Ex SS. Patrum testimoniis.* Eam molem testimoniorum SS. Patrum in gratiam infallibilitatis Rom. Pont. congesserunt hujusce prærogativæ defensores, ut Tournely, sapientissimus quidem inter Gallicanos, fateatur difficile esse non recognoscere Apostolicæ sedis, seu Romanæ Ecclesiæ auctoritatem esse certam et infallibilem. Inter hæc testimonia quædam breviora seligemus.

S. Irenæus, lib. III adv. hær. c. 3, sic se habet: « Omnes » a Romana Ecclesia necesse est ut pendeant tanquam a » fonte et capite.» Quomodo vero necesse esset pendere a fonte, a quo fœdatæ aquæ emanare possent, a capite quod errorem in corpus influere posset.

Origenes, comment. in c. XVI S. Matthæi, sic intelligit hæc famosa verba: *Tu es Petrus, et super hanc Petram...* « Non prævalebunt adversus eam. Quam autem eam? an » enim petram supra quam Christus ædificavit Ecclesiam? An Ecclesiam? Hoc ergo verum esse existimo: » nec enim adversus petram supra quam Christus ædificat, » nec adversus Ecclesiam portæ inferi non prævalebunt.»

S. Cyprianus, lib. de unitate Ecclesiæ vel epistolis appellat Ecclesiam Romanam, « Petri Cathedram Ecclesiam » principalem... ad quam perfidia accessum habere non » potest. — Qui cathedram Petri super quam fundata » est Ecclesia deserit, in Ecclesia se esse non confidat.»

B. Hieronymus, in epistola ad Damasum magnifice extollit sedem Romanam: « Apud vos, (S. Pontificem) » inquit, solum incorrupta Patrum servatur hæreditas... » Quicumque tecum non colligit spargit, id est, qui » Christi non est, Antechristi est.»

S. Basilius scribens ad B. Athanasium, prædicat in dubio veritatem quærendam esse a sede Romana, ubi servatur : « Romanum Pontificem compellendum esse ut » quid credendum sit, si per concilium definiri non do- » netur, ipse determinaret. »

S. Augustinus de damnatione Pelagianorum sic loquitur : « Per Papæ rescriptum causa Pelagianorum finita » est. »

— B) *Ex conciliis.* Ex conciliis generale conficitur argumentum ex eo quod omnium conciliorum decreta ut valerent indiguere Romanorum Pontificum confirmatione. Sed doctrinam de infallibilitate sedis Romanæ pluries hæ sacræ synodi ut notam et ab omnibus acceptam habuerunt. Constantinopolitanum Concilium approbavit Hormisdæ formulare ubi hæc præclara de sede Romana leguntur : « Non potest Domini nostri Jesu Christi » prætermitti sententia dicentis : *Tu es Petrus,* etc. hæc » quæ dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in sede » Apostolica immaculata est semper catholica conservata » Religio, et semper celebrata doctrina. »

Concilium Chalcedonense, citatum a D. Thoma in opusculo adversus Græcorum errores, sic loquitur : « Omnia ab eo (summo pontifice) definita teneantur, » tanquam a vicario apostolici throni. » Atqui nemo de fide tenere obligatur aliquid, nisi ab errore sit penitus alienum; ergo.

Concilium Lugdunense œcumenicum II hæc habet : « Ipsa quoque S. Romana Ecclesia summum et plenum » primatum super universam Ecclesiam Catholicam obti- » net... Sicut præ cæteris tenetur veritatem defendere; » sic et si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo » debent judicio definiri. »

Concilium Florentinum inter alia definit : « Romanum » Pontificem successorem esse B. Petri Principis Apos- » tolorum, et verum Christi vicarium totiusque Ecclesiæ » caput, et omnium Christianorum patrem et docto- » rem existere. » Christus instituere non potuit in Ecclesia doctorem a quo, vice veritatis, error fidelibus dis-

tribuatur ; ergo iste doctor seu Papa errare non potest.

Tandem Concilium Viennense generale XV, et sub Clemente V celebratum, concludit : « Dubia fidei declarare » ad sedem duntaxat Apostolicam pertinere. »

— C) *Ex praxi Ecclesiæ*. Quod Ecclesiæ praxi universa sancitur tenendum est ut ab omni dubio et errore alienum ; porro praxis universa Ecclesiæ sancivit sedis apostolicæ infallibilitatem, id quidem evidentissime patebit cuicumque sana mente et sincera perlegenti annales historiæ ecclesiasticæ. Modo pastores et episcopi sententiam de re dubia a Romano Pontifice petiverunt ; modo ipsimet Pontifices Romani suam sententiam ex auctoritate plena protulere ; modo, tanquam supremi doctores diversas propositiones censuris diversis notavere. Ex his quasi innumeris factis quædam citare expedit.

Patres concilii Chalced. œcumenici IV, epistolam S. Leonis I ad Flavianum de Incarnatione, ore unanimi, veluti oraculum, acceperunt, et ipsi ad eumdem papam scripserunt, ut ab eo Canonum concilii obtinerent confirmationem.

In causa Pelagianorum, testante S. Augustino, duo celebrata sunt concilia, sed eorum sententia ut vigorem haberet, ad Romanum Ponitficem delata est (S. Innocentium I). Unde hoc verbum percelebre protulit S. Augustinus : « Jam de hoc causa duo concilia particularia » missa sunt ad sedem apostolicam ; inde etiam rescripta » venerunt ; causa finita est ; utinam aliquando finiatur » error. »

Leo X, Pont. Max., multis annis ante Tridentinæ synodi celebrationem, errores Protestantium profligavit ; et ista damnatio ab omnibus Catholicis accepta fuit.

Quot damnationes, instructiones, pœnas et minas protulerint Romani Pontifices in intricatis rebus Jansenistarum omnes norunt : et quod a nemine inficiendum est, semper in his circumstantiis, summi Pontifices egere tanquam habentes infallibilem auctoritatem, et a nemine confirmandam ; licet in Galliis multi ab hanc infallibilitate recedere videbantur, omnes, qui fidei Catholicæ partici-

pes manere cupiebant, ore et animo submissis Romæ judicia accipiebant.

At nostris temporibus exemplum insigne de infallibilitate summi Pontificis in praxim adducta habemus. Die VIII mensis Decembri anni 1854. S. Pontifex Pius P. P. IX, fauste regnans, post preces in orbe Catholico indictas, sua apostolica auctoritate, et vi primatus quem a B. Petro et a Christo tenet, statuit declaravit et definivit, tanquam a fide tenendum, B. Mariam virginem, Dei genitricem in conceptione fuisse immaculatam. Hæc declaratio vulgata est, præsentibus circiter trecentis episcopis, qui si in consilio partem aliquam, in judicio nullam habuere; ita ut, veluti fideles, acceperint sententiam et secuti sint quemadmodum decet agnos et oves pastorem audire et subsequi.

Prob. 3° *Assensu omnium Romanorum pontificum.* Omnes Romani pontifices cujusvis temporis, unanimiter prædicavere se, vi sui primatus, infallibilitate gaudere; atqui si res ita se non haberet, eorum assensus unanimis repugnaret promissis sedi Romanæ factis, et eorum pontificum pietati et scientiæ; ergo...

Major hujus argumenti ex multis dictis S. Pontificum patet; et quidem ne unum ex his pontificibus reperies qui neget aut dubitet se isto privilegio pollere; multos vero qui diversis modis hoc privilegium sibi vindicant.

Sixtus IV hanc propositionem damnavit : « Ecclesia » urbis Romanæ errare potest. »

Cum Pius IV professionem fidei a clericis in quibusdam circumstantiis recitandam ederet; his verbis Romanæ Ecclesiæ magisterium commemoravit : « Sanctam » Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium » Ecclesiarum Matrem et Magistram agnosco. » Mater a filiabus et magistra a discipulis non est reformanda.

Leo X damnavit hanc propositionem Lutheri : « Certum » est in manu Ecclesiæ aut Papæ prorsus non esse statuere » articulos fidei, imo nec leges morum seu bonorum » operum. » — *Bulla, exsurge.*

Hanc alteram propositionem damnavit Alexander VIII

(1690) : « Futilis et toties convulsa est assertio de Romani » pontificis super concilium auctoritate, atque in fidei » quæstionibus decernendis auctoritate. »

Declarationem Cleri Gallicani in comitiis generalibus anni 1682 habitam, in qua negatio infallibilitatis Romanæ sedis legitur, summi Pontifices irritam fecerunt et damnaverunt; inter quos Innocentius XI, quando in lucem prodiit, per litteras in forma Brevis, die aprilis 1682; Alexander VII expressius Constitutione *Inter multiplices*, die IV Aug. 1690; et tandem iterum Pius VI, bulla *Auctorem Fidei*, qua profligantur errores Pistojanæ Synodi.

Prob. 4° *Consensu theologorum.* Vi promissionum quas Christus in favorem Ecclesiæ edidit, repugnaret omnes theologos omnium ætatum et regionum, cujusvis scientiæ et pietatis, exceptis quibusdam ex Galliis, errasse circa hanc maximi momenti quæstionem de infallibilitate Rom. Pont. Atqui res ita se haberet, si reipsa hac prærogativa isti non gauderent; etenim omnes theologi, quos, post Patres et Doctores, Scolasticos vocant, prædicarunt sedis Romanæ infallibilitatem; quod sic exprimit Benedictus XIV : « Notum est complures profecto insignes ex » omni tribu et ligua et populo doctores stare pro infalli- » bilate Romani pontificis ex Cathedra docentis in materia » fidei et morum, eumque recognoscere tanquam supre- » mum in Ecclesia Judicem, cujus definitionibus impium » sit et hæreticum resilire. » — Scolæ Gallicanæ ipsæmet olim idem de hac quæstione senserunt; imo a Sorbona plu- ries ut hæreticæ damnatæ sunt propositiones quibus summi Pontifices ut fallibiles ponebantur. Vid. *André Duval : De suprema Rom. Pont. in Ecclesiam potestate.* Itaque quando prodiit famosa declaratio Cleri Gallicani clamor quasi ex universo orbe Christiano adversus novatores exortus est; quod sic exprimit *Mabillon* in litteris suis : « Il est bon que vous sachiez que les propositions de nos » évêques nous font passer ici (à Rome) et par toute l'Italie, » bien plus encore en Espagne et en la plupart des en- » droits d'Allemagne, et chez les Anglais et les Hollandais » catholiques pour des gens qui approchent fort de l'hé-

» résie. Ils mulplient de gros livres contre ces proposi-» tions.» (Correspondance inédite de Mabillon et de Montfaucon avec l'Italie, tom. I, p. 99.—Ex tractatu de Ecclesia *P. Brun.*) Quis animo sincero affirmare et credere audebit quosdam Gallicanos adversus omnis ætatis et regionis auctores verum tenere?

Prob. 5° *Ratione theologica.*—A) *Primum argumentum primatu Romani Pontificis nititur.* — Primatui Romani Pontificis tribuendum est quidquid pertinet ad auctoritatem a Christo in Ecclesia constitutam, nisi ab ea Christus ipse aliquid detraxerit; Christus enim, uti voluit instituit suam Ecclesiam, et ibi est potestas, ubi ipse eam creavit et esse voluit; atqui infallibilitas necessario pertinet ad summam auctoritatem, scilicet ad munus docendi; nullibi aliunde videtur Christum detraxisse hoc privilegium a cæteris juribus primatui annexis; ergo hoc privilegium ad primatum pertinet.

— B) *Secundum argumentum petitur a promissis Ecclesiæ factis.* — Christus promisit portas inferi nunquam in futurum adversus Ecclesiam prævalere, scilicet in diabolicum errorem Ecclesiam nunquam lapsum fore; atqui si Romani Pontifices non gaudent infallibilitate, momentum dari potest quo tota Ecclesia in errorem ruat; etenim si Romanus Pontifex aliquid de fide credendum constituat, ex una parte errare potest, juxta hypothesim; ex altera vero parte, omnes fideles hoc decretum etiam intimo et sincero assensu accipere tenentur; ipsimet episcopi, seorsim sumpti, cum sint erga summum Pontificem veluti oves erga pastorem, non possunt quin assentiant; ergo hoc momento omnis Ecclesia in errorem impingit; quod penitus promissis Christi repugnat; ergo Romani pontifices infallibilitate gaudent.

— C) *Tertium argumentum petitur ex impossibilitate inveniendi privilegium infallibilitatis extra sedem Romanam.* — Romanus Pontifex est infallibilis, si extra ipsum non sint, qui infallibilitate gaudentes, possint ejus reformare judicium. Nam si ejus judicium sit reformabile, ab eis solum reformari potest, qui infallibilitate sunt

prædíti, alioquin lis inter homines æque errare valentes semper injudicata penderet; atqui extra Petrum nullibi invenitur infallibilitatis privilegium, nam in mente adversariorum, concessa fuit infallibilitas corpori Ecclesiæ, at vero corpori integro, corpori capite munito, non autem corpori obtruncato, mutilato, et a capite avulso. Itaque si caput Ecclesiæ, Romanus scilicet Pontifex, errare posset, item corpus Ecclesiæ, episcopi videlicet, posset errare, cum episcopi a Romano Pontifice separati, non jam efficiunt istud corpus completum et perfectum, cui infallibilitas promissa fuit. Ergo... *ita Muzzarelli, Opusc.* XXI, § VI, n° 1.

— D) *Quartum argumentum petitur ex necessitate magisterii clari, prompti, ab omnibus facile audiendi.* — Christus optime providens debuit instituere Magisterium infallibile quidem, sed etiam clarum, ita ut omnes illud audiant, nec multis argumentis aut quæsitis indigeant; promptum ne fides Ecclesiæ pendeat incerta; auditu facile, ut etiam rudes illud perspicere possint, et in ejus fide quiescere; atqui inter duo, corpus scilicet et caput Ecclesiæ, quæ de infallibilitate disputant, posterius solum positas implet conditiones. Etenim supposito quod corpus Ecclesiæ summos Pontifices reformare debeat, a nemine indicatur an major pars episcoporum requiratur, an minor pars unita capiti sufficiat ut judicium sit irreformabile; et in hac parte minori quot necessarii sint; ergo hoc magisterium minime clarum sese præstat. Nec item est promptum; scilicet episcopi per orbem dispersi facile prompteque convenire non possunt de quæstionibus intricatis; aliunde fideles necesse deberent supputare quot ex una parte sint, quot ex altera parte; tandem omnibus perspicuum est quod rudes omnino impares sint ad audiendam Ecclesiæ vocem in hoc conflictu opinionum. Dum e contra si summus Pontifex infallibilitate pollet, loquitur, omnes audiunt et credunt; ergo...

Aliunde, idem probatum manet ex consensu theologorum, ex unanimi mente summorum Pontificum, ex traditione sub diversis aspectibus considerata, et tandem

ex pluribus Scripturæ Sacræ textibus; ergo infallibilis est Romanus Pontifex, ex cathedra aliquid de fide et moribus definiens, etiam antequam assensiat corpus Ecclesiæ.

Solvuntur objectiones.

Obj. adversus argumenta ex Sacra Scriptura desumpta. *Obj.* 1° Tentationes de qua loquitur Luc XXII, 31, pro objecto habent futuram Christi passionem; Christus preces fudit ut Petrus semper in domino confidat etiam tempore passionis, et ut vice sua fratres suos confirmet, ergo ex his verbis nullum erui potest privilegium publicum quod a Petro ad suos successores transire debeat.

Nego anteced. Licet enim ex sua futura passione et discipulorum perturbatione occasionem loquendi sumat Christus, privilegium quod confert B. Petro est ministerium publicum, in utilitatem Ecclesiæ concessum, et primatui summo annexum.

Obj. 2° Christus est solum fundamentum Ecclesiæ quo inniti debet ne deficiat fides, eoque innixa errare non timet; ergo ex eo quod, Matth. XVI, alius dicatur petra supra quam ædificatur Ecclesia, eam non sequitur ab eo accipere fidem, sed a Christo primario fundamento.

Dist. Ant. Christus est solum fundamentum quo Ecclesia inniti debet ne deficiat fides sua, id est *primarium* fundamentum, *conc.* est fundamentum, ad exclusionem alterius secundarii, *nego.* Etenim ipse, ut nemo diffiteri potest, verbis supra allatis ponit fundamentum secundarium, seu intermedium, externum et visibile quo mediante Ecclesia reponitur super lapidem principalem sed jam invisibilem; et hoc argumentum ita valet, ut si laberetur, rueret et ipse primatus honoris et jurisdictionis, quem tamen ex Gallicanis nemo inficere auderet.

Obj. 3° Episcopi et ipsi sunt pastores, et tamen non sunt infallibiles: ergo a pari, ex eo quod, Joan. XXI, Petrus pastor constituatur, non sequitur illum esse infallibilem.

Neg. conseq. et parit. Nam apostoli seorsim sumpti

non sunt constituti pastores totius gregis, sed tantum cujusdam partis; et si errare eos nihil impedit, in errorem omnem gregem inducere non possunt, et ab alio ad veritatem reducentur, id est ab eo qui dicitur pastor agnorum et ovium. Petrus autem est pastor omnium, si cadat, omnes cum eo cadent, et nemo ei auxilium præstabit, nemo eum reducere poterit, cum vocem nullius ex grege pastor audire tenetur.

Obj. ex diversis historiæ factis. Congessere adversarii S. Pontificum infallibilitatis, multa historiæ facta e quibus sequeretur nonnullos Pontifices Romanos errasse, in hæresim ipsam esse lapsos, a conciliis reformatos fuisse. — Impossibile est hic resumere omnia facta quæ ad suæ causæ utilitatem verterunt. Dicamus pluries malæ fidei in exponenda historia exemplum præstare adversarios; ac semper multas dari explicationes quibus ab errore, saltem ex cathedra edocto, Pontifices Romanos vindicantur. — Inter multa citare juvat accusationes quas vulgaverunt adversus quosdam pontifices.

1° Marcellinus in idololatriam lapsus, idolis sacrificavit, ergo...

R. 1° *Neg. ant.* Hoc enim minime constat historia, et D. Augustinus memorat hanc accusationem mere calumniosam ab inimicis fidei catholicæ inventam fuisse, ac minime probatam.

R. 2° *Nego conseq. et consequent.* Ex eo quod Marcellinus sacrificaverit idolis, sequeretur quidem illum graviter deliquisse, et a peccato non immunes esse Rom. Pontifices; at non sequitur eos ex cathedra loquentes errorem docere posse.

2° Liberius, summus Pontifex versus medium IV sæculi, suscripsit formulæ Sirmii qua B. Athanasius injuste fuit damnatus, et docetur de Christo hæresis Ariana; ergo summi Pontifices infallibilitate non gaudent.

Resp. nego cons. et conseq. Dato enim antecedente, consequens non recte deducitur; nam, nedum Liberius subscribens dictæ Sirmii formulæ, ex cathedra docuerit, omnes nunc admittunt hanc subscriptionem fuisse actum

mere personalem, et minime ad documentum publicum Ecclesiæ pertinentem; ergo factum istud non ad causam attinet.

Negari aut saltem explicari potest antecedens; ut videri est apud auctores rem fusius tractantes; alii quidem contendunt Liberium subscripsisse primam Sirmii formulam, in qua nihil invenitur quod fidei orthodoxæ non consonet; alii solum dicunt eum adhæsisse damnationi B. Athanasii; alii fatentur illum quidem aliquid, in materia levi autem, Arianis concessisse, unde hæretici occasionem sumpserint prædicare Papam eis consentire; alii tandem hæc omnia esse Arianorum calumniam adversus Liberium inventam et hunc pontificem ab cujusvis generis concessionis culpabilis fuisse omnino immunem. — Sic *Cavalcanti*, Vindiciæ, lib. III, dissert. 2. — *Corgne*, Dissertation sur le pape Libère; *Orsi*, Inst. Eccles., lib. XIV, *Ballerini*, De Primatu SS. Pont., cap. XV; *P. Zaccharias*, de Commentitio Liberii lapso; *Palma*, tom. I, cap. XLIV, XLV; *Rohrbacher*, liv. XXXIII, tom. VI, 414 (1re éd.), etc...

3° Honorius docuit monotheismum in duabus litteris ad Sergium, et a synodo VI fuit damnatus, ergo summi Pontifices infallibilitate non sunt prædíti.

R. 1° *Nego ant.* Quidam etenim, non nullius ponderis momentis perpensis, existimant totam hanc historiam de Monothelismo Honorii, et de ejus litteris ad Sergium, esse mere inventam. Sic *DD. Gousset*, Theolog. dogm...

R. 2° *Neg. cons. et conseq.* Nam dato quod Honorius scripserit litteras ad Sergium dictas, nihil ex cathedra docere intendit. Primum, illæ litteræ sunt privatæ non ad omnem Ecclesiam directæ; postea rem sat leviter tractat, et quidem eo modo quo certe decretum fidei condere minime videtur; rem quidem Grammaticis definiendam reliquit, et declarat *unius operationis vel duarum esse vel fuisse Christum, sentire vel promere satis ineptum;* tandem ipse se declarat hanc quæstionem non definire: *Cæterum, quantum ad dogma Ecclesiasticum pertinet... non unam vel duas operationes in mediatore Dei et hominum definire*

debemus. — Ergo Honorius non ex cathedra declaravit credendum Monothelistarum errorem ; si vero synodus VI eum, anathematizavit, id intelligendum est de erroribus qui sub nomine hujus pontificis grassabantur.

Obj. Adversus omnia argumenta quibus demonstratur S. Pontificum infallibilitas.

Omnia argumenta quæ decurrente thesi congesta sunt probant solummodo sedem Romanam a fide esse indefectibilem ; ergo non inde sequitur Romanos Pontifices esse infallibiles.

Resp. neg. ant. Omnia argumenta prædicta non ad solam sedem Romanam applicantur, sed directe ad Romanum Pontificem ; sedes enim romana distincta ab iis qui hic sedent est quid novum, ante Gallicanos inauditum, et aliunde minime intelligibile. Nihil enim Christus dedit huic sedi Romanæ, sed auctoritatem præstitit iis qui sedent, qui loquuntur et audiuntur ; et si sedes Romana errare non potest in fide, hæc inerrantia provenit ex eo quod Pontifices qui in ea sedent ipsi nec errare possunt.

SECTIO SECUNDA. — *De Romano Pontifice quatenus habet jus imperii in Ecclesia.*

In qualibet societate recte instructa ad summum imperium jus triplex pertinet, nempe jus leges ferendi seu potestas legislativa, jus regendi, seu potestas administratoria, jus coercendi, scilicet potestas judiciaria. Ecclesia, societas perfecta a Christo instituta hoc triplici jure, uti vidimus, pollet ad suam conservationem defensionem et extensionem. Præterea, cum in ea Christus summum primatum in sede Romana constituerit, ad hunc summum primatum, videlicet ad Romanos Pontifices referri debet jus triplex quod ad imperium pertinet. Itaque nunc consideranda est in summo Pontifice hæc triplex potestas, legislativa videlicet, administratoria et judiciaria.

I. DE POTESTATE LEGISLATIVA IN ROMANO PONTIFICE CONSIDERATA. Ad potestatem legislativam attinet condere leges quæ omnes societatis subjectos obligent, et præterea, si

qua ratione sit faciendum, leges antea latas abrogare. Unde nunc probandum habemus Romanum Pontificem jus habere condendi leges ad omnem societatem christia nam directas, et leges jam existentes abrogandi. Duplex igitur ponitur propositio.

PROPOSITIO PRIMA.

Romanus Pontifex habet potestatem condendi leges, quæ cunctos obligent christianos.

Hæc propositio probatur Scriptura Sacra, Traditione et ratione theologica.

Prob. 1° *Scriptura Sacra.* — Ex hoc textu jam allato : *Tibi dabo claves regni cœlorum, quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis etc...* Sic argumentandum est : Christus his verbis præstitit B. Petro ejusque successoribus potestatem ligandi atque solvendi, modo universali et more principum ; atqui vinculum legis est unum ex præcipuis quæ princeps supremus injicere potest ; ergo B. Petro ejusque successoribus Christus præstitit jus condendi leges quæ cunctos obligent christianos, ita Suarez, tract. de leg. IV, c. 3.

Ex altero textu : *Pasce agnos meos, pasce oves meas,* argumentum sic constituitur : Summus Pontifex, ex institutione Christi omnes Ecclesiæ agnos et oves pascere tenetur, et certissime igitur habet a Christo quidquid necesse est ut eos recte pascat : porro non haberet quidquid necesse est ut eos recte pascat si leges cunctos obligantes condere non posset ; nam sæpe reprimendi sunt abusus, coercendæ cupiditates, fovendæ virtutes ; sanciendæ leges divinæ et humanæ ; promovenda, statuenda et observenda est cultus solemnitas ; solus Pontifex Romanus hæc jure communi præstare valet ; at illa præstare non posset, nisi haberet jus condendi leges quæ cunctos teneant obligatos. Ergo.

Prob. 2° *Traditione, scilicet praxi Ecclesiæ.* In omnibus retro sæculis summi Pontifices condidere leges ad

omnes Christi fideles spectantes et eos obligantes. Inter multa citare convenit exemplum B. Victoris in causa Paschatis; S. Stephani in causa baptismi non renovandi. — Ad hanc Ecclesiæ praxim referendum est juramentum quod episcopus in celebritate suæ consecrationis emittit : « Regulas sanctorum Patrum decreta, ordinationes seu » dispositiones, et mandata apostolica totis viribus obser- » vabo, et faciam ab aliis observari... Volo traditiones or- » thodoxorum Patrum, ac decretales sanctæ et apostolicæ » sedis constitutiones venerenter suscipere, docere et ser- » vare. » (Pontificale Rom. de Consecrat. electi in Ep.)

Prob. 3° *Ratione theolog.* Quidquid ad supremam potestatem, in societate bene constituta pertinet, tribuendum est primatui B. Petro ejusque successoribus concesso, nisi Christus id ex hoc primatu expressis verbis detraxerit; atqui ad supremam potestatem pertinet jus leges ferendi; aliunde minime videtur Christum id jus detraxisse ab eis quæ Petro contulit; ergo jus condendi leges ad omnes Christianos directas pertinet ad Petrum seu ad Romanos Pontifices.

PROPOSITIO SECUNDA.

Summus Pontifex leges antea existentes, et etiam conciliorum generalium abrogare potest.

Quoad leges vel a se vel ab aliis pontificibus editas nulla suboriri potest difficultas. Conditor enim legis eam abrogare potest quia res per quas causas nascitur per easdem dissolvitur, sed voluntas et potestas legislatoris sunt principia quibus lex pendet; ergo per eam abrogari potest.

Quoad leges a conciliis generalibus latas.

Prob. 1° *Scriptura Sacra. Quodcumque solveris super terram erit solutum et in cœlis.* Ex his verbis B. Petrus accepit potestatem solvendi in Ecclesia modo universali, et absque ulla exceptione; atqui solutio legum ad hanc potestatem naturaliter pertinet; ergo accepit generaliter solvere seu abrogare leges.

Prob. 2° *Conciliorum generalium auctoritate.* — a) *Auctoritate concilii Basileensis.* Sic enim se habet illud concil. apud *Bossuet*, Defens. Decl. part. 3, l. 11, c. 16 : « Concilii statuta in nullo derogant protestati Romani » pontificis, qui pro tempore, loco causisque et personis, » utilitate vel necessitate suadente, moderari dispensa» reque possit. »

— b) *Auctoritate concilii Tridentini*, dicentis, sess. 25, cap. 21 : « Postremo sancta synodus omnia et singula, » sub quibuscumque clausulis et verbis, quæ de mo» rum reformatione, atque ecclesiastica disciplina, tam » sub. fel. reg. Paulo III ac Julio III, quam sub beatissimo » Pio IV, Pontificibus maximis, in hoc sacro concilio » statuta sunt, declarat ita decreta fuisse, ut in his salva » semper auctoritas Sedis Apostolicæ et sit, et esse intel» ligatur. »

Prob. 3° *Praxi Ecclesiæ.* Sæpissime, nullo renitente, Romani Pontifices abrogavere decreta quæ a concilis generalibus fuerant edita. Inter multa citatur præclarum exemplum Pii PP. VII, qui ineunte præsente sæculo, contra omnes juris canonici leges et consuetudines, omnes episcopales sedes antea in Galliis existentes abolevit, sua sola actoritate novas erexit, jurisdictionem et alia jura episcopalia ademit pluribus episcopis bene merentibus, qui eam deponere recusabant : — ergo...

Prob. 4° *Ratione theolog.* — Bonum regimen Ecclesiæ sæpe exigit ut ipsius leges per legitimam dispensationem in quibusdam casibus relaxentur; id omnes fatentur : atqui solus Pontifex Romanus jure ordinario ab his legibus dispensare potest : vel enim a Pontifice Romano, vel a concilio generali legitime congregato hæc dispensatio ordinarie concedenda est. At posterius dici non potest. Ergo.

Corollarium primum. Non requiritur ut concilia talem facultatem summo Pontifici concedant; eam enim habet ratione suæ dignitatis.

Quinimo, etiamsi concilia positive statuerint quod nulla concederetur dispensatio a tali lege, summus Pon-

tifex non ligaretur hac prohibitione; ea enim non obstante, concilium generale ab hujusmodi lege dispensare posset, si, attentis rerum adjunctis, id expedire videretur. At eamdem facultatem habere debet summus Pontifex. Sic, post concilium Tridentinum, in quo statutum fuerat nullam concedendam esse dispensationem in secundo gradu consanguinitatis et affinitatis, sess. 24, de Reform. matrim. c. 5, similiter dispensarunt summi Pontifices ob rationes quas exponit *Palavicinus*, in Hist. conc. Trident. lib. 23, c. 8.

Id agnovit ipse *Bossuet*, Defens. Decl. part. 3, lib. 11, c. 22, et L. 10, cap. 31.

Corollarium secundum. Videtur quid sentiendum sit de tertio axiomate in declaratione Cleri Gallicani (1682) præclaro. Juxta axioma declaratur *apostolicæ potestatis usum moderandum esse per canones Spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia consecratos*. Hæc declaratio adversatur potestati summæ et divino traditæ Romanorum Pontificum, si significat Romanos pontifices abrogare non posse canones seu leges ecclesiasticas antea jam vigentes, quando illis opportunum videtur. Inutilem eadem declaratio sese præbet, si significet teneri Romanos Pontifices regere ecclesiam per canones jam conditos, et vel eos abrogare, vel extra eos ecclesiam gubernare non posse absque aperta necessitate, quod a nemine inficitur, et tam solemni declaratione non indiget.

II. De potestate administratoria. — Ex institutione divina, summus Pontifex, non solum potest condere aut abrogare leges, sive a seipso sive a conciliis conditas, prout necessitas requiritur, sed tenetur adhuc sedulo invigilare ut istæ leges et decreta custodiantur, tenetur providere ut bonus ordo servetur ubique, ut fides catholica in tuto reponatur, ut procuretur bonum spirituale omnium fidelium, ut pietas floreat, explanentur difficultates, et Ecclesia ab inimicis suis vindicata exaltetur et extendatur per nationes errore aut ignorantia a Catholica veritate alienas. Ad hoc munus implendum sufficit in universa Ecclesia per potestatem administratoriam ipsimet devolu-

tam. A nullo enim in dubium revocari potest summum Pontificem hac potestate gaudere, quæ naturaliter ex universo ejus primatu emanat, et ex eo quod constituatur, ut veluti pastor, qui totius gregis saluti invigilat.

Aliunde, licet spiritus sancti speciali assistentia gaudeat Romanus Pontifex in omnibus quæ ad regimen Ecclesiæ spectant, impossibile est eum solum tantum istius regiminis pondus portare; ex hac potestate administratoria effluit illum quosdam eligere posse homines quibuscum negotia Ecclesiæ tractet et solvat, quemadmodum princeps per ministros, magistratus et præfectos gubernationi totius regni providet. Itaque omnibus temporibus Pontifices Romani sibi consociarunt plures clericos, diaconos, presbyteros et episcopos e quibus proprium suum consilium effecerunt; eis concesserunt quamdam potestatem ad id necessariam; *Ita ut partita inter eos aliosque Romanæ curiæ magistratus ingenti curarum mole, ipse* (*S. Pontifex.*) *tantæ potestatis clavum tenens, divina gratia adjutrice non succombat.* (Bulla *Immensa æterni Sixti* V.)

Porro a pluribus sæculis duo instituta sunt auxilia permanentia, quibus in regimine universæ Ecclesiæ utuntur Romani pontifices, scilicet Congregationes et Tribunalia : quæ aliquando potestatis legislativæ officia, sæpius administratoriæ adimplent.

Romanæ Congregationes jurisdictione ordinaria pollent, scilicet apostolica auctoritate, ita ut earum tribunal idem sit ac tribunal summi Pontificis cujus potestatis participant. — *Quoad doctrinam* igitur maximi ponderis est earum auctoritas, tum ex eo quod ex doctoribus præclaris componantur; tum ex eo quod ii qui regiminis universæ Ecclesiæ sunt participes, S. Spiritus assistentiam accipiunt. — Hæc auctoritas majoris momenti est cum decisiones approbat summus Pontifex, certissima in rebus quæ ex voluntate Papæ pendent, veluti in materia indulgentiarum. Attamen decisiones congregationum, tanquam de fide credendæ, non habentur, etiam si approbatione S. Pontificis non indigeant, quia iste non censetur ex *Cathedra* definire.

Quoad disciplinam, decreta Congregationum vim legis habent, si eduntur *Consulto Papa* vel si jam existentem legem interpretantur. Vim autem legis non habent si extendunt, vel restringunt legem jam existentem, *inconsulto papa.*

III. De potestate judiciaria. — Ex suo primatu Romanus Pontifex jus habet modo generali judicandi in Ecclesia. Potestas enim legislativa esset illusoria si legislator jus non haberet aptis modis coercendi subjectos ad legis impletionem; atqui modus aptissimus premendi legum adimpletionem in societatibus recte constitutis est potestas judiciaria; ergo ista potestas pertinet ad summum Ecclesiæ legislatorem, id est ad Romanum pontificem.

Idcirco Romanus Pontifex sive per se, sive per tribunal a se constitutum, potest ac quandoque debet judicare sive de fide, sive de moribus, sive de disciplina. — Cum sit supremus pastor, supremus est judex; nemo a suis judiciis immunis esse potest; et aliunde sententia ejus est ultima et de ea non est appellandum.

Aliunde, ad judicis officium pertinet etiam pœnas decernere pro delictis. Cum Ecclesia sit societas spiritualis, pœnæ quas summus Pontifex pronuntiat præcipue sunt spirituales; nihil impedit attamen, quod aliquando vel indirecte curet pœnas corporales plecti.

Præterea, veluti supremus judex et magistratus, Romanus Pontifex jus habet suscipiendi appellationes episcoporum et aliorum, secluso etiam medio, et a quibusvis judiciis ecclesiasticis. Sunt qui existimant hanc potestatem esse tantum de jure ecclesiastico, videlicet ex concilio Sardicensi; nos vero censemus hanc facultatem ex suprema auctoritate judicandi derivare, ac proinde esse de jure divino; observandum tamen esse putamus jus appellandi et appellationes suscipiendi esse quidem de jure divino, non vero modum quo istæ appellationes fieri possunt. Sit igitur sequens

PROPOSITIO.

Summus Pontifex, vi eminentis sui primatus, causas fidei et disciplinæ generalis ad se evocare et appellationes a quibusvis judiciis ecclesiasticis suscipere potest.

Præter argumenta ex primatu deducta et supra exposita,

Prob. praxi Ecclesiæ et rationibus theologicis.

1° *Praxi Ecclesiæ.* Quod enim in optimis Ecclesiæ sæculis Pontifices Romani fecerunt tanquam Petri successores, id adhuc jure sui primatus facere possunt : atqui in optimis Ecclesiæ sæculis Pontifices Romani appellationes episcoporum susceperunt easque judicaverunt; sic in Oriente a sententiis conciliorum contra se latis appellaverunt S. Athanasius, Eustathius, Sebastensis episcopus, S. Joannes Chrysostomus, Flavianus Constantinopolitanus, Theodoretus, Ignatius; eos pontifices Romani audierunt, absolverunt et sedibus propriis restituerunt : in his autem appellationibus sola B. Petri successoris dignitas et præeminentia considerabantur; in Occidente vero Chelydonius, episcopus Viennensis, et Contumeliosus, episcopus Regensis, ad Pontificem Romanum appellaverunt; S. Gregorius Magnus Januarium et Stephanum ab episcopis suæ provinciæ depositos restituit. Notissima est ad Zozimum, Romanum Pontificem, appellatio Appiarii Siccensis ecclesiæ presbyteri. Ergo 1°.

2° *Rationibus theologicis.* — A) Naturæ est omnis hierarchiæ ut de sententiis inferiorum ad superiores judices, et tandem ad supremum appellari possit; supremus autem ultimo et definitive judicat. Atqui summus Pontifex vi sui primatus est superior omnibus episcopis seorsim sumptis, ipsisque conciliis provincialibus et nationalibus, sicut caput superius est membris : a judiciis ergo metropolitanorum, primatum, patriarcharum, conciliorumve provincialium aut nationalium episcopi condemnati aut depositi ad summum Pontificem appellare possunt, et

Romanus Pontifex habet jus non decernendi duntaxat recognitionem judicii, sed appellationis cujuslibet recipiendæ a quibusvis judiciis ecclesiasticis. Consulantur *Zaccaria*, Antifebronio, part. 2, et *Ballerini*, t. II opp. S. Leonis.

— B) Summus Pontifex, ratione sui primatus, cunctorum canonum exsecutioni invigilare tenetur, eorumque observantiam promovere et urgere debet : atqui munere illo fungi non potest, nisi jus habeat sententiam adversus episcopum inique latam irritandi et annullandi, siquidem per hujusmodi sententiam canones violantur : ergo per se aut per judices a se delegatos eam irritare et episcopum depositum sedi suæ restituere potest. Idem dicendum est de aliis appellationibus. Ergo 2°.

SECTIO TERTIA. — *De Romano pontifice quatenus jus summum sacerdotale in Ecclesia habeat.*

Pontifex Romanus qui simul ut pastor universus toti Ecclesiæ præficitur, veluti Episcopus proprius Ecclesiæ Romanæ præest. Quatenus vero est episcopus eadem potestate et eisdem juribus pollet, ac alii episcopi, nam ut alibi vidimus episcopatus, uti gradus summus hierarchiæ ordinis, est idem in omnibus. Attamen, Romanus Pontifex, non quidem vi sui sacerdotii, sed vi sui primatus, in res sacerdotales quoddam jus habet supremum, cujus alii episcopi minime sunt participes. Sic ad Romanum Pontificem pertinet sanctorum canonizatio; et ipse est Liturgiæ sacræ custos et rector.

I. AD ROMANUM PONTIFICEM PERTINET CANONIZATIO SANCTORUM. — Canonizatio est solemne Ecclesiæ judicium de sanctitate alicujus viri in catholica religione defuncti, cum præcepto religiosum illi cultum exhibendi.

Beatificatio est licentia a summo Pontifice concessa ut aliquis defunctus appelletur *Beatus*, et in aliqua regione, ecclesia aut familia quidam illi exhibeatur cultus religiosus.

Unde canonizatio in pluribus differt a beatificatione. 1° Nam in canonizatione præcipitur ut aliquis pro sancto habeatur et cultus ei rependatur; in beatificatione vero cultus tantum permittitur. 2° Canonizatio ad totam respicit Ecclesiam et beatificatio intra provinciam, diœcesim, civitatem, parochiam aut monasterium saltem ordinarie coercetur. 3° Canonizatio est sententia definitiva de viri sanctitate ab omnibus reverenda et colenda; at in beatificatione judicium quod fertur non est ultima et definitiva sententia de beatificati sanctitate.

Per multa sæcula episcopi sua auctoritate cultum religiosum hominibus cum characteribus sanctitatis mortuis decernebant; illa cultus institutio erat particularis canonizatio; seu melius, ut observat Benedictus XIV, beatificatio; nam præceptum episcopi ultra limites suæ diœcesis extendi non poterat. Ille ergo cultus necessario erat limitatus, et cunctos Ecclesiæ fideles obligare non poterat, nisi, a singulis episcopis per orbem successive admissus, fieret catholicus : improprie ergo ille cultus diceretur canonizatio, siquidem canonizatio ex definitione ad totam per se respicit Ecclesiam.

Mos iste sanctos canonizandi, seu potius beatificandi, usque ad duodecimum sæculum exstitit. S. Ulricus, Augustanus Episcopus, primus fuit solemniter canonizatus a summo Pontifice, scilicet a Joanne XV, anno 993; secundus fuit S. Simeon, solitarius, a Benedicto IX, anno 1042; et tertius S. Geraldus, episcopus Tullensis, ab eodem Benedicto IX, anno 1050. Ultimus, juxta antiquam formam in sanctorum numerum relatus, fuit S. Galterius (*S. Gauthier*), abbas S. Martini Pontisaræ, quem archiepiscopus Rothomagensis canonizavit anno 1153.

Alexander III et Innocentius III, in fine duodecimi sæculi, advertentes multos abusus circa cultum sanctorum ex nimia episcoporum facilitate aut credulitate sæpius exoriri, prohibuerunt ne deinceps aliquis pro sancto haberetur aut coli inciperet sine Romani Pontificis approbatione. Urbanus VIII, per bullam anni 1634, non solum

canonizationem, sed ipsam beatificationem et quidquid ad cultum servorum Dei pertinet, Apostolicæ sedi reservavit. Minime quis dubitare potest quin ad solum Pontificem Romanum ab eo tempore jure pertinuerit sanctos beatificare et canonizare; cum vi suæ potestatis legislativæ circa hoc objectum maximi momenti possit decreta obligatoria condere. Ac revera de hac potestate summi Pontificis in sanctis canonizandis nemo dubium movet. Sed potius inquirendum est quanam auctoritate in his causis judicet.

Quæritur an Romanus Pontifex sit infallibilis in canonizatione et beatificatione sanctorum.

Certum est 1° canonizationem particularem, seu beatificationem æquipollentem, ut eam vocat Benedictus XIV, ab episcopo vel a metropolitano factam, nusquam haberi potuisse tanquam infallibile Ecclesiæ judicium; nam privilegium infallibilitatis episcopis singulatim sumptis, præter Romanum Pontificem, non competit: ergo nisi aliquis privatim olim canonizatus, postea per orbem universum habitus fuerit ut sanctus, infallibiliter constare non potest illum esse sanctum.

2° *Velut certum communiter admittitur* Ecclesiam non esse infallibilem in simplici servorum Dei beatificatione. Nam — a) illud solum judicium haberi debet ut infallibile quod absolute et definitive fertur: atqui in beatificatione judicium Ecclesiæ non fertur absolute et definitive, siquidem tota causa de novo instruitur quando de beatificatione ad canonizationem transitur. — b) Illud judicium ut infallibile haberi non debet quod ad universam non dirigitur Ecclesiam, quemadmodum supra jam exposuimus. — c) In beatificatione nihil præcipitur, sed tantum aliqua fit concessio: porro de natura concessionis Ecclesiæ non est absolute ut sit infallibilis. Ita Benedictus XIV, in eruditissimo opere de Canonizatione sanctorum. l. I de Beatif., c. XLII, n. 12. Qui tamen contra publicam beatificationis sententiam insurgeret, temeritatis notam declinare non posset. Nunc igitur de sola canonizatione solemni agitur.

PROPOSITIO.

Solemne Romani Pontificis judicium circa sanctorum canonizationem est infallibile.

Prob. Auctoritate et ratione.

1° *Auctoritate.* Summi Pontifices, saltem a multis sæculis, servos Dei solemniter canonizant, seu inter sanctos annumerant, et jubent ut cultus religiosus eis exhibeatur cunctis episcopis tacentibus : at si tale decretum esset falsum, Ecclesia fideles induceret in errorem, ut patet. Ergo.

2° *Ratione.* Illud enim admitti non potest quod cultum religiosum erga omnes sanctos subverteret, Ecclesiam contemptui exponeret, et ejus sanctitatem labefactaret : atqui talis esset sententia docens Ecclesiam in canonizatione sanctorum esse fallibilem. — A) Cultum religiosum erga omnes sanctos subverteret ; si enim semel admittatur Ecclesiam errare posse in agnoscenda alicujus defuncti sanctitate, unusquisque dubitare poterit de legitimitate cultus erga insigniores sanctos præscripti. — B) Ecclesiam contemptui exponeret ; in ea enim opinione, impii, hæretici et perditi homines semper exprobrare possent Ecclesiæ quod forte inimicis Dei et reprobis religiosos tribuat honores, et nulla ratione firma redargui possent.

— C) Sanctitatem Ecclesiæ labefactaret ; Ecclesia quippe debet esse sancta in suo cultu : at, prædicta opinione semel admissa, non esset sancta in suo cultu, siquidem cultum objecto prorsus indigno forsitan exhiberet. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° Sanctitas alicujus viri pendet a factis personalibus : at Ecclesia de factis personalibus infallibiliter non judicat : ergo.

R. Dist. min. Ecclesia de factis personalibus infallibi-

liter non judicat, si in se spectentur, *conc.*; si in aliquo casu cum puritate doctrinæ Evangelicæ essentialiter jungantur, *nego min.* Itaque fatemur Ecclesiam de factis personalibus in se sumptis infallibiliter non judicare; at ubi illa facta, propter aliquam circumstantiam, essentialiter cum puritate doctrinæ Evangelicæ junguntur, de illis infallibiliter judicare debet Ecclesia; nam de doctrina Evangelica infallibiliter judicat; necesse est igitur ut infallibiliter de iis judicet quæ ad tale judicium essentialiter prærequiruntur : porro, in solemni canonizationis sententia, facta quæ sanctitatem viri probant, cum puritate doctrinæ Evangelicæ essentialiter conjunguntur; nam puritas doctrinæ Evangelicæ necessario exigit ut cultus religiosus alicui non sancto nomine totius Ecclesiæ et præcepto ejus non rependatur. Ergo. Unde Benedictus XIV, opere citato, l. I, c. XLIV, n. 4 : « Omnibus præ» dictis objectis unica solidissima responsione satisfit, si » dicatur quidquid ex materiæ et testium qualitate pro » ~~in~~fallibilitate desumitur, plene submoveri ex divina » Providentia et Spiritus sancti præsentia. »

Obj. 2°. Multi honorantur ut sancti qui ab episcopis tantum aut archiepiscopis per judicium fallibile fuerunt canonizati : *a pari* non necesse est ut solemnis Ecclesiæ sententia sit infallibilis.

R. Nego conseq. et paritatem. Ratio disparitatis est, quod in priori casu cultus religiosus nomine totius Ecclesiæ non exhibeatur. Itaque si error de facto existat, in totam Ecclesiam refundi non potest, nec idcirco promissionibus Christi opponitur. In posteriori vero hypothesi, error tribuendus foret Ecclesiæ, et promissis Christi adversaretur, ut diximus. Ergo.

Nec sufficeret dicere errorem in eo casu esse tantum materialem, ac proinde non culpabilem, ut, v. g., quando adoratur hostia quæ falso putatur consecrata; nam repugnat Ecclesiam directe approbare errorem contra bonos mores et Dei honorem : atqui hujusmodi errorem directe approbaret Ecclesia, si publicum decerneret cultum alicui non sancto. Quando autem adoratur hostia quæ falso pu-

tatur consecrata, est error facti particularis qui in Ecclesiam refundi non potest; nam Ecclesia non decernit talem hostiam esse consecratam; contra vero judicat talem hominem esse sanctum; et cultum illi exhibendum. Ergo.

Obj. 3°. Pluries deleta sunt nomina sanctorum in Martyrologio et in Breviario Romano : at quæcumque in Martyrologio et Breviario Romano inscribuntur, ab universa Ecclesia censentur approbata. Ergo.

R. Nego min. Ea enim reputari non possunt ab universa Ecclesia approbata, quæ ei non proponuntur ut definita et cunctos fideles obligantia : porro ea quæ reperiuntur in Martyrologio et in Breviario Romano non proponuntur ut definita et cunctos fideles obligantia ; Benedictus enim XIV expresse declarat, l. 4, part. 2, c. 13, n. 8, facta historica quæ in Breviario Romano referuntur, licet non modicam mereantur fidem, posse tamen novo examini subjici, etiam a privatis hominibus, modo id fiat modeste et cum gravi fundamento; et ibidem, c. 17, n. 9, hæc habet illustris Pontifex : « Asserimus » Apostolicam sedem non judicare inconcussæ esse et » certissimæ veritatis quæcumque in Martyrologium Ro» manum inserta sunt... quod optime colligitur ex mu» tationibus et correctionibus a sancta ipsa Sede deman» datis. » Ergo. Nihil *a fortiori* concludi potest ex *Legendis* in aliis libris contentis.

Nec pariter habenda est ut definita sanctitas eorum quorum corpora aut aliæ reliquiæ insignes, sive cum nomine proprio, sive cum imposito, alicui Ecclesiæ a summo Pontifice etiam cum Litteris authenticis traduntur.

Quæritur utrum infallibilitas Ecclesiæ circa sanctorum canonizationem ad fidem divinam pertineat.

R. Eodem modo de hac infallibilitate judicandum est ac de infallibilitate circa facta dogmatica. De fide divina videtur Ecclesiam jus habere infallibiliter pronuntiandi in canonizationibus sanctorum, nam Ecclesia infallibilis est circa morum præcepta : canonizatio autem sanctorum ad præcepta morum pertinet, *ut in probatione observavimus*. At posito solemni Ecclesiæ decreto de alicujus viri

sanctitate, constat ne fide divina hunc virum esse sanctum? Disputant inter se theologi; communius tenetur hoc factum ad fidem divinam non pertinere. Benedictus XIV, momentis utriusque opinionis scite et perite, pro more suo, libratis, sic concludit: « Videtur igitur » nobis utraque opinio in sua probabilitate relinquenda, » usquequo sedis Apostolicæ judicium prodeat; » de Canon. l. 1, c. 45, n. 27. Valde tamen temerarius foret qui contra aliquod canonizationis decretum insurgeret. Melchior *Canus*, l. 5, c. 5, versus finem, eum vocat temerarium, impudentem ac irreligiosum.

II. Romanus pontifex sacræ Liturgiæ custos est et rector. — Sacra Liturgia, juxta *D. Bouix* (tract. de Jure liturg., c. III) est forma cultus externi in Ecclesia catholica instituti. Hic cultus, qui verbis et actionibus constat, via est præcipua seu saltem late patens qua commercium inter Deum et homines initur, qua divina gratia in Ecclesiam effluit. Istius liturgiæ fundamentum posuit Christus cum ipse instituerit sacramenta. Sed Apostolis et eorum successoribus curam commisit hoc ædificium perficiendi. Itaque decursu temporis et studio Pontificum prodiere preces et cæremoniæ e quibus tota componitur sacra Liturgia.

At, rebus humanis in varia ex se abeuntibus, necesse est ut in Ecclesia quædam constituatur potestas quæ antiquis et venerandis liturgiæ formis invigilet ne inconsulto varientur. Eadem potestas item ad præcipiendum, mutandum, si opus fuerit, circa res liturgicas præficitur.

Porro quis gaudere possit hac potestate nisi summus Pontifex qui in Ecclesia primatum tenet. Notandum est tamen, quod istam auctoritatem circa Liturgiam obtinet Romanus Pontifex non equidem ex sua episcopali charactere, quo omnibus episcopis similis est, sed vi sui primatus. — Pariter, procul dubio, summi Pontificis potestas liturgica non eo venit ut fundamentum a Christo positum possit eruere, videlicet sacramenta secundum eorum materiam et formam aut abolere, aut immutare; ideo-

que ea potestas solum modo versari potest circa partes origine humanas. His positis facile comprobatur sequens.

PROPOSITIO.

Romanus Pontifex sacræ Liturgiæ custos est et rector.

Prob. 1° Romanus Pontifex supremus est doctor in Ecclesia, cujus munus est invigilare fidei ne in gregem error sive violentia aperta irruat, sive dolo irrepat; atqui, in rebus liturgicis, ut ex experientia constat, facillime error irrepere potest, et sic sub formulis precariis in intima corda fidelium illabi; ergo Romanus Pontifex potest et debet hanc liturgiam ab omni errore illibatatam asservare.

Prob. 2° Romanus Pontifex primatum honoris et jurisdictionis tenet in Ecclesia, ita ut acceperit, juxta effatum concilii Florentini *plenam potestatem pascendi regendi et gubernandi.* Atqui hic primatus ad omnia sese extendit, et nihil excogitari potest quod ab ea jurisdictione auferatur; nulla datur inferior potestas quæ rem aliquam jure ex ea detrahere possit; ergo, sacra liturgia, quæ ad omnem Ecclesiam pertinet, quæ maximi est ponderis, ad Romani Pontificis jura suprema refertur.

Prob. 3° *praxi Ecclesiæ.* A B. Victore, qui, vergente ad finem secundo sæculo, festa paschalia, die dominica post plenilunium mensis martii, usque ad Pium IX fauste regnantem, summi Pontifices, sua jura in res liturgicas exercuere, nemine diffitente. Sic S. Telesphorus præcepit missam noctu celebrandam esse, in die natali Domini, item *gloria in Exelsis,* ante sacra decantandum.— S. Stephanus, renitente S. Cypriano, baptismum iterandum prohibuit. — Curam et studium S. Gregorii Magni circa Liturgiam nullus prætermisit. — Et si, decurrentibus sæculis, in diversis regionibus, diversæ liturgiæ vigere cæperint, id explicandum est, annuentibus summis Pontificibus, et illæso eorum jure. At fatendum est id quandoque contigisse ex oblivione juris, ac nonnisi inde

Ecclesia grave detrimentum patiente. — Sacrosancta sy nodus Tridentina denuo commendavit Romanum Pontifi cem in liturgiam suum jus exercere, ut omnes Ecclesia Occidentales ad formam Liturgiæ Romanæ redigerentur Ab hoc tempore, id est, a S. Pio V, S. Liturgiæ restitutore jus supremum pontificium circa hanc materiam exercer non destitit ; ac præsertim ex eo quod Congregatio S. Ri tuum, auctoritate Pontificis, huic muneri adimplend instituta fuerit, et quasi quotidie suum officium adim pleat. — Ergo... Qui plura desiderat, adeat *Tractatum d jure Liturgico,* Auctore *D. Bouix;* ac præsertim exquisit opera de hac re R. P. *Prosp. Guéranger. Institutions litur giques. Lettre à Mgr. l'archevêque de Rheims, sur le drot liturgique.*

§ III. — Consectaria et proprietates primatus sedi Romanæ annexi.

Ex primatu a Christo concesso tum B. Petro, tum eju successoribus quædam fluunt consectaria, vel ad hunc pr matum pertinent quædam proprietates de quibus nun sermo instituendus est. Hæc consectaria vel proprietat ad sequentia revocari possunt ; quod summus Pontifex s centrum Ecclesiæ ; — quod sedes romana sit fons totiu jurisdictionis in Ecclesia, et summus Pontifex episcop instituat ; — quod ejus jurisdictio sit ad omnia immedia directa ; — quod sit suprema, ita ut quod nec canones, n concilium generale sit supra eum ; — quod sit univers lis ad omnia spiritualia scilicet, et quodam sensu etia ad temporalia regum. De his omnibus nunc loquendu est.

Sectio prima. — *Romanus Pontifex est centrum unitatis Ecclesiæ.*

Jam probavimus in prima hujus Tractatus parte pri cipium unitatis tum ratione doctrinæ, tum ratione re minis in vera Ecclesia semper exstiturum esse. Nu

ostensuri sumus hoc principium in summo Pontifice tanquam in centro residere.

PROPOSITIO.

Romanus Pontifex est centrum totius unitatis catholicæ.

Prob. Illud pro certo tenendum est quod constat Scriptura sacra et traditione : atqui propositio nostra constat Scriptura sacra, etc.

1° *Scriptura sacra.* Pontifex Romanus, ex dictis, est fundamentum et caput Ecclesiæ, supremus pastor ovium et agnorum : ergo sicut omnes partes ædificii fundamento niti, omnia corporis membra cum capite communicare, omnesque oves et agni gregis regimini pastoris subjici debent, sic et omnes fideles nec non inferiores pastores cum summo Pontifice uniantur necesse est. Omnia igitur ab ipso procedere, omnia ad eum redire debent, sicut in circulo omnes radii a centro procedunt et ad centrum redeunt. Ergo summus Pontifex reipsa est centrum unitatis in Ecclesia. Ergo 1°.

2° *Traditione.* Unanimis est conciliorum et SS. Patrum sententia circa hoc punctum ; hæreticos et schismaticos omni tempore confutaverunt SS. Patres, ostendendo eos non habere communionem cum Sede Romana. Plurimorum testimonia paucis lineis sic nervose contrahit *Bossuet, Sermon sur l'unité de l'Eglise :*

« L'autorité ecclésiastique, premièrement établie en la » personne d'un seul, ne s'est répandue qu'à condition » d'être toujours ramenée au principe de son unité, et que » tous ceux qui auront à l'exercer se doivent tenir inséparablement unis à la même chaire.

» C'est cette chaire Romaine tant célébrée par les Pères, » où ils ont exalté, comme à l'envi, la principauté de la » chaire Apostolique, la principauté principale, la source » de l'unité, et dans la place de Pierre, l'éminent degré » de la chaire sacerdotale, l'Eglise mère ; qui tient en sa » main la conduite de toutes les autres Eglises ; le chef de

» l'Episcopat d'où part le rayon du gouvernement; la
» chaire principale, la chaire unique en laquelle seule
» tous gardent l'unité. Vous entendez dans ces mots, saint
» Optat, saint Augustin, saint Cyprien, saint Irénée, saint
» Prosper, saint Avit, saint Théodoret, le concile de Chal-
» cédoine et les autres; l'Afrique, les Gaules, la Grèce,
» l'Asie; l'Orient et l'Occident unis ensemble.»

Quicumque ergo vinculum unitatis cum legitimo summo Pontifice solvit, eo ipso ad corpus Ecclesiæ, extra quam nulla salus, jam non pertinet; et sicut membrum a corpore humano sejunctum arescit, ita quisquis cum pontifice Romano communionem unitatis non servat, a fonte vitæ spiritualis separatur et moritur.

Hinc plurima sequuntur, videlicet:

1° Ecclesia Christi essentialiter est Romana, ac proinde veri fideles necessario sunt catholici Romani.

2° Privati homines ipsique sacerdotes nunquam legitime pronuntiare possunt talem aut talem Pontificem canonice non fuisse electum, in hæresim vel in apostasiam lapsum esse, et sub hoc prætextu decernere communionem cum illo habendam aut servandam non esse. Ubi episcopi sunt moraliter unanimes in admittendo tali homine tanquam legitimo B. Petri successore, nemo ab illius communione discedere potest, quamcumque ob causam, quin eo ipso extra viam salutis constituatur.

3° Qui ore tenus duntaxat Pontifici Romano uniuntur, ad veram Ecclesiam de facto non pertinent; absurdum enim et ridiculum foret dicere unionem cum summo Pontifice necesariam, in verbis tantum consistere et non in actionibus; unde seipsos manifeste decipiebant Jansseniani, qui ad Ecclesiam eos damnantem pertinere volebant.

4° Episcopi contra decreta summi Pontificis electi et confirmati, qui professionem fidei suæ, ut aiunt, ad eum mittunt, prætendentes, sub hac unitatis specie, se communionem essentialem cum illo servare, evidenter sunt schismatici. Tales sunt archiepiscopi Trajectenses, qui ab anno 1723 usque nunc, juxta hanc methodum sibi

succedunt : sic et episcopi de *Deventer* et de *Haarlem*. De his ne quidem fit mentio in Litteris apostolicis diei 4 martii 1853, quibus hierarchia episcopalis a Pio IX in Hollandia restituitur. Gravioribus censuris ecclesiasticis a sancta Sede perculsi, nihilominus in obstinatione sua perseverant et gloriantur se catholicos Romanos esse.

SECTIO SECUNDA. — *Summus Pontifex est fons totius jurisdictionis in Ecclesia.*

I. QUÆSTIO DE ORIGINE JURISDICTIONIS EPISCOPALIS. — Certum est, ex dictis, regimen Ecclesiæ esse monarchicum, et Romanum Pontificem esse monarcham ; Romanus namque Pontifex non solum dignitatis et honoris, sed jurisdictionis et auctoritatis primatum habet in tota Ecclesia, eam regit ac gubernat. Verum habetne solus jure divino plenitudinem jurisdictionis ecclesiasticæ, ita ut episcopi ab ipso totam auctoritatem suam teneant? Res controvertitur.

Quidam dicunt Apostolos totam jurisdictionem suam, non immediate a Christo, sed a B. Petro accepisse : ita apud Bellarminum de Romano pontifice, l. 4, c. 22, Joannes *de Turrecremata* et *Jacobatius*. Alii vero docent Apostolos jurisdictionem suam a Christo quidem accepisse, sed negant episcopos eis successisse, nisi quantum ad characterem : contendunt omnem jurisdictionem ecclesiasticam in solo Papa residere, et ab ipso episcopos eam accipere. Sic Bellarminus et cum illo plerique extranei. Alii autem, præsertim in Gallia, tenent episcopos, canonice institutos, immediatę a Christo jurisdictionem accipere. Sed novissimis hisce temporibus multi hanc veterem Gallorum opinionem deseruerunt.

Notandum 1° sententiam Joannis *de Terrucremata* communissime a theologis et ab ipso Bellarmino rejici : illam ergo statim sejungimus.

Notandum 2° episcopos, in Bellarmini opinione aliquo sensu auctoritatem suam jure divino possidere; Christus enim suam instituens Ecclesiam, voluit ut in ea essent

episcopi : unde nec eorum characterem mutare aut limitare, nec eorum existentiam tollere posset Romanus Pontifex.

Notandum 3° modum instituendi episcopos, in quacumque opinione, esse tantum juris ecclesiastici; nullibi enim Christus illum præscripsit, nec circa illum traditio Ecclesiæ fuit constans : ipsa summi Pontificis institutio varia fuit pro variis temporibus, et tamen Pontifex semel canonice institutus statim a Christo plenam habet auctoritatem.

Nos vero multo probabiliorem habemus sententiam quæ tenet omnes episcopos suam jurisdictionem accipere a summo Pontifice. — a) Quia hæc opinio docetur ab omnibus theologis, sedi Romanæ pie addictis, dum doctrinam contrariam in ore habent theologi gallicani qui ab ista sanctissima sede temerarie suas prærogativas adimere audent. — b) Quia id consonat multo melius formæ regiminis quæ a Christo data est Ecclesiæ. Christus enim constituit Ecclesiam sub forma monarchica et B. Petrum principem absolutum in hac Ecclesia, et vicem suam gerentem, saltem quoad officia publica : atqui in monarchia absoluta omnes magistratus inferiores a principe ducunt suam potestatem ; ergo videtur quod in Ecclesia a Petro, veluti a fonte, qualiscumque potestas etiam episcoporum emanet. — c) Hæc sententia veterum Patrum dictis et assensu nititur : Innocentius I in Epist. ad Conc. Carthag. sic se habet : « A Petro et ipse episcopatus et tota auctoritas hujus nominis emersit. » — B. Leo M. Serm. de assumpt. sua : « Si quid, inquit, commune cum ea aliis » voluit esse principibus (nempe Christus) nunquam nisi » per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit. »

II. Quæstio de institutione canonica. — Quidquid sit certum est episcopos non ab alio accipere posse suam institutionem. Institutio idem est ac missio, et est actus superioris quo confertur potestas. Essentialiter differt ab electione, quæ est tantum indicatio electi seu subjecti cui conferenda est institutio seu missio. Variis modis, diversis temporibus facta est electio, quod videbitur ubi fusius

de Episcopis. — Forma institutionis item variavit ; sed sive a Patriarcha, sive a concilio provinciali, sive a metropolitano hæc institutio fuerit collata, usque ad summum Pontificem referebatur, quia concilium, Metropolitanus, quasi locum Pontificis Romani tenebant, in ejus nomine instituebant, ita ut, dissentiente Sede Apostolica, nunquam institutio sic collata valida fuit. — In re autem tanti momenti immorari debemus, et ut nulla remaneat umbra duplici propositione probabimus : sola auctoritate ecclesiastica institutionem episcoporum provenire posse, et solum Romanum pontificem jure divino hanc institutionem conferre posse.

PROPOSITIO PRIMA.

Institutio canonica, ab ecclesiastica auctoritate accepta, est omnino necessaria.

Prob. 1° *Scriptura sacra,* nempe omnibus textibus quos attulimus demonstrando veram Ecclesiam debere esse Apostolicam ratione ministerii. Nullus enim validam habet potestatem spiritualem in populum Dei, nisi legitimam missionem a Christo per Apostolos eorumque successores descendentem acceperit : porro talis missio a sola potestate ecclesiastica conferri potest : ergo.

Prob. 2° *concilio Trident.* Sic enim se habet, sess. 23, c. 4 : « Decernit (sacrosancta synodus) eos qui tantum- » modo a populo aut sæculari potestate ac magistratu vo- » cati et instituti, ad hæc ministeria exercenda ascen- » dunt, et qui ea propria temeritate sibi sumunt, omnes » non Ecclesiæ ministros, sed fures et latrones per ostium » non ingressos, habendos esse ; » et canone 7 ejusdem sess. sic concludit : « Si quis dixerit... eos qui... nec » missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et » sacramentorum ministros ; anathema sit. » Ergo.

Prob. 3° *ex SS. Patribus*, ut supra loco citato.

Prob. 4° *ratione theologica.* Ad servandum bonum ordinem, requiritur ut proprium territorium unicuique

episcopo assignetur ; id evidenter patet : atqui solius potestatis ecclesiasticæ est territorium episcoporum ita determinare, cum de muneribus ecclesiasticis obeundis proindeque de potestate spirituali exercenda agatur: ergo.

Quod autem de institutione episcoporum dicitur, pari ratione dicendum est de creatione, suppressione, divisione, coadunatione diœceseon : nihil in hoc genere legitimum esse potest, nisi saltem consensus potestatis ecclesiasticæ accesserit. Hinc clerus Gallicanus in opere notissimo, *Exposition des principes sur la Constitution civile du clergé, en* 1790, cui centum et quadraginta episcopi subscripserunt, ait : « Il n'y a pas un exemple de » la réunion de plusieurs diocèses, de la séparation de » deux diocèses unis, de la division d'un évêché, de la » translation même d'un siége épiscopal, sans l'interven- » tion de la puissance ecclésiastique. »

PROPOSITIO SECUNDA.

Solus Pontifex Romanus jure divino potest instituere episcopos per orbem universum.

Probatur Scriptura sacra et concilio Trident.

1° *Scriptura sacra.* Constat enim Scriptura sacra ex dictis, summum Pontificem esse caput totius Ecclesiæ, habere primatum, non solum honoris, sed et jurisdictionis, et supremam potestatem universum gregem christianum regendi ac pascendi : porro institutio episcoporum ad generalem hanc administrationem pertinet : ergo.

2° *Concilio Trident.* sess. 23, c. 8 : « Si quis dixerit » episcopos, qui auctoritate Romani pontificis assumun- » tur, non esse legitimos et veros episcopos, sed figmen- » tum humanum; anathema sit. » Igitur pontifex Romanus potest ublique legitimos constituere episcopos : ergo repugnat aliam auctoritatem jure proprio legitimos instituere posse episcopos, alioquin fieri posset ut duo simul existerent legitimi episcopi pro eadem sede. Ergo.

Episcopi igitur a Romano pontifice missi, eo ipso legi-

timam auctoritatem habent; qui vero ab eo non agnoscerentur, hac sola ratione schismatis notam effugere non possent.

SECTIO TERTIA. — *Romanus Pontifex jurisdictione gaudet immediate ad universa directa.*

Illa jurisdictio immediata dicitur quæ sine ulla interpositione ad suum objectum attingere potest. Si summus Pontifex ubique orbe terrarum habeat immediatam jurisdictionem, potest omnia facere quæ de jurisdictione ecclesiastica pendent, nec necesse est illum a nemine accipere delegationem. Hæc prærogativa in tuto reponenda est nam quidam, veræ doctrinæ adversantes, illi concedunt duntaxat jurisdictionem mediatam, vi cujus, omnibus episcopis invigilare, eos delinquentes aut suos populos male gubernantes admonere et corrigere debeat, sed nihil ultra facere queat.

PROPOSITIO.

Summus Pontifex immediatam habet jurisdictionem per totum orbem christianum.

Hæc propositio probatur Scriptura Sacra; conciliorum auctoritate, factis ex historia ecclesiastica depromptis, consensu doctorum et ratione.

Prob. 1° *Scriptura sacra.* S. Joan. XXI, 15, 16 et 17: *Pasce agnos meos... pasce oves meas.* Summus Pontifex, tanquam B. Petri successor, habet jus pascendi seu gubernandi totum gregem christianum per orbem universum : atqui jus illud supponit jurisdictionem immediatam : ergo.

Prob. 2° *Conciliis.* Concilium enim Florent. collatione 22, definit Pontificem Romanum esse « verum Christi » vicarium totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Chris» tianorum patrem et magistrum existere. » Conc. Trident. sess. 14, c. 7, hæc habet : « Merito Pontifices ma-

» ximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa » tradita, causas aliquas criminum graviores suo potue- » runt peculiari judicio reservare. » At immerito diceretur Pontifices Romanos esse omnium Christianorum patres et doctores, speciales criminum causas sibi reservare potuisse, si in cunctos Christianos per universum orbem sparsos, immediatam non haberent jurisdictionem.

Prob. 3° *factis ex historia ecclesiastica depromptis.* Eminentissimæ Sedis Apostolicæ prærogativæ quas exposuimus, innumeris factis confirmantur : quicumque historiam ecclesiasticam attente legerint, plenissime convicti, fateri cogentur Pontificem Romanum tanquam Petri successorem cæteros episcopos sua dignitate et auctoritate longe præcellere, quod observat et describit auctor operis *du Pape*, *t.* I, *l.* 1, *c.* 8, postquam diversas retulit testimonia, addit : « Néanmoins il y a quelque chose peut-être » de plus frappant encore, c'est le sentiment général qui » résulte d'une lecture attentive de l'histoire ecclésias- » tique. On y sent, s'il est permis de s'exprimer ainsi, » je ne sais quelle *présence réelle*, du souverain Pontife » sur tous les points du monde chrétien. Il est partout, » il se mêle de tout, il regarde tout, comme de tous côtés » on le regarde. » Sic ipse *Pascal*, non suspectus, notaverat : « Il ne faut pas juger de ce qu'est le Pape par quel- » ques paroles des Pères... mais par les actions de l'Eglise » et des Pères, et par les canons. Le Pape est le premier. » Quel autre est connu de tous ? Quel autre est reconnu » de tous, ayant pouvoir d'influer par tout le corps, parce » qu'il tient à la maîtresse branche qui influe partout? » *Pensées*.

Prob. 4° *Consensu doctorum.* Sacra quippe Facultas Parisiensis, anno 1542, inter plures articulos, sic decernit : « Non minus certum est unum esse jure divino Roma- » num in Ecclesia Christi militante Pontificem, cui omnes » Christiani parere tenentur. » Hæc etiam est doctrina illustrissimi *Bossuet*, Append. ad Defens. Declar. lib. 1, c. 1. Si autem Pontifex Romanus immediatam non haberet jurisdictionem per orbem universum, omnes Chris-

tiani non magis ipsi parere tenerentur quam archiepiscopo aut primati: at nullam debent obedientiam archiepiscopo ut tali, nec primati: ergo.

Prob. 5° *Ratione theol.* Summus enim Pontifex facultatem habet, ex dictis, condendi leges quæ ad omnes Christianos spectent eosque obligent: verum tales leges condere non posset, si immediatam jurisdictionem in omnes non haberet: ergo.

SECTIO QUARTA. — *Potestas Romani Pontificis est suprema, ita ut sit supra canones et ipsum generale concilium.*

Jam vidimus Romanum Pontificem, vi potestatis legislativæ summo primatui inhærentis, abrogare posse decreta olim a conciliis generalibus edicta circa disciplinam; itaque recte pronuntiandum est illum esse supra canones quemadmodum legislator est supra leges.

Restat nunc inquirendum an pontifex sit etiam supra concilium generale. Ut elucidetur hæc quæstio, multis olim tenebris et contradictionibus obnubilata, plura sunt notanda.

1° Certum est, si nullus sit Papa, aut sit tantum Papa dubius, concilium generale sufficienter convocari posse, v. g., a Cardinalibus Romanæ Ecclesiæ; illud concilium, si impar sit quidem ad dogmata fidei infallibiliter definienda, posse autem pronuntiare inter contendentes de pontificatu, et certum Papam ostendere aut constituere. Ecclesia enim, quæ numquam est peritura, semper habere debet potestatem, ut in quocumque casu sibi provideat; et equidem, hac potestate usa est in concilio Pisano primum, anno 1409, et postea in concilio Constantiensi anno 1415. At item certum est ex hac potestate transitoria non inferri concilium generale esse supra summum Pontificem certum et ut legitimum ab omnibus acceptum; haud secus ex potestate eligendi pontificem, qua gaudent Cardinales, non sequitur Cardinalium collegium esse supra eumdem Pontificem.

2° Concedimus concilium generale legitimam habere

potestatem examinandi pontificem de aperta hæresi rationabiliter suspectum ; — quod quidem vix supponi potest, stante promisso Dominico de inconcutienda Petri fide ; — et data hypothesi, illum condemnandi et deponendi ; nam quilibet homo vere hæreticus ipso facto extra Ecclesiam constituitur, ergo illius caput esse non potest ; seu accuratius, si papa sit, eo ipso dignitatem suam amittit coram Deo ; ideo concilium in eo casu non deponeret, sed papam jam non esse declararet.

3° Fatemur summum Pontificem concilio generali non esse superiorem, eo sensu quod dogmatica ejus decreta annulare aut mutare possit, quando hæc decreta approbatione ipsius summi Pontificis pollent. Hæc enim decreta, sunt infallibilia veritatis revelatæ oracula. Veritas vero nec a pontifice nec a concilio, quodcumque sit, mutationem subire potest.

4°. Contendimus vero summum Pontificem eo sensu esse supra concilium generale, quod summus Pontifex possit, vi suæ auctoritatis supremæ, dissolvere concilium generale et antea legitimum, irrita facere ejus decreta, si quæ fiant absque suo concursu ; quod concilium generale autem non jus habeat jubendi, judicandi et deponendi summum Pontificem certum et de hæresi aperta non convictum.

Quæritur si vero concilium legitimum unam sententiam admittat, et oppositam Pontificis teneat, an Pontifici vel concilio adhærendum sit.

R. Hæc questio est absona, itaque nec ponenda est nec solvenda. Hujus affirmationis rectitudo ex sequenti demonstratione patebit ; scilicet hæc hypothesis pugnæ inter concilium et summum Pontificem, caput et membra Ecclesiæ, a Gallicanis pontificiæ auctoritati infensis excogitata, a nobis habetur veluti in se impossibilis stante Ecclesiæ constitutione, practice inaudita, et tandem nociva demonstrationi christianæ.

1° Impossibilis est hypothesis istius pugnæ qua ruit constitutio Ecclesiæ. — a) Juxta hanc constitutionem fideles Ecclesiæ debent esse sub regimine legitimorum pas-

torum quos *Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei;* ac præsertim et una sub regimine summi Pontificis qui omnibus præest, ad quem omnes quasi ad centrum referuntur ut ex omnibus membris unum corpus efficiatur; porro si detur colluctatio inter summum Pontificem et concilium generale seu corpus episcoporum, hic ordo a Christo institutus omnino subvertitur: fideles vel immediatis pastoribus adhærebunt, et jam a capite erunt alieni, et a centro unitatis evulsi; vel summo Pontifici addicentur, et se separabunt ab eis quos posuit spiritus sanctus ut eos regerent, et vinculum frangent quo capiti membra extrema uniuntur; — quod utrumque Ecclesiæ constitutioni repugnat; ergo.

— b) Impossibilis est iterum præfata colluctatio stante verbo quo Christus promisit se fore cum Ecclesia usque ad consummationem sæculi. Cum enim hæc promissio emissa fuerit coram omnibus Apostolis et Petro suo principatu jam donato, spectat ad Ecclesiam definitive constitutam, scilicet tum ad corpus episcopale, tum ad Romanum Pontificem primatus Petri hæredem; quod rursus verbis ill. Bossuet illustrare juvat: « Quand J.-C. » dit à ses apôtres, *je suis avec vous*, saint Pierre était » avec les autres; mais il y était avec sa prérogative, » comme le premier des dispensateurs: *Primus Petrus*, » il y était avec le nom mystérieux de Pierre que Jésus-» Christ lui avait donné, pour marquer la solidité et la » force de son ministère; il y était enfin comme celui » qui devait le premier annoncer la foi au nom de ses » frères les Apôtres, les y confirmer, et par là devenir » la pierre sur laquelle serait fondé un édifice immortel, » Jésus-Christ a parlé à ses successeurs comme il a parlé » à ceux des apôtres; et le ministère de Pierre est devenu » ordinaire, principal et fondamental dans toute l'Eglise. — *Instruction sur les promesses* § 33. cf. *La France et le Pape par le cardinal Villecourt*, ch. XIII. — Si vero pugnadetur inter corpus episcopale et Pontificem Romanum, cui assistet Christus? Si corpori, derelinquet in falsa ruentem illum quem caput et fundamentum statuit, quo-

cum promisit se semper fore; si capiti vero, quid de corpore eveniet ad quod eadem promissio fuit directa. Ergo igitur hæc pugna adversatur promissionibus Christi ad Ecclesiam pertinentibus.

— c) Tandem pugna inter supremum Pontificem et concilium generale est impossibilis, quia ut sit pugna necesse est saltem duos dari contendentes; atqui in præfata suppositione non dantur duo contendentes; si quidem Pontifex Romanus non consentiat episcopis in cœtu adunatis, vel illorum cœtum dissolvet, vel irritas faciet eorum decisiones, tum jam non aderit concilium generale et colluctatio jam impossibilis evadit.

2° Insuper hypothesis de qua supra est omnino inaudita: siquidem annales Ecclesiæ perlegenti apertum erit, nedum pugna fuerit inter summos Pontifices et concilia generalia, inter eos miram extitisse concordiam, ita ut fuerit ex omnibus os unum, cor unum et una fides. Miraberis sincerius hanc unanimitatem si attendas nunquam alteratam fuisse per decem et octo sæcula, datis animis tot hominum diversæ ætatis, scientiæ et passionis, naturaliter in diversa abeuntibus, dato etiam objecto fidei et disciplinæ quod sæpe valde obscurum et intricatum sese præbuit.

3° Tandem hæc suppositio est nociva quia seminat dissentionis germina inter principem Ecclesiæ et duces, concutiendo discussiones quibus irritantur animi; aliunde in demonstratione Catholica illa hypothesis minuit argumentum quo manifestatur assistentia divina in Ecclesia. Hæc enim assistentia manifestatur concordia quæ semper extitit inter summos Pontifices et corpus episcopale; at multo minus hæc assistentia deprehenditur si concordia præfata non inhæret constitutioni Ecclesiæ nec pendet ex promissis Christi, sed factum transitorium est quod quidem extitit, sed tamen existere non potest. Nociva est tandem quia fovet appellationes ad concilium generale.

Igitur his omnibus attentis et perpensis, ut omnibus patet, quæstio de superioritate concilii vel Romani Pontificis est quasi in aere posita quia nititur fundamento im-

possibili, videlicet data hypothesi de pugna inter summum Pontificem et episcoporum corpus. Porro quæstio quæ non est ponenda, nec solvenda est. Ideo ab ea consulto abstinemus.

Unum nobis solvendum est, id est an vel quo sensu concilium Constantiense declaraverit concilium generale Pontifici Romano præeminere.

Concilium œcumenicum Constantiense sessione IV sic se habet : « Sancta synodus Constentiensis... declarat quod » ipsa in spiritu sancto legitime congregata, generale con- » cilium faciens et Ecclesiam Catholicam militantem re- » præsentans potestatem immediate a Christo habet, cui » quilibet, cujuscumque status vel dignitatis, etiamsi pa- » palis, existat obedire tenentur in his quæ pertinent ad » fidem et extirpatiouem dicti schismatis, ac generalem » reformationem Ecclesiæ Dei in capite et membris. — Sessione autem V idem sed expressius « declarat quod qui- » cumque cujuscumque conditionis, status vel dignitatis » etiamsi papalis existat, qui mandatis, statutis, seu or- » dinationibus et præceptis hujus sanctæ synodi, et cujus- » cumque alterius concilii generalis legitime congregati su- » per præmissis, seu ad ea pertinentibus, factis vel facien- » dis obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, » condignæ pœnitentiæ subjiciatur et debite puniatur, » etiam ad alia juris subsidia, si opus fuerit recurrenda. » — Ideo plures ab istis decisionibus Concilii Constantiensis inferre conantur doctrinam de superioritate concilii generalis supra summum Pontificem. Hæc vero decreta duobus modis legitime infirmari possunt. Etenim nonnulli contendunt concilium Constantiense non fuisse œcumenicum quum hæc præfata decreverit, et ejus auctoritatem quoad ista decreta non agnoscunt ; alii probant hæc decreta non referenda esse ad quodvis tempus, sed ad tempus schismatis tantum, ac ideo non esse absoluta sed solummodo relativa. Utrumque ut ex dicendis patebit æque certum videtur.

— A) *De auctoritate concilii Constantiensis.* Concilium Constantiense celebratum fuit tum ad refellendos Wicle-

fii et Hussitarum errores, tum ad reformationem Ecclesiæ, tum præsertim ad extinguendum præclarum illud schisma quo Ecclesia ab 39 annis laborabat, ita ut inter tres summos pontifices de legitima potestate contendentes divideretur. — In his circumstantiis, ut concilium potuerit esse generale necesse erat ut tres obedientiæ, ut dicebatur, convocatæ fuissent, et repræsentatæ, nam tres illæ obedientiæ adhærebant pontificibus dubiis, licet jura eorum non fuerint æqualia. Porro concilium Constantiense in primis sessionibus et præsertim in quarta et quinta sessione non erat ex tribus obedientiis coadunatum, nec fuerat a tribus pontificibus convocatum; etenim Joannes XXIII, consulente Sigismondo imperatore et Romanorum rege, episcopos suæ obedientiæ vocaverat. Gregorius XII, cui adhærebant ex Romania civitates et aliæ ex Italia, plures ex Germania et Hungaria, patriarchæ Constantinopolitanus, Alexandrinus, et Antiochenus; Benedictus XIII qui in sua parte habebat Castigliam, Nevaren, Scotiam, ex Balearibus majorem, Sardiniam etc... non agnovere concilium fuisse plenarium nisi post propriam ipsorum unionem; ergo non concilii œcumenici est IV et V sessio synodi Constantiensis.

Præterea præfata decreta redacta fuere et proposita extra omnes regulas antea servatas; et primum, Joannes XXIII, jam non erat apud concilium, siquidem in civitatem vicinam sub ditione imperatoris aufugerat; et acta audiens, nedum ea acceperit, querelas emittit circa *falsa quædam* et erronea adversus auctoritatem summi Pontificis Romani decreta, per æmulos suos post recessum ejus conclusa. *Turrecremata, sum. de Eccles.* lib. II, c. 99. — Ista decreta aliunde scripta et proposita fuere absque quovis studio, et S. traditionibus repugnantibus et nolentibus Rom. Eccl. cardinalibus; quod ipse testatur Card. Turrecremata qui in his sessionibus aderat. Circa hæc acta ea erant dissidia ut *Schelstrate* vir eruditus referat verba de quibus disputatur non fuisse lecta in concilio, nec approbata. Juxta eum a Patribus Basileensibus in decretum fuerunt introducta in odium Eugenii IV,

summi pontificis; revera in manuscripto Vaticano hæc verba non reperiuntur. Ergo legitime asserendum est sessionem IV et V concilii Constantiensis non pertinere ad concilium generale, et ideo inde nihil concludi posse adversus Romanum pontificem.

— B) *De sensu decreti Concilii Constantiensis.* Omnibus animo sincero et attente perlegentibus hæc decreta sessionis IV et V synodi Contantiensis apertissimum erit sensum declarationis restringi ad tempus in quo laborabat Ecclesia, vel ad similes circumstantias; dicunt enim expresse Patres quemcumque teneri obedire sanctæ synodo in his quæ pertinent ad fidem et extirpationem schismatis, ac reformationem Ecclesiæ. In sessione V idem exprimunt, id est, « quod quicumque... præceptis hujus » sanctæ synodi, et cujuscumque alterius concilii gene» ralis legitime congregati; » ne quidem hæc verba de qualicumque concilio, in genere intelligantur, statim indicant his verbis *super præmissis seu ad ea pertinentibus,* se tantum loqui velle de conciliis quæ versarentur in iisdem circumstantiis ac præsens synodus. Ergo evidens est sensum hujus decreti non esse extendendum ad quodvis tempus vel concilium,

Vid. *Sommier, Arch. Cæs. Histoire Dogmatique du St. Siége.—Card. Villecourt, La France et le Pape,* chap. XIV. — *Rohrbacher, Histoire universelle de l'Eglise Catholique,* tom. XXI. — *L'abbé Christophe, Histoire de la papauté pendant le* XIV^e^ *siècle, n°* 7 *ad calcem* tom. III.

SECTIO QUINTA. — *Potestas Romani Pontificis est universalis, ita ut protendatur ad omnia spiritualia, et quodam sensu ad temporalia.*

In hac præsenti sectione maturo examini subjicienda est ea quæstio an potestas Romani Pontificis protendatur ad omnia, videlicet an res et personæ illi submittantur, sive de spiritualibus sive de temporalibus agatur; item quanam mensura, et quo sensu hæc potestas, ex aspectu diverso considerata, intelligi debeat. Ut autem per ordi-

nem præsens quæstio elucidetur triplicem hanc assertionem præmittimus, quæ mox suis argumentis explicabitur. 1° Romanus Pontifex directa pollet jurisdictione in spiritualia; 2° directe vel indirecte adhuc in quædam temporalia potestate gaudet; 3° indirecte in temporalia regum, saltem christianorum, auctoritate politica instruitur.

I. ROMANUS PONTIFEX DIRECTA ET UNIVERSA POLLET JURISDICTIONE IN OMNIA SPIRITUALIA. — Vix quidem hæc assertio explicatione probationeve indiget. Ex eo enim quod summus Pontifex in universam Ecclesiam primatu vero et inconcusso gaudeat, sequitur nec ullam ex rebus vel personis spiritualia respicientibus a jurisdictione ipsius auferri posse; si quid enim ex spiritualibus merito ab ipsius jurisdictione auferretur, jam non de primatu se extollere posset. Unde jure affirmatur summum Pontificem quoad *magisterium* directe posse docere, fidem interpretari, doctrinas falsas vel temerarias indicare, libros ex quorum lectione fides vel mores fidelium periclitarentur sigillare damnareve; *quoad imperium;* quidquid posse quod ex hac potestate regia pendet; *quoad sacerdotium* regulas cultus statuere, abrogare aut mutare; benedictiones et indulgentias, prout libet, impertire, et ad Beatorum canonizationes procedere, uti alibi jam dictum est.

Non solum res spirituales, sed etiam personæ circa spiritualia directe summo Pontifici submittuntur, qualive honore vel dignitatibus præstent, tum ex ordine ecclesiastico, tum ex civili et laico. Pastor enim constituitur super totum gregem christianum; omnesque relative ad eum supponuntur velut oves et agni. Ad omnes igitur directe ejus auctoritas pervenit sive doctoris munus impleat, sive principatus ecclesiastici officio fungatur; omnes item ab eodem pontifice sententia judiciaria et censura, vel excommunicatione plecti possunt. Itaque frustra quidam hæretici, uti Marsilius Paduanus, et quidam ex Anglicanis, contenderunt reges, vi suæ eximiæ dignitatis, Romanis Pontificibus non esse sujectos, ac præsertim ab eis extra Ecclesiam censura ecclesiastica

ejici non posse. Reges autem christiani inter oves Ecclesiæ sunt reputandi, non vero inter pastores, cum ipsis circa spiritualia nihil concessum fuerit a Christo; ergo veluti oves subduntur pastoribus inferioribus, ac a fortiori pastori supremo, qui eos veluti alios pascere, regere, vel ab Ecclesia excludere potest. Addatur quod reges potestati ecclesiasticæ subdantur non solum ut christiani et homines privati, sed etiam ut reges, scilicet eo sensu quod si in munus regale implendo graviter peccent, propter hoc delictum sub foro ecclesiastico cadere possint.

Unde etiam concludendum est a regibus et principibus magno honore, præ sua suprema præstantia habendum esse Romanum Pontificem, quam conclusionem illustrare esset facile sententiis et exemplis ex parte conciliorum, SS. Patrum, S. pontificum et etiam regum christianorum desumptis. Inter multa sufficiat hoc Caroli Magni testimonium : « In memoria B. Petri honoremus S. Ro» manam et apostolicam sedem, ut quæ nobis sacerdotalis » mater est dignitatis esse debeat magistra ecclesiasticæ » rationis, quare servanda est cum mansuetudine humi» litas, ut licet vix ferendum ab illa sancta sede imponatur » jugum, tamen feramus et pia devotione toleremus. » Quæ verba refert Gratianus cap. 3, dist. 19. (*Suarez* Defensio fid. Cath. Lib. III, cap. XXI, n° 8.)

II. DIRECTA POTESTATE IN QUÆDAM TEMPORALIA GAUDET R. PONTIFEX. — Duplex in temporalia potestas hic distingui potest; jus quod dicitur dominium, id est per quod aliquis aliquid merito possidet, v. g., domum, terræ fundum, censum, etc.; jus quod politicum vocatur, quo quis legitime in societatem vel rempublicam utitur, ut eam regat et gubernet. De hoc et illo jure, quatenus directe ad pontificiam auctoritatem pertinet, dicemus.

1° Romanus Pontifex jura dominii legitimi in quædam temporalia detinere potest. Etenim licet Ecclesia nonnisi ad ordinem spiritualem instituatur, jura quædam temporalia seu dominium in res temporales acquirere et legitime possidere potest. Hujus equidem generis dominium est Ecclesiæ omnino necessarium, cum verse-

tur inter homines, et per hominum ministerium spiritualia administrentur. Ideo tum pro honesta ministrorum sustentatione, pro cultus impensis, pauperum subsidio, Ecclesiam bona temporalia legitime possidere adversus Wiclefistas et Hussitas synodus Constantiensis declaravit. Porro, quod licitum est et necessarium pro Ecclesia in genere, licitum est et necessarium pro summis pontificibus; ergo evidens est eos posse possidere et exercere jura temporalia in res temporales.

2° Sed quæri potest an Romanus Pontifex supremum dominium possideat et exercere valeat in res temporales quæ a diversis Ecclesiis, vel ordinibus, vel personis ecclesiasticis possidentur. — Certum est summum Pontificem directe, et vi sui primatus, extraordinarie, et prout bonum optimum postulabit, supremum dominium in res temporales Ecclesiæ exercere posse, scilicet hæc jura Ecclesiæ abolere posse vel mutare, minuere vel ad alios transferre. Etenim, institutione divina creatus pontifex ut saluti Ecclesiæ invigilet; potest quidquid ad salutem ejus est necessarium; atqui aliquando ad hanc salutem necesse est ut in bona ecclesiastica summus Pontifex jura supremi dominii exerceat; ergo tunc potest et debet — Neminem præterit Pium VII hujus dominii præclarum præbuisse exemplum quum bona ecclesiastica, per civiles et religiosas subversiones versus finem sæculi XVIII in Galliis alienata, condonavit.

III. ROMANI PONTIFICES DIRECTA POTESTATE POLITICA GAUDERE POSSUNT IN QUÆDAM TEMPORALIA. — Plures hæretici per elapsa sæcula, v. g. Wiclefistæ, Hussitæ et Calvinistæ, quibus consentiunt hodie quidam publicistæ, docuerunt Romanum Pontificem, necalios episcopos, accipere potuisse dominium politicum in provincias et in urbes, quocumque titulo eas obtinuerint; quia, ut aiunt, jus divinum prohibet ne gladius spiritualis et gladius temporalis simul in eodem uniantur. — Omnes autem norunt, summos Pontifices, imperatoribus in Orientem exulantibus, videlicet ab imperatore Constantino, auctoritate politica et regia præditos fuisse tum in Urbem Romam, tum in ci-

vitates, et in provincias vicinas. Hanc potestatem Carolus Magnus, Longobardorum victor, donatione expressa et in perpetuum obfirmavit; itaque ab hac ætate R. Pontificum stare non desiit temporale imperium. Igitur cum omnibus Catholicis affirmare non timendum est hanc potestatem Summi Pontificis directam et supremam in suas ditiones temporales, nedum repugnet, multum decere, et etiam tum pontificibus tum orbi Christiano esse necessariam.

1° Primum quidem non repugnat ex parte Dei, qui nullo oraculo pronuntiavit non associandam esse cum spirituali temporalem auctoritatem. E contra, saltem sub lege, pluries ostendit utramque in commodum religionis et reipublicæ in eodem posse reponi; quod patet ex facto Mosis, Heli, Samuel, Machabæorum qui simul fuere sacerdotes et populi rectores, ut fuse explicat Bellarminus, de Summo Pontifice Lib. V, cap. 9. — Dein, non repugnat ex parte pontificum, qui arte politica non secus ac laici præstare possunt, et legibus æquis ac sanctis populorum terrenæ felicitati consulere; — non ex parte, tandem subditorum, qui possunt et debent obedire qualicumque potestati, dummodo sit legitima, sive sit aliunde a clericis aut a laicis exercita.

2° Præterea hoc imperium temporale multum decet summum pontificatum. Scitum est quibus eximiis nominibus et honore præstantissimo summus Pontifex ex ore Christianorum fuerit exornatus; est enim et dicitur *Christi vicarius, Christus ipse in terris degens pater, patrum, claviger cœli* etc.; ea potestate super omnes eminet ut major in orbe terrarum intelligi nequeat. Itaque repugnat hunc pontificem tanta majestate ornatum hominibus subjici, et inter homines veluti parem teneri; e contra optime decet illum super omnes etiam quoad temporalia eminere, qui quoad spiritualia nemini locum cedit.

3° Tandem non solum summum Pontificem decet suprema potestas in ordine civili, sed ipsi omnino est necessaria, sive res spectetur ex parte pontificis, vel ex parte principum et plebis christianæ.

—A) *Ex parte Pontificis.* Romanum Pontificem maxima libertate gaudere necesse est in regendo totum orbem christianum; etenim si actus humani non valeant nisi extra coercitionem et necessitatem, in plena libertate elicantur, a fortiori actus Pontificis qui in Ecclesia maximi sunt momenti. Atqui Romanus Pontifex plena libertate et independentia non gaudebit in ordine spirituali, nisi in ordine civili supremam potestatem possideat. Nam si constituatur sub imperio regis, rex iste non poterit quin mille modis pontificem premat, ut in suo ministerio ipsi et suis negotiis faveat; ut sive erga suos subditos intus, extra adversus alios principes in suum commodum vertat pontificatum; ut tandem hoc ministerium impediat, ut etiam abolere conetur, si ejus exercitium, etiam licite et legitime, in suum detrimentum vertatur. Experentia quoque constat quot vinculis apud sectas separatas constringatur religiosa potestas quæ sub ditione regum deprimitur. Id clarius est ex Anglorum, Græcorumve episcoporum exemplo quam ut fusius exponatur. — Ergo Romanum Pontificem in ordine civili supremam potestatem possidere necesse est.

Adde ad amplius argumentum, quod ministerium summi pontificatus in pace, tranquillitate et securitate exerceri debeat. Pontifex enim a Christo constituitur in bonum totius Ecclesiæ, ut eam doceat, regat et sanctificet, quod vix fieri possit nisi pace et tranquillitate gaudeat, nisi nullatenus precaria sit ejus conditio; porro ea tranquillitate, pace et securitate tantum gaudebit summus Pontifex si sit princeps supremus in sua temporali ditione, et ab omnibus ut talis habeatur; nam si sit sub imperio alicujus regis fortunam ejus et nationis patietur; a seditionibus et commotionibus internis, a bellis et ab hostibus externis semper timere poterit, ergo... Hoc duplex argumentum de temporali potestate summi pontificis attingit *Bossuet*, in sua defens. decl. Cleri Gallic. lib. 1, cap 16, et illud exornat his verbis: « Nos sci» mus Romanis pontificibus, et sacerdotali ordini, Re» gum concessione, ac legitima possessione bona quæsita,

» jura, imperia ita haberi ac possideri, uti quæ inter » homines optimo jure habeantur ac possidentur. Imo ea » omnia, ut dicata Deo, sacrosancta esse debere, nec sine » sacrilegio, invadi, rapi et ad sæcularia revocari posse. » Sedi vero Apostolicæ, Romanæ urbis aliarumque ter- » rarum concessam ditionem, quo *liberior*, ac *tutior* po- » testatem apostolicam toto orbe exerceat, non tantum » sedi apostolicæ, sed etiam toti Ecclesiæ gratulamur, » votisque omnibus precamur sacrum principatum om- » nibus modis salvum et incolumen esse. »

— B) *Ex parte principum et populorum Christianorum.* Principes et populi christiani maximam fiduciam adhibere debent summo Pontifici, quod quidem consequitur ex ejus munere et ministerio; porro fere impossibile esset ea fide uti principes et populos erga romanum Pontificem nisi suprema potestate civili et ipse polleret. Si enim regi cuidam submitteretur, alii principes et populi semper suspicarentur auctoritatem pontificalem, etiam invito pontifice, a rege opprimi, in ejus commodum inservire, ac proinde nec liberam, nec a studio partium alienam esse. Aliunde tanta est auctoritas summi Pontificis apud omnes principes et populos, ut isti vix ferre possent eum residere sub ditione regis alieni et quandoque æmuli et inimici, qui inde plus æquo aliis esset superior. Hoc verum est de principe catholico, sed a fortiori affirmandum de principibus hæreticis, schismaticis, et infidelibus, ut patet. — Hanc summi Pontificis temporalis potestatis necessitatem agnovit ipse Imperator Napoleo, qui circa eam his verbis vel similibus usus est, uti videre est, Histoire du Consulat et de l'Empire, par M. Thiers : « L'in- » stitution qui maintient l'unité de la foi, c'est-à-dire le » pape, gardien de l'unité catholique, est une institution » admirable. On reproche à ce chef d'être un souverain » étranger. Ce chef est étranger en effet, et il faut en re- » mercier le ciel. Le pape est hors de Paris, et cela est » bien; il n'est ni à Madrid ni à Vienne, et c'est pourquoi » nous supportons son autorité spirituelle. A Vienne, à » Madrid, on est fondé à en dire autant. Croit-on que s'il

» était à Paris, les Viennois, les Espagnols consentiraient » à recevoir ses décisions? On est donc trop heureux qu'il » réside hors de chez soi, et qu'en résidant hors de chez » soi, il ne réside pas chez des rivaux ; qu'il habite dans » cette vieille Rome, loin de la main des empereurs d'Al- » lemagne, loin de celle des rois de France ou des rois » d'Espagne, tenant la balance entre les souverains catho- » liques, penchant toujours un peu vers le plus fort, et se » relevant bientôt si le plus fort devient oppresseur. Ce » sont les siècles qui ont fait cela, et ils l'ont bien fait. » Pour le gouvernement des âmes, c'est la meilleure, la » plus bienfaisante institution qu'on puisse imaginer. »

Hinc, concludendum est 1° ditionem temporalem summi Pontificis in urbem Romam, adjacentesque provincias non equidem esse e jure divino, sed ita, Deo providente constitutam fuisse, ut eam negare, minuere, destruereve adversatur ordini Providentiæ, qui proxime attinet ad salutem et proventum Ecclesiæ, et ideo, saltem indirecte, jus divinum attingit.

Hinc, 2° sacrilegii non esse expertes qui manu aut consilio sanctæ sedis temporalem ditionem, Deo et Ecclesiæ dicatam, invadunt aut detinent; ac procul dubio eos censura ecclesiastica ob id constringi posse, qui bonum Ecclesiæ destruendo, bonum ejus spirituale præpediunt.

Hinc, 3° patet etiam Romanos Pontifices directe pollere posse auctoritate politica, extra suam ditionem, in quædam alia regna ; sed jure quidem humano, et ex pacto donationis accepto. Etenim, medii ævi sæculis labentibus, cum inter vincula et hierarchiam feodalitatis constringerentur omnia, plures principes, vel ob suam erga S. sedem reverentiam, vel ob majorem securitatem, se suumque regnum sedi apostolicæ devoverunt, et tributarios S. Pontificum sese effecerunt. Sic, XI sæculo, dux Rogerius Urbano II Siciliam Neopolitanasque provincias submisit; Britannia major apud omnes veluti feudum S. sedis habita est; Demetrius anno 1076 Dalmatiam sub imperio Romanorum pontificum constituit; Magnus, 1336, eis-

dem Daniam sacratam aguovit, et tandem Venetiarum terræ, et Germanicum imperium, uti omnes norunt, ad S. Petri successores, eodem jure, pertinebant. Ratione hujus supremæ potestatis summi Pontifices directe principes ita sibi subditos admonere, judicare, deponere poterant. Cf. *Pouvoir du pape sur les souverains au moyen âge,* auct. D. Gosselin.

IV. Romanus pontifex saltem quadam indirecta auctoritate in temporalia regum instruitur. — Circa hanc gravissimi momenti quæstionem tres præcipuæ prodierunt opiniones. *Prima* tenet summum Pontificem, jure divino et ex institutione Christi, plenissimam habere potestatem in universum orbem terrarum, tum in rebus ecclesiasticis, tum in politicis, ita ut dominium temporale ab uno principe ad alterum pro arbitrio transferre possit.

Secunda in extremo altero posita docet Pontificem Romanum jure divino nullam potestatem nec directam nec indirectam in temporale principum habere, ideoque principes sæculares supremos esse, et circa administrationem regni et gubernium nullius jurisdictionem admittere.

Tertia, inter utramque sita, eorum est qui affirmant Romanum Pontificem, jure divino quidem et directe solam potestatem spiritualem possidere; sed simul, vi istius potestatis seu jurisdictionis spiritualis, illum esse superiorem regibus et principibus temporalibus, ut eos in usu potestatis temporalis dirigat in ordine ad finem spiritualem, ratione cujus potest talem usum præcipere vel prohibere, exigere aut impedire, quantum ad spirituale bonum Ecclesiæ fuerit conveniens. Hinc, juxta hanc sententiam, Romanus Pontifex non directam quidem, sed indirectam accepit potestatem directivam in reges et principes; et per hanc potestatem directivam non intelligenda est solummodo facultas consulendi, monendi aut rogandi, quæ non sunt superioris potestatis, sed vis propria obligandi, et cum morali efficacia movendi, quam aliqui solent coactivam appellare (*Suarez, de Defens. fid. Cath., lib.* III *de Primatu sum. Pont.,* cap. XXII.)

Prima sententia fundamento caret, sive ex scriptura,

sive ex traditione sumpto; ordo enim civilis et ordo spiritualis, quibus diversi principes præficiuntur, Deo disponente, separantur; et B. Petrus non nisi circa ordinem spiritualem, et salutem animarum directe potestatem obtinuit; unde recte probat Bellarminus Papam esse Dominum nec totius mundi, nec orbis christiani, nec etiam uti supra exposuimus, jure expresse divino, licet id sapientissime fiat, ullius provinciæ et oppidi. Aliunde hæc opinio ab omnibus deseritur, et olim, paucissimis exceptis, testante Suarez, loco supra citato, theologi qui eam confirmarunt, in tertiam de potestate indirecta summi Pontificis incidere.

Secundam sententiam de absoluta independentia regiæ potestatis ab auctoritate pontificia acriter Gallicani tuiti sunt, quibus omnino assentiunt multi hodierni de re publica disserentes. Ea nituntur ratione, præter argumenta ex S. Scriptura et traditione petita, quod ordo spiritualis et temporalis ita essentialiter inter se discrepent, ut non nisi injusta occupatione, alter in alterum invadat; unde insulsum est practice unum alteri esse superiorem declarare.

Tertia veluti communis inter theologos catholicos apud *Suarez* habetur. Inter multa alia eo præcipue nititur momento. Potestates inter se subordinari debent sicut et fines; id est, quemadmodum finis secundarius ad finem ultimum ordinatur, ita ut nedum ejus consecutio finem ultimum prohibeat, ei ultimo fini debeat inservire : sic potestas quæ ad finem secundarium pertinet subordinari debet potestati quæ finem ultimum procurare tenetur. — Porro homines, in terris degentes duplicem habent finem, unum scilicet temporalem, alterum vero spiritualem; et item ad hunc utrumque consequendum duæ præficiuntur potestates; potestas civilis ex una parte, ex altera, potestas ecclesiastica cujus apicem tenet Pontifex Romanus. Illi fines non sunt inter se omnino independentes nec alieni, cum ab eisdem hominibus sæpeque eisdem actibus attingi possunt vel declinari; itaque inter se coordinari debent. Porro unus alteri

congruenter subordinatur, nempe finis temporalis qui ad bonum terrestre et fugitivum spectat, cedit fini spirituali qui in consecutione boni cœlestis et æterni consistit. — Ergo potestas civilis subordinatur potestati spirituali; vel aliis verbis potestas spiritualis jus habet saltem invigilandi ne potestas civilis finem ultimum societatis prohibeat; quod erat demonstrandum.

ARTICULUS QUARTUS.

DE EPISCOPIS IN QUANTUM ESSE POSSUNT PARTICIPES PUBLICI ECCLESIÆ REGIMINIS.

Regimen Ecclesiæ descripsimus tanquam pure monarchicum, et ideo potestatis plenitudinem apud Romanum Pontificem quærendam esse. Attamen, uti ex dicendis magis patebit, in ministerio Ecclesiæ, Christus noluit suos vicarios, Pontifices Romanos, B. Petri successores tanti regiminis onus solos sustinere. Ideo, quemadmodum Apostolos in Ecclesia primæva voluit esse cum Petro adjunctos, ad efformationem totius Christianæ societatis, ita voluit et successores Apostolorum, Episcopos videlicet, sub præeminentia Romani Pontificis committi ad conservationem et extensionem ejusdem societatis; ita ut recte dicatur corpus episcopale cum Petro et sub Petro capite, Ecclesia docens et præcipiens.

In primo paragrapho de Episcopis summo Pontifici adjunctis in regimen Ecclesiæ dicemus; in secundo, qua mensura episcopi per orbem dispersi ad hoc regimen participare possunt; in tertio quomodo et juxta quas regulas episcopi in concilio generali adunati potestatem supremam exercere possunt.

§ I. — De Episcopis Romano Pontifici adjunctis in regimen Ecclesiæ.

Jam vidimus vel alibi fusius explicabitur Episcopos, unumquemque in sua diœcesi, et equidem sub lege et ca-

nonibus Ecclesiæ, gaudere omnibus juribus quæ ad potestatem Ecclesiasticam referuntur; videlicet gregem suum docent et erudiunt veluti doctores; illum regunt, uti reges; et tandem sacris et benedictionibus eum sanctificant tanquam pontifices; et in præsenti quæstione proponitur episcopos eisdem juribus quandoque sub primatu Romano uti posse ad regendam Ecclesiam universalem.

PROPOSITIO.

Episcopi Romano Pontifici adjunguntur, salvo primatu, in ministerium Ecclesiæ universalis.

Hæc propositio probatur Scriptura sacra et Traditione.

Prob. 1° *Scriptura sacra.* Apostoli acceperunt plenam potestatem quam Christus suæ Ecclesiæ committi voluit; sic eos misit in mundum plena et cœlesti potestate munitos: *Pax vobis, sicut misit me pater et ego mitto vos.* Joan. xx, 21. Potestatem docendi specialiter tradidit, his verbis: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes... docentes servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Matth. xxviii, 19. — Jus imperii contulit etiam: *Quæcumque alligaveritis super terram erunt ligata et in cœlo, et quæcumque solveritis super terram erunt soluta et in cœlo.* Matth. xviii, 18. Tandem summum sacerdotium in eis instituit: *Euntes baptizantes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Matth. xxviii, 18. — *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. xxii, 19. — *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt.* Joan. xx, 21. — Paulus hanc institutionem Christi pluries manifestat, sic ad Eph. iv. 11, scribit. *Et ipse* (Christus) *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, in opus ministerii in ædificationem corporis Christi.* — II Cor. v, 20: *Pro Christo legatione fungimur.* — I ad Cor. iv, 1, *sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.*

Unde sic argumentari datur : Apostoli, seu episcopi, cum Petro et sub Petro, in ministerium Ecclesiæ constituuntur, si Christus eis summam potestatem concesserit sub primatu Petri. — Quod equidem nemo inficiet; nam suo nutu et sua voluntate Christus Ecclesiam instituit, et constitutionem eam, quam intendit, præstare potuit. Atqui summam potestatem Apostolis, et episcopis eorum successoribus concessit Christus, ut ex textibus supra allatis patet; aliunde supra eos extollit Petrum primatu donatum; ergo cum Petro et sub Petro episcopi in ministerium Ecclesiæ constituuntur; et sic procuratur mysterium unitatis Ecclesiæ, quod ill. *Bossuet* hoc sermone explicat et illustrat : « Tous les Apôtres reçoivent la même » puissance, et tous de la même source; mais non pas » tous au même degré, ni avec la même étendue: car » Jésus-Christ le communique en tel degré qu'il lui plaît, » et toujours de la manière la plus convenable à établir » l'unité de son Eglise. C'est pourquoi il commence par le » premier, et dans ce premier il forme le tout; et lui-même » il développe avec ordre ce qu'il a mis dans un seul... » afin que nous apprenions que l'autorité ecclésiastique, » premièrement établie en la personne d'un seul, ne s'est » répandue qu'à condition d'être toujours ramenée au » principe de son unité, et que tous ceux qui auront à » l'exercer, se doivent tenir unis à la même chaire. » — — Sermon sur l'unité de l'Eglise.

Prob. 2° *Traditione id est praxi Ecclesiæ.* Ab apostolis usque ad nos, episcopi, datis quibusdam circumstantiis, ad regimen publicum et generale Ecclesiæ elaboraverunt. Sic ante Pentecosten, Petro annuente quidem, ab Apostolis una designatus est qui locum Judæ proditoris obtineret, Act. I, 15 *et seq.* Postea, Jerosolymis quæstio maximi momenti de observantiis legalibus coram eisdem Apostolis convocatis et Petro præside, examini subjecta est et soluta. *Act.* XV, 1 *et seq.* Decurrentibus persecutionum sæculis, difficile erat summos Pontifices ad regimen Ecclesiæ vocare episcopos; attamen hujus consortii plura exempla tunc præstantur; ita S. Victor de celebratione

Paschali consulit episcopos per orbem dispersos circa mores uniuscujusque Ecclesiæ in Pascha celebranda. Post Constantinum vero, pace acquisita, omnes norunt quot celebrata sint concilia, quibus evidenter episcopi cum summo Pontifice et sub ipso summæ potestatis partes in Ecclesiam exercebant. Inde recte concludendum est Episcopos Petro et sub Petro adjungi in ministerium Ecclesiæ.

Corollarium I. Recte adhuc concluditur Episcopos esse consortes summi Pontificis in ministerium Ecclesiæ, non quidem jure ecclesiastico et summorum Pontificum concessione, sed jure divino et institutione Christi.

Corollarium II. Quoad magisterium, episcopos esse et semper manere sequitur testes fidei et ejusdem patres ac institutores, quatenus scilicet fidem conservant et docent; ac ideo, recte dicuntur efformare cum summo Pontifice *corpus docens Ecclesiæ.*

Corollarium III. Quoad imperium ex dictis de primatu item patet, episcopos non ita necessario esse adjunctos summo Pontifici, ut nequeat ipse nihil præcipere vel abrogare circa fidem aut disciplinam absque episcopalis collegii participatione. Id solum acquiritur, scilicet episcopos ex institutione divina potestatem sufficientem habere in christianam rempublicam, ut jus supremum magisterii et imperii exerceant, si summo pontifici libeat eorum postulare consortium.

Corollarium IV. Concluditur Episcopos seorsim sumptos, unum post alterum, hac potestate suprema non gaudere in Ecclesiam, sed quatenus omnes una corpus episcopale efficiunt et quasi collegium apostolicum representant.

§ II. — Quomodo Episcopi per orbem dispersi regimini publico Ecclesiæ participant.

1°. *Quoad potestatem sacerdotii seu ordinis,* episcopi per orbem sparsi non minorem habent potestatem quam si omnes essent in unum coadunati. Nam potestas sacerdotalis, ut alibi monstratur summa est, in unoquoque epis-

copo; et quoad istam ordinis jurisdictionem et dignitatem, omnes pares sunt, salvo jure S. Pontificis in ordinem cultus publici, in benedictiones, indulgentias et sanctorum canonizationem.

2° *Quoad imperii potestatem* episcopi dispersi de facto non participant publico regimini totius Ecclesiæ. Hoc regimen etenim supponit actus positivos, in quibus partem non habere videntur episcopi dispersi; siquidem solus Pontifex Romanus, vel ab ipso delegati, conficit leges, vel administrat totam Ecclesiam, quando episcopi in suis diœcesibus saluti animarum consulunt.

3° *Quoad potestatem magisterii*, ut monuimus episcopi per orbem dispersi efficiunt corpus docens Ecclesiæ, per quod veritas revelata servatur, populo Christiano communicatur, et testes obtinet semper vigiles. Unus aut plures quidem errare possunt, sed si cum Romano Pontifice consentiunt circa doctrinam eos errare non timendum est; nam Christus suæ Ecclesiæ expresse promisit inerrantiam. Unde ex hoc consensu expresso vel tacito episcoporum cum summo Pontifice nascitur ea infallibilitas quæ passiva vel quiescens dici potest, cum vox altera desit. In eo consistit quod pro certa et a quovis errore aliena habeamus doctrinam in qua consentiunt Episcoporum corpus et Romanus Pontifex.

Olim, et grassantibus Jansenii, Quesnellii et aliorum erroribus, et cum in Galliis infauste generaliter Romani Pontificis infallibilitas non admitteretur, nonnulli theologi docebant ex consensu Episcopatus etiam dispersi ad constitutiones Apostolicas circa fidem exoriri hanc infallibilitatem qua controversiæ dirimebantur. Inde ipsi in multas et intricatas quæstiones abibant ut infallibilitatem Ecclesiæ manifestarent. Sic ex una parte probare conabantur episcopos per orbem dispersos et summo Pontifici junctos esse infallibiles; et plures adhuc inquirebant quot necesse erat episcopos papæ consentire ut valerent eorum decisiones. Ex altera parte, insudabant demonstrando non requiri ad confectionem fidei decisionum assensum expressum, sed tacitum sufficere. Con-

fitemur tunc tempore per has vias hæreticos profligandos fuisse, sed etiam fatendum est hodie tot labores esse prorsus inutiles, cum in summis Pontificibus suprema infallibiliter docendi agnoscatur auctoritas.

Attamen, pro his qui adhuc istam infallibilitatem admittere renuerent, et quærerent qua via in Ecclesia Catholica dirimuntur quæstiones circa fidem, statuitur sequens

PROPOSITIO.

Consensus Episcopatus per orbem dispersi cum Romano Pontifice expressus vel tacitus sufficit ad dirimendas infallibiliter circa fidem controversias.

Hæc propositio probatur Scriptura sacra, traditione et ratione.

1° *Scriptura sacra :* Matth. XXVIII, 20 : *Ecce ego vobiscum sum*, etc. Christus promisit infallibilitatem corpori docenti in Ecclesia; verum episcopi dispersi, sicut et congregati, corpus docens in Ecclesia constituunt : ergo. Insuper Christus testatur se *omnibus diebus* adfuturum esse cum Apostolis docentibus et eorum successoribus *usque ad consummationem sæculi :* his præsertim verbis nititur privilegium infallibilitatis quo munita est Ecclesia docens : at impossibile est episcopos *omnibus diebus* in unum coadunatos remanere. Et reipsa Christus non dixit : Congregamini, et ego ero vobiscum, sed : *Ite, docete omnes gentes*, id est : Dispergimini per mundum universum, *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus*. Ergo.

2° *Traditione.* Pelagiani et Semipelagiani semper habiti sunt ut hæretici a tempore S. Aug. usque ad nos; attamen nullum concilium generale adversus illos fuit celebratum, sed tantum concilia particularia, et præsertim duo, unum Africanum et Arausicanum II. Duo hæc concilia « missa sunt ad sedem Apostolicam, inde » etiam rescripta venerunt : causa finita est, utinam » aliquando finiatur error ! » S. Aug. Serm. 131, t. v, col. 645 de Verbis Evang. Joan... Porro nulla unquam fuit

hæresis magis intricata quam Pelagiana et Semipelagiana : ergo.

Aliunde, per tria priora Ecclesiæ sæcula, usque ad concilium Nicænum I, anno 325 celebratum, multæ damnatæ sunt hæreses, et sancti Patres omnes hæreticos ex auctoritate Ecclesiæ convincebant : ergo velut certum habebatur Ecclesiam dispersam infallibilitate gaudere.

3° *Ratione.* — A) Non concilium generale, sed episcopi per orbem sparsi populum christianum doctrina pascunt : unde si errori obnoxii essent docendo, contingere posset majorem Ecclesiæ partem a veritate deficere : tunc infallibilitatis ejus passiva cum activa destrueretur, catholicitas periret et portæ inferi adversus illam prævalerent : porro hæc consectaria admitti nequeunt : ergo.

— B) Difficillimum et sæpe impossibile est concilium œcumenicum congregare : attamen necesse est ut tribunal ad terminandas quæstiones fidei destinatum semper existat, alioquin error in Ecclesia Dei serpere posset, et nullum adesset medium quo efficaciter cohiberetur : ergo necesse est ut Ecclesia dispersa privilegio infallibilitatis gaudeat, non solum in quæstionibus manifestis, sed in obscuris et etiam intricatis ; facilius enim error in his quam in aliis grassaretur et obfirmaretur : sufficiens igitur remedium præparare debuit Christus contra hujusmodi malum : atqui nullum aliud excogitari potest, si summum Pontificem ex cathedra loquentem excipias, præter infallibilitatem jugiter in Ecclesia permanentem et ad quascumque causas se extendentem : ergo.

Diximus consensus *expressus vel tacitus.* Quod probo script. sacra, praxi Ecclesiæ etc. S. Aug.

1° *Scriptura sacra* Matth. XVI, 18 : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Unde sic : Nunquam error prævalere potest in Ecclesia : at si hujusmodi definitio infallibilis non esset, error prævaleret in Ecclesia, cum nulla tunc existeret via ad eum præcavendum aut rejiciendum : ergo.

2° *Praxi Ecclesiæ.* Omnes fatentur errores Pelagiano-

rum et Semipelagianorum legitime fuisse proscriptos: atqui nulla existit declaratio episcoporum, sive congregatorum, sive dispersorum, expressa contra illos. Idem dicendum est de erroribus Baii et Molinosi, de quinque propositionibus Jansenii quæ ab adversariis habentur ut hæreticæ. Ergo.

3° *Ex S. Aug.* Epist. 55, alias 119, c. 19, ad Januarium: « Quæ sunt contra fidem vel bonam vitam, non » approbat, nec tacet, nec facit (Ecclesia.)» Nisi autem præfata fidei definitio infallibilis esset, Ecclesia quæ sunt contra fidem et bonam vitam taceret. Ergo.

Prob. 4° *Ratione.* Etenim etiamsi consensus episcoporum ad constitutionem apostolicam sit necessarius ad conficiendum dogma fidei, non importat hujus consensus præbendi modus. Atqui silentium episcoporum sufficienter manifestat eos consentire pontificalibus constitutionibus, etenim ex ordine a Christo instituto, communiter episcopi debent cum Romano Pontifice consentire, et ex ista capitis et membrorum unione efficitur Ecclesiæ viventis constitutio; itaque hæc unio præsumenda est quotiescumque expresse divisio non denuntiatur: ergo silentium episcoporum sufficienter denotat eorum consensum; et tunc præsertim applicandum est adagium: qui tacet consentire videtur.

Quæritur quot episcopi adhærere debeant summo Pontifici ut consensus episcopatus sit sufficiens ad infallibiliter quæstiones controversas dirimendas.

Resp. Pars notarie major episcoporum summo Pontifici adhærens equidem sufficit, ut pote Ecclesiam repræsentans. Patet ex dictis. Si pars major episcoporum se separet, a summo Pontifice, pars minor vero ei adhæreat, quod obsonum est et quasi impossibile, stantibus Christi promissionibus de inerrantia Ecclesiæ, pronuntiandum foret cum summo Pontifice et minore episcoporum numero partes esse veritatis: nam Christus promittit inerantiam Ecclesiæ completæ et integræ; porro hanc Ecclesiam integram repræsentant membra quæ cum capite uniuntur; episcopi vero qui a capite, Petro scilicet separantur, sunt

membra e fonte vivo aliena, nec jam Ecclesiam Christi repræsentant, nec itaque gaudent promissis ad eam directis.

COROLLARIUM.

Hinc manifestum est appellationem ab Ecclesia dispersa ad futurum concilium generale esse illicitam, et admitti non posse ut modum necessarium sententiam episcoporum dispersorum capiti suo junctorum manifestandi. Nam 1° eorum unanimitas aliter probari potest, et ubi constat, est infallibilis, ex dictis. 2° Talis appellatio est illusoria; saltem enim difficillimum et sæpe impossibile est concilium generale congregare: interea errores legitimam condemnationem non formidantes impune grassarentur. 3° Eadem est Ecclesia dispersa et congregata; ridicule autem fit appellatio ab Ecclesia ad Ecclesiam. 4° Talis appellatio inter catholicos est insolita, a Pelagianis in quinto sæculo fuit excogitata, a Lutheranis in decimo sexto fuit renovata; et postea a Jansenistis. 5° Pelagianos futurum concilium invocantes sic confutavit S. Aug, lib. 4 ad Bonifac., cap. ultimo, n. 34: « Quid est ergo quod dicunt, *Simplicibus episcopis sine* » *congregatione synodi in locis suis sedentibus extorta sub-* » *scripto est?*... Aut vero congregatione synodi opus erat, » ut aperta pernicies damnaretur: quasi nulla hæresis » aliquando nisi synodi congregatione damnata sit! cum » potius rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas » necessitas talis exstiterit; multoque sint atque incom- » parabiliter plures quæ, ubi exstiterunt, illic (Romæ) » improbari damnarique meruerunt atque inde per cæ- » teras terras devitandæ innotescere potuerunt. » Ergo Idem dicendum est de appellatione a Papa ad concilium generale, a pluribus summis Pontificibus damnata, ut videre est apud *Ferraris*, v° *Appell* art. 3, n. 4.

§ III. — Quomodo Episcopi congregati in cœtum regimini universæ Ecclesiæ participant.

Nuperrime indicavimus quomodo et qua mensura episcopi Ecclesiæ Catholicæ per orbem dispersi cum summo Pontifice et sub ipso partem habent in regimine publico totius Christianæ reipublicæ. At quandoque isti episcopi conveniunt, et eorum cœtus ab omnibus vocantur concilia vel synodi ; et quæritur quænam sit istorum conventuum auctoritas. Ut hæc quæstio rite persolvatur dicendum est de natura et diversis conciliorum speciebus, de jure quo congregantur, de eorum utilitate vel necessitate, de regulis in conciliis servandis et tandem de eorum auctoritate ; quædam, pro opportunitate subjicienda sunt de conciliis particularibus.

Sectio prima. — *De natura et diversis conciliorum speciebus.*

Concilium est legitima episcoporum congregatio, ad deliberandum et judicandum de iis quæ ad fidem, mores aut generalem Ecclesiæ disciplinam pertinent.

Dicitur 1° *Congregatio legitima*, id est quæfit juxta leges et ordinem Ecclesiæ ; unde non esset concilium sed conciliabulum, et subversivus cœtus episcoporum, qui extra vel contra Canones Ecclesiæ celebraretur, sic in historia notantur synodus Ephesina, quæ nomine Latrocinii utitur (449), et synodus Basileensis (1431) quam proprie conciliabulum vocat concilium Florentinum.

Dicitur 2° Congregatio episcoporum, quia cum episcopi soli sint judices fidei et principes Ecclesiæ, soli sedere debent cum jure deliberandi et definiendi in cœtu ubi de fide, moribus et disciplina agitur, et ubi de hoc objecto aliquid statuendum est. Hoc jus inhæret quidem dignitati episcopali. Cardinales diaconi et abbates eodem jure quidem utuntur sed ex concessione speciali summorum Pontificum. (*Gousset*, Exposition des principes du droit canon. chap. XII, n° 172). — Cæteri presbyteri vel clerici

consuli possunt, sed nihil definire valent. A fortiori laici, quantacumque dignitate præclari sint, in concilium vel convocandum vel celebrandum nullo jure pollent. A potestate civili, uti visum est, Ecclesia omnino est independens; et si quandoque principes in concilium agere præsumant, eorum actio non ultra protectionem, vel preces progrediatur

Dicitur 3° ad deliberandum et judicandum de iis quæ ad fidem, mores aut generalem Ecclesiæ disciplinam pertinent: quia in istud objectum solummodo Ecclesia jus suum directe exercere debet et potest, unde Benedictus XIV dicit: *Synodi et concilii nomine, ii cœtus significantur, in quibus Episcopi intersunt et negotia ecclesiastica potissimum pertractantur* (id. op. sup. laudatum. p. 168.)

Concilium vel generale est, vel particulare. Concilium generale seu œcumenicum est illud quod universam legitime representat Ecclesiam; particulare vero est illud quod aliquam tantum Ecclesiæ partem repræsentat. Potest esse nationale, vel provinciale : est nationale, si omnes episcopi ejusdem regionis seu regni aut imperii, sub præsidentia patriarchæ vel primatis, legitime convocentur; est autem provinciale, quando ex omnibus ejusdem provinciæ ecclesiasticæ episcopis metropolitano junctis componitur. De concilio generali præcipue nobis dicendum est.

SECTIO SECUNDA. — *De jure quo instituuntur concilia.*

1° Juri naturali consentanea est conciliorum convocatio: quælibet enim societas potest, jure naturali, saltem convocante legitimo præside, cœtum generalem congregare. Actus hujusmodi cœtus universa membra absentia pariter obligant. Porro, Ecclesia, utpote societas perfecta, idem jus habere debet. Ergo conciliorum generalium convocatio juri naturali consentanea est.

2° Præsertim, contra sententiam nonnullorum theologorum jure divino instituta sunt generalia concilia.

Nam apud Matth. XVIII, 20, Christus dicit : *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in me-*

dio eorum : atqui hæc verba, ex contextu, ad Ecclesiam congregatam spectare videntur; immediate enim ante ea Christus dixerat : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis : Quæcumquæ alligaveritis super terram,* etc.

Universa traditio hunc textum sic intelligit, v. g., concilium chaldonense, in quo plus quam quingenti sederunt episcopi; concilium Constant. II; item Cœlestinus papa, ad patres concilii Ephesini scribens, etc. Ergo.

SECTIO TERTIA. — *De Conciliorum utilitate vel necessitate.*

1° Nemo catholicus ambigere potest quin concilia œcumenica sint utilia; nam in summo honore semper habita sunt, ea frequenter celebravit Ecclesia, et Christus illa instituit.

2° Concilia generalia non sunt absolute necessaria. Si enim absolute necessaria forent, vel ad controversias fidei dirimendas, vel ad leges condendas : atqui sub hoc duplici respectu non sunt absolute necessaria, siquidem summus Pontifex infallibili auctoritate gaudet, tum ad judicia ferenda et dogmata definienda, tum ad leges condendas. Et vero ante et post primum concilium generale Nicææ celebratum, multæ profligatæ sunt hæreses, plurimæ conditæ sunt leges ad totam Ecclesiam spectantes et universos fideles obligantes, v. g., lex jejunii quadragesimalis, lex abstinentiæ diebus veneris et sabbati; lex audiendi Missam diebus dominicis et festivis, etc. Ergo.

3° Quamvis concilia generalia non sint absolute necessaria, aliquoties tamen adeo sunt utilia, ut dici possint moraliter necessaria, vel quia ita divisum videtur corpus episcoporum, ut solemnitas concilii generalis ab omnibus desideretur tanquam medium efficacius unitatem conservandi; vel quia generales abusus ita grassantur, ut sola concilii œcumenici auctoritas eos corrigere valeat; vel quia tam multi aut tam audaces apparent fidei hostes, ut per Ecclesiæ dispersæ decreta sufficienter refrenari non possint. Ergo.

Insuper nihil splendidius, solemnius et ad persuadendum aptius est quam conciliorum generalium majestas; unde aliquid Ecclesiæ dignitati deesse videretur, si nulla celebrarentur concilia. Ergo.

SECTIO QUARTA. — *De regulis in conciliis servandis.*

Triplicis generis requiruntur conditiones ut concilia sint œcumenia et legitima; aliæ spectant ad eorum convocationem; aliæ ad celebrationem, et aliæ ad exitum.

I. QUOAD CONVOCATIONEM. Requiritur 1° ut ista convocatio fiat per summum Pontificem vel ipso annuente, ita ut si per alium fieret nulla esset ista convocatio, nullum concilium, nisi ratam habuerit summus Pontifex. Hoc jus pontificium probatur per propositionem sequentem :

PROPOSITIO.

Jure proprio ad solum Pontificem Romanum pertinet convocare concilium generale.

Hæc propositio probatur auctoritate et praxi tum ipsorum conciliorum, tum S. Pontificum, ac prætera ratione theologica.

1° *Auctoritate conciliorum summorumque Pontificum.* Synodus Nicæna, ex œcumenicis prima, confitetur hoc jus convocandi concilia ad Romanum Pontificem pertinere : *Non debent præter sententiam Romani Pontificis concilia celebrari.* Ideo non mirum est quod omnes Synodi a summis pontificibus, vel saltem eis permittentibus, congregatæ sint; quod nulla citari possit, quæ a catholicis quemdam auctoritatem obtinuerit, si absque hac consensione Papæ fuerit congregata.

Summi Pontifices sibi hoc jus semper vindicavere. Marcellus definit ipse *Synodum generalem absque hujus S. sedis auctoritate episcopos non posse regulariter facere* (cap. Synodum, dist. 17, citatum in Theol. P. de Charmes). — Leo X, bulla *Pastor æternus* docet Pontifi-

cem Romanum jure pleno ac plena auctoritate in concilia gaudere, ac proinde ea convocandi, transferrendi aut etiam dissolvendi; quo quidem jure usus est Eugenius IV, dissolvendo Basilieense concilium illudque transferendo primum ad Ferrarem, ac postea Florentum. — Tandem Paulus III, auctor concilii Tridentini, ultimi generalis suum jus solemniter declarat: « Dei omnipotentis Patris « et Filii et Spiritus sancti, ac beatorum ejus apostolorum » Petri et Pauli auctoritate, qua nos quoque in terris » fungimur, freti atque subnixi... Sacrum œcumenicum » et generale concilium in civitate Tridentina .. absol- » vendum, perficiendum indicimus, annuntiamus, con- » vocamus, statuimus atque decernimus. » (Labbe, t. XIV, col. 730). Ergo.

2° *Prob. Rat. theol.* Ille enim solus episcopus legitime convocare potest, qui ratione dignitatis, primus est, caput et princeps totius Ecclesiæ, et universam habet jurisdictionem; atqui talis solus est Romanus Pontifex; ergo.

Obj. Priora concilia, Nicænum, sicilicet, Constantinopolitanum, et Ephesinum convocata sunt ab imperatoribus; ergo nihil impedit quin hæc convocatio fieri possit per alium quam per summum Pontificem.

Dist. ant. Convocata fuerunt ab imperatoribus, annuentibus summis pontificibus, *conc.* ab imperatoribus solis et tanquam a propria virtute. *Neg.* Equidem fatemur episcopos fuisse ad hæc concilia convocatos ab imperatoribus qui hisce temporibus religionem christianam fovebant, vel negotiis ecclesiasticis, sæpeque plus equo, implicabantur; qui præterea sumptibus tum itineris, tum celebrationis concilii consulebant; at falsum est eos has synodos convocasse solos ac propria virtute; testimonia enim historica, quæ revocari in dubio impossibile est, demonstrant S. Pontifices a convocatione istorum conciliorum minime fuisse alienos. Ergo.

2° Requiritur ad *convocationem* ut omnes episcopi communionem cum Romano Pontifice habentes convocentur; nam jure divino omnes æqualem habent potestatem de

controversiis circa fidem judicandi : ergo nullius convocatio negligi potest quin jus divinum lædatur.

Illæ duæ conditiones sunt quidem de *jure ordinario* requisitæ; sed aliquando et per viam exceptionis abesse possunt, quia convocatio aliquando per summum Pontificem fieri non posset, sede Romana scilicet vacante aut a Pontifice dubio occupata. Tunc autem episcopi, si de facto coadunarentur in numero sufficienti, totam repræsentarent Ecclesiam. At in eo casu, concilium non esset vere œcumenicum, nisi accedente consensu aliorum episcoporum qui convocari debuissent; nec eadem polleret auctoritate ac cætera concilia generalia, donec a Romano Pontifice legitimo et certo confirmatum fuisset.

II. Quoad celebrationem. — Duo requiruntur, summum Pontificem per se aut per legatos præsidere, ac episcopos convocatos numero sufficienti adesse.

1° Omnes catholici docent : præsidentiam ad Pontificem Romanum jure divino pertinere; certum est enim illum esse jure divino Christi vicarium, caput totius Ecclesiæ et supremam in illam habere auctoritatem, ut mox probavimus; aliunde unanimi traditione constat Pontificem Romanum omnibus conciliis generalibus per se aut per legatos suos præfuisse, aut saltem auctoritate sua ea confirmasse, antequam haberentur ut œcumenica.

2° Omnes pariter fatentur requiri episcopos in numero sufficienti ut universa Ecclesia censeatur repræsentata : non quidem necesse est ut major pars episcoporum congregetur, alioquin Ecclesia non esset repræsentata, sed congregata : at numerus episcoporum admodum parvus, sex, v. g., aut decem, sufficienter totam Ecclesiam repræsentare non judicaretur.

III. Quoad exitum. — Tres requiruntur conditiones, scilicet ut sit libertas, ut res conciliariter tractentur, et ut confirmatio summi Pontificis accedat.

1° *Ut sit libertas.* Nam episcopi agere debent humano modo : at humano modo non agerent si vi opprimerentur, fraude aut captionibus deciperentur. Aliunde totam

Ecclesiam non repræsentant, nisi cæteri episcopi decretis eorum subscribere præsumantur : at episcopi per orbem dispersi non parati sunt subscribere decretis concilii cujus patres sufficienti non pollent iibertate. Hinc nullius auctoritatis est falsa synodus Ephesina, vulgo dicta *latrocinium Ephesinum,* anno 449 habita; in ea quippe nulla exstitit libertas : Dioscorus, patriarcha Alexandrinus, præses, et alii Eutychiani ejus fautores vim aliis patribus intulerunt, et plagis in ipso concilio Flavianum, patriarcham Constantinopolitanum, affecerunt. Ergo.

Inde tamen concludere non licet majorem numerum episcoporum a vera fide, etiam ob metum mortis, decidere posse; nam promissiones Christi sunt absolutæ ac proinde cum tali defectione conciliari non possent : si ergo contingeret aliquam synodum ex majori numero episcoporum totius orbis coalescere, tunc nec minis, nec plagis, nec fraude aut deceptionibus a vero deflecteret.

2° *Ut res conciliariter tractentur*, scilicet ut ferantur decreta ad totam Ecclesiam respicientia, cum obligatione credendi : non vero tantum exponantur motiva, ut sæpe fit, v. g., in capitibus concilii Trid. canones præcedentibus.

3° *Ut confirmatio summi pontificis accedat.* De hac conditione paulo majora dicere convenit, cum de ista prærogativa eminet præeminentia Pontificis Romani in Ecclesia. Duplex distingui potest hujusmodi confirmatio, scilicet proprie dicta, quæ est solemnis decretorum concilii promulgatio ad omnes ecclesias directa, et improprie dicta, quæ est tantum simplex assensus vel approbatio.

PROPOSITIO.

Concilium generale vim irrefragabilem non habet, nisi auctoritas summi Pontificis ei accedat, saltem per consensum.

Prob. Traditione, ratione, et auctoritate theologorum.

1° *Traditione.* Ipsa enim concilia generalia hanc facultatem in summo Pontifice agnoverunt. Sic concilium

Nicænum confirmationem S. Sylvestri requisivit; concilium Chalcedonense assensum S. Leonis his verbis petiit : « Rogamus igitur, tuis decretis nostrum honora » judicium. » Pius IV concilium Tridentinum, per bullam *Benedictus Deus*, ex petitione patrum confirmavit ac promulgavit.

Plurima quidem celebrata sunt concilia generalia quibus expressa hujusmodi summi Pontificis approbatio non accessit; sed Pontifices Romani eis consenserunt saltem per legatos, eorumque exsecutionem semper prosecuti sunt : porro sic agendo ea sufficienter confirmaverunt : ergo 1°.

2° *Ratione.* — a) Decreta conciliorum generalium sunt actus totius corporis docentis in Ecclesia; at dici non possent actus totius corporis docentis, si caput positive non consensisset. — b) Concilia generalia sunt in suo genere, respectu summi Pontificis, sicut comitia generalia in regno, v. g. in Gallia, in Anglia, etc. : atqui leges in comitiis generalibus constitutæ vim et robur non habent nisi a principe confirmentur : *a fortiori* ergo et decreta conciliorum nondum perfecta sunt nisi a pontifice Romano fuerint approbata. — c) Summus Pontifex est centrum unitatis in fide, sicut in regimine : verum si decreta conciliorum essent regulæ fidei absque confirmatione summi Pontificis, tunc summus Pontifex jam non foret necessario centrum unitatis in fide : ergo 2°.

3° *Auctoritate theologorum.* Omnes Ultramontani in hoc puncto consentiunt : ipsi vero Galli ab hac sententia non recedunt, ut testatur illustrissimus *Bossuet*, Gallia orthodoxa, n. 84 : « Parisienses ultro consentiunt ex an» tiquissimis regulis synodos generales absque Romano » Pontifice nullas esse et irritas. » Ergo 3°, etc.; aliunde, etc. Ergo.

Ex propositione ista quædam deducuntur consectaria gravis momenti. 1° Si Pontifex Romanus concilii generalis etiam legitime congregati dissolutionem aut translationem in alium locum pronuntiet, si ei per se aut per legatos præesse nolit aut cesset; tunc illud totam Eccle-

siam jam non repræsentat, quia conditionibus ad concilia generalia requisitis non est donatum. Hinc 2° concilium Ariminense non fuit œcumenicum, ut supra notavimus. 3° Concilium Basileense non fuit pariter œcumenicum, saltem a sessione 29; nam Eugenius IV legatum suum revocaverat, et concilium transtulerat primo Ferrariam, deinde Florentiam, ibique illud celebrabat cum Græcis et multis Latinis, dum pauci episcopi, multo plures secundi ordinis sacerdotes et Cardinalis Arelatensis, decreto translationis resistentes, Basileæ adhuc remanebant, sessiones interdum habebant, multa reformationis decreta edebant, contra Eugenium IV procedebant, hunc Pontificem cum gravi scandalo deponebant, et eligebant Amedeum VIII, Sabaudiæ ducem, qui, ab anno 1439 usque ad annum 1449, fuit Antipapa sub nomine Felicis V.

SECTIO QUINTA. — *De auctoritate conciliorum generalium.*

Vidimus jam summum Pontificem, Christi vices gerentem primatuque gaudentem, supremam exercere auctoritatem tum circa fidem quam infallibiliter docet, tum circa mores quos regit, et disciplinam cujus conficit leges aut abrogat; vidimus item episcopos per orbem sparsos summis Pontificibus in ministerium Ecclesiæ esse adjunctos; itaque ex primo aspectu perspeximus quænam esse debeat auctoritas conciliorum generalium, in quibus tam potestas sedis Romanæ quam aliarum Ecclesiarum quasi in unum redigitur. Ea est auctoritas conciliorum quam majorem in Ecclesia concipere non valemus; ergo circa doctrinam concilia infallibiliter possunt docere, dirimere controversias et definire, circa mores statuere absque errandi periculo, circa regimen ecclesiæ uti potestate suprema leges ferendi, abrogandi, judicandi, administrandi. — Illæ conciliorum generalium prærogativæ argumentis fulciuntur sequenti propositione.

PROPOSITIO.

Concilia generalia infallibiliter de fide et moribus decernunt, et summa potestate utuntur in regenda Ecclesia.

Prob. pars prior. Scriptura sacra, fide Ecclesiæ, SS. Patrum testimoniis et adversariorum consensu.

1° *Scriptura sacra.* Ex pluribus enim textibus certum est corpus docens in Ecclesia infallibilitate gaudere : ergo pariter concilium generale est infallibile; nam ex definitione, universam repræsentat Ecclesiam : illusorie autem diceretur universam Ecclesiam repræsentare, si judicia ipsius errori forent obnoxia. Ergo 1°.

2° *Fide Ecclesiæ.* Quod semper, ubique et ab omnibus in Ecclesia habitum est de fide, de fide est : atqui semper, ubique et ab omnibus habitum est de fide concilia œcumenica infallibilia esse; a tempore enim Apostolorum quæstiones fidei delatæ sunt ad concilia œcumenica, quorum decreta sub pœna anathematis suscipi debuerunt, idem cunctis historiæ ecclesiasticæ monumentis constat. Ergo 2°.

3° *SS. Patrum testimoniis.* S. Ambros., de Fide, l. 3 : c. 15, decreta concilii Nicæni appellat *hæreditaria signacula, quæ nulla temeritate sunt violanda.* S. Gregorius Magnus quatuor priora concilia generalia, nempe Nicænum, Constantinopol. I, Ephesinum et Chalcedonense, profitebatur se suscipere et venerari *sicut quatuor Evangelii libros*, Epist. ad Joan. Constantinop. et similiter quintum. videlicet Constantinop. II : « Quia, *pergit Pon-* » *tifex*, dum sunt universali consensu constituta, se et » non illa destruit quisquis præsumit aut solvere quos » ligant aut ligare quos solvunt. » Ergo concilia per se privilegio infallibilitatis gaudent. Ergo 3°.

4° *Adversariorum consensu.* Plurimi enim doctores protestantes, et quidem celeberrimi, confessi sunt temerarium esse definitionibus conciliorum generalium obsistere et assensum denegare, ut videre est apud *Hooke* tract. *de Eccl.* et apud *de la Hogue.* Ergo 4°.

Prob. pars posterior, item Scriptura sacra, et praxi Ecclesiæ. 1° *Scriptura Sacra. Quæcumque alligaveritis super terram erit erunt ligata et in cœlo, quæcumque solveritis super terram erunt soluta et in cœlo.* Matth. XVIII, 18. — *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Unde sic argumentatur : ex his textibus et aliis quos omnes norunt demonstratur Christum instituisse in Ecclesia sua, tanquam in societate perfecta summam potestatem ad eam recte regendam, ac eam potestatem tradidit suis Apostolis, ut vice sua eam ad successores tradant ; atqui in concilio sedent omnes Apostolorum successores qui in eumdem actum conspirant : ergo in hoc concilio quærenda est et invenienda ea potestas.

2° *Praxi Ecclesiæ.* Quotiescumque concilia generalia res Ecclesiæ gesserunt, non solum decrevere de fide, et errores profligarunt, sed etiam prout necesse erat disciplinæ ac bono ordini Ecclesiæ consuluerunt, sive novas leges ferendo, sine antiquas mutando, sive aliam viam sequendo. Hinc nullum præterit Concilium Nicænum plures circa hanc materiam confecisse canones, qui etiam hodie, paucis exceptis asservantur ; et concilium Tridentinum multa de reformatione egisse. Porro quod semper fecit Ecclesia optimum est veritatis et juris argumentum ; ergo...

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° S. Aug., l. 2 de Baptismo, c. 3, asserit priora concilia; etiam plenaria seu generalia, sæpe posterioribus emandari : « Cum aliquo experimento rerum aperitur » quod clausum erat, et cognoscitur quod latebat. » Ergo persuasum habebat concilia generalia non esse infallibilia.

R. 1° S. Aug. ibi non loquitur de conciliis generalibus ; nam dicit priora illa concilia sæpe posterioribus emendari : atqui tempore sancti Aug. duo tantum celebrata fuerant concilia generalia, nempe Nicænum I, anno 325,

et Constantinop. I, anno 381; posterius autem in priori nihil emendavit, sed Symbolum ejus adoptavit et articulum de Spiritu sancto et Ecclesia ei addidit.

R. 2° *Dist. ant.* S. Aug. asserit priora concilia plenaria posterioribus emendari, quando agitur de factis, *concedo;* ubi agitur de fide, moribus aut disciplina generali, *nego ant.* equidem fieri potest ut concilia priora etiam generalia posterioribus emendentur in iis quæ spectant ad facta particularia vel ad aliquas disciplinæ regulas non essentiales; non contendimus enim concilia generalia circa hujusmodi articulos infallibilitatis privilegio gaudere : porro S. August. in textu nobis allato loquitur de factis, non vero de fide : asserit namque priora concilia posterioribus emendari, *cum aliquo rerum experimento aperitur quod erat clausum :* atqui fides et quæ spectant ad fidem, non rerum experimento, sed ex solo verbo Dei scripto et tradito noscuntur. Præterea, S. Doctor hoc loco arguit Donatistas qui suum schisma defendebant, et auctoritatem S. Cypriani in sui gratiam invocabant. Ergo.

Inst. S. Aug. disputans adversus Maximum, arianum, dicit, l. 2, c. 13, n. 3 : « Nec ergo Nicænum, nec tu debes » Ariminense concilium proferre : nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris. » Ergo auctoritatem ipsius concilii Nicæni respuebat.

R. Nego conseq. Nam Maximus auctoritatem hujus concilii non admittens, concilium Ariminense objiciebat; ne igitur contentio prolixius traheretur, S. Aug. suum adversarium ex principio certo, ab utroque admisso, confutare sibi proponit, abstrahendo a conciliis, tum Nicæno, tum Ariminensi : sic autem agendo, auctoritatem concilii Nicæni non lædit; quotidie enim, cum protestantibus disputantes, concilium Trid. seponimus, quamvis infallibilem illius auctoritatem labefactare non intendamus. Ergo.

Obj. 2° Concilium Ariminense, in quo quadringenti sederunt episcopi, fuit generale : attamen a vera fide deflectens erroribus Arianorum subscripsit. Ergo.

R. 1° *Nego maj.* Concilium enim Ariminense quo fere omnes hæretici contra Ecclesiam abutuntur, tanquam generale haberi non potest, quia plures ex conditionibus ad concilium œcumenicum necessariis ei defuerunt; scilicet : — a) non fuit legitime convocatum; solus enim imperator Constantius jussit episcopos illuc congregari, et Liberius, tunc Pontifex romanus, nec convocationi consensit, nec concilio per se aut per legatos præfuit. — b) Omnes episcopi non fuerunt convocati; nam eodem tempore centum et sexaginta episcopi Orientales jussu ejusdem imperatoris aliud celebrabant concilium Seleuciæ, et nulla inter utrumque concilium erat communicatio. Alii insuper celebres episcopi et permulti nullo modo fuerant vocati; quidam tunc erant in exilio, v. g., Lucifer Calaritanus in Palæstina, S. Eusebius Vercellensis in Thebaide cum multis aliis, S. Athanasius Seleuciæ latebat, etc. — c) Sufficientem libertatem non habuerunt patres Ariminenses; præfectus enim Taurus, ex speciali mandato imperatoris, concilio adfuit et nihil non molitus est ut precibus, blanditiis, minis, fallacibusque promissis ac declarationibus episcopos ad subscribendum formulæ æquivocæ adduceret; hanc subscriptionem summus Pontifex Liberius non approbavit; asserit e contra, in Epistola ad Orientales, quod patres Ariminenses a fide desciverint, *Labbe*, *t.* II. Ergo illud concilium non fuit œcumenicum in sua convocatione, nec in sua celebratione nec in suo exitu. Ergo.

R. 2° *Nego min.* Illi enim a vera fide non recesserunt, qui formulæ tantummodo æquivocæ subscripserunt, et multas adhibuerunt cautiones ut pravum sensum excluderent : atqui ita se gesserunt patres Ariminenses.

— A) Formulæ tantummodo æquivocæ subscripserunt, nempe formulæ Sirmiensi; nam formula cui patres Ariminenses subscripserunt, a S. Athanasio relata, lib. de Synodis Ariminii et Seleuciæ, in sensu catholico optime intelligi potest, siquidem in ea declaratur Christum esse « Filium Dei unigenitum, ante omne principium et ante » omne tempus quod excogitari potest, impassiliter ex

« Deo genitum, solum ex solo Patre, Deum de Deo, » etc. Vox quidem *consubstantialis* a concilio Nicæno adhibita, de industria et cum intentione perversa fuit omissa, et in hoc consistit venenum hujus formulæ ; attamen omissio hujus vocis errorem non constituit. Ergo.

— B) Patres Ariminenses multas adhibuerunt cautiones ut falsum sensum hujus formulæ excluderent ; primum, hanc formulam tanquam suspectam rejecerunt ; Ursacium Sigidonensem episcopum, et Valentem Mursensem aliosque Arianos, qui fidei Nicænæ subscribere renuebant, deposuerunt ; deinde solemnem retractationem ab illis hæreticis, præsertim ab Ursacio et Valente, exegerunt ; testatur S. Hieronymus, Dial. adversus Lucifer., illos palam declarasse se Arianos non esse, et sub anathemate dixisse Christum Filium Dei esse non solum ante omnia sæcula, sed ante omne tempus genitum : tunc patres blanditiis, precibus ac minis cedentes, formulæ sibi oblatæ subscripserunt : at statim atque adverterunt se fuisse deceptos, et arianos ubique prædicare Christum, ex concilio Ariminensi, esse duntaxat creaturam, licet aliis perfectiorem, subscriptionem suam indignantes revocaverunt, *contestantes corpus Domini se nihil mali in sua fide suspicatos*, ait S. Hieron. Sic *ingemuit totus orbis*, pergit sanctus Doctor, et *Arianum se esse miratus est :* ergo, etc., ergo, etc. ; aliunde, etc. Ergo patres Ariminenses a vera fide non recesserunt, ita communiter theologi et eruditi, ut Baronius apud card. *du Perron, Tillemont, P. Alexander* et multi alii ; *Pierre Corgne, Dissertation critique et théologique sur le concile de Rimini.*

Obj. 3° Sola Ecclesiæ acceptatione constare potest concilium aliquod fuisse œcumenicum : ergo conciliorum auctoritas non differt ab auctoritate Ecclesiæ dispersæ.

R. 1° Et si totum concederetur argumentum, non minus infallibilia essent concilii œcumenici decreta : quidam enim opinantur approbationem Ecclesiæ auctoritatem concilio generali tribuere : at ubi constat aliquod concilium ab Apostolica sede haberi ut generale, certum est ejus decreta esse infallibilia.

R. 2° *Nego conseq.* Concilium generale totam repræsentat Ecclesiam, nomine Ecclesiæ judicat: ergo per seipsum, ex institutione Christi infallibiliter judicat. Unde acceptatio Ecclesiæ auctoritatem ei non tribuit, sed manifestat illud, absque errandi formidine, habendum esse ut œcumenicum. Sic definiendo unam propositionem esse de fide, Ecclesia divinam ei non tribuit auctoritatem, sed infallibiliter declarat eam fuisse revelatam. Ergo. Ita generaliter theologi.

At quidquid sit, cum concilium nondum receptum est ut generale, non potest esse regula fidei catholicæ: ubi vero constat illud receptum esse, omnes evanescunt difficultates circa convocationem, circa libertatem patrum, circa eorum numerum, etc.

Nota. Omnia quæ in actibus conciliorum generalium continentur, non idcirco ad fidem catholicam pertinent; nam id solum ad fidem catholicam pertinet quod fuit revelatum et quod ut tale ab Ecclesia cunctis fidelibus credendum proponitur: at in actibus conciliorum generalium sæpe multa reperiuntur quæ vel non fuerunt revelata, v. g., facta, mandata, etc., vel quæ non proponuntur ut revelata et a cunctis fidelibus credenda: sic quando patres conciliorum motiva decretorum exponunt, hæc ad fidem pertinere non intendunt, quia solum decretum ab omnibus credendum esse decernunt, non vero ejus motiva. Hinc doctrina quæ continetur in capitibus canones præcedentibus communiter non est de fide catholica, licet gravis sit auctoritatis; *a fortiori* textuum interpretatio haberi non potest ut infallibilis decisio.

Quæritur quibus signis judicari possit ea quæ in actibus conciliorum continentur ad finem pertinere.

R. Ad illud dignoscendum duo sunt expendenda, scilicet, natura rei et tenor decreti.

1° *Natura rei;* requiritur enim ut res sit *definibilis* de fide, videlicet ut mediate vel immediate sit revelata: unde si, præter institutionem suam, concilium generale pronuntiaret circa quæstiones physicas, mathematicas, ad studia legum pertinentes, a prudentia, non vero a scientia

divina pendentes, illius decreta ad fidem non pertinerent, quia non haberent pro objecto aliquid revelatum. Ita *Melchior Canus*, *Bellarmin*, *Véron* in sua Regula fidei, *Bossuet* in Defensione Declarationis, part. 1, l. 3, c. 1; *Tournely*, *de la Hogue*, etc.

2° Considerandus est *tenor decretorum*, nempe — a) si contrarium asserentes declarentur hæretici; — b) si anathema contra eos pronuntietur, v. g., ut in concilio Trid. *si quis dixerit... anathema sit*; — c) si pœna excommunicationis ipso jure adversus eos feratur; — d) si expresse dicatur hoc vel illud esse de fide, ab omnibus esse credendum, aut Evangelio vel doctrinæ Apostolorum esse contrarium; — e) denique si ex toto contextu colligitur mentem concilii fuisse dogma de fide enuntiare, hæreses præcavere aut damnare, et fideles obligare. Ubi vero, omnibus perpensis, remanet dubium an concilium dogma intenderit definire, decisio non est de fide; nam ut propositio ad fidem catholicam pertineat et cunctos fideles obstrictos teneat, non sufficit illam fuisse revelatam et utcumque enuntiatam, sed insuper requiritur ut ab auctoritate infallibili clare proponatur. Ergo, etc. Ita fusius melioris notæ theologi, ut Melchior *Canus*, lib. 5, c. 5, quæst. 4, et plures alii.

Sectio sexta. — *De conciliis porticularibus.*

I. De iis qui sedent in conciliis particularibus. — In conciliis particularibus soli episcopi sunt judices. Alii vero, de jure aut de consuetudine convocati, nonnisi ut consultores habentur. Ipsi abbates convocari possunt; non autem habent jus ad convocationem, nec suffragium decisivum. Si vero, uti supra diximus, gauderent jurisdictione quasi episcopali in territorio provinciæ, ipsis jus esset et ad convocationem et ad suffragium decisivum.

II. De eorum approbatione. — Notandum concilia etiam non œcumenica a sancta Sede recognosci debere, antequam acta eorum publicentur. Sic statuit Sixtus V per Constit. *Immensa*, diei 22 januarii anni 1587, jubens decreta concilii provincialis transmitti ad S. Cong. Concilii

antequam promulgentur ; *non quidem ut postea confirmationem reportarent a sede Apostolica, sed ut corrigantur, si quid fortasse in iisdem aut nimis rigidum aut minus rationi congruum deprehendatur*. Bened. XIV, de Synodo diæces. lib. 13, cap. 3, n. 3.

III. De eorum auctoritate.—Juxta omnes illa concilia per se non sunt infallibilia, licet Christus dixerit: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* ; quibus verbis assistentiam quidem promisit, non autem pro quibuscumque conciliis infallibilitatis privilegium, sed iis solum qui vere Ecclesiam repræsentant ; sic semper fuerunt intellecta. Certum est enim promissionem infallibilitatis ad totam Ecclesiam spectare ; et nihil reperitur in Scriptura neque in traditione quo idem privilegium tribui possit quibusdam episcopis, etiam collective sumptis et in concilio coadunatis, si totam Ecclesiam non repræsentent, imo contrarium ex traditione manifestatur ; sola enim concilia œcumenica habita sunt ut infallibilia. Unde, licet concilia Africæ numerosissima, a S. Cypriano congregata, pluries definierint baptismum ab hæreticis collatum esse nullum, hoc ab universa Ecclesia catholica tanquam hæresis fuit rejectum ; e contra plurima sunt concilia particularia quorum decreta ad catholicam fidem pertinent, quia universim fuerunt recepta et infallibilitate Ecclesiæ dispersæ fulciuntur.

At circa disciplinam concilium particulare leges ferre potest, vel abrogare, cum sufficiente potestate. Episcopi enim hac potestate gaudent pro sua diœcesi ; et eadem potestate pollent, quando in concilio coadunati sunt pro provincia, vel natione.

IV. De eorum necessitate vel utilitate. — Hinc sequitur concilia particularia nec absolute nec moraliter esse necessaria, sed valde utilia esse possunt ; nam episcopi ex eadem provincia vel natione coadunati, sibi invicem patefaciunt quid in unaquaque Ecclesia agatur vel omittatur, quid propagari debeat, quid corrigi et reprimi oporteat ; consiliis, adhortationibus et documentis se mutuo adjuvant, perfectiorem tum in doctrina, tum in disci-

plina instituunt ac servant unitatem, efficacius nascentes impugnant errores, abusus destruunt, etc. Unde plurima concilia œcumenica, et in primis Nicænum, jusserunt ut archiepiscopi frequenter concilium suæ provinciæ celebrarent. Idem renovavit concilium Tridentinum, sess. 24, c. 3, de Reform. Ergo.

CAPUT TERTIUM.

DE SUBJECTIS SEU MEMBRIS ECCLESIÆ.

Ex dictis, in decursu hujus Tractatus, sequitur Ecclesiam sub forma societatis perfectæ a Christo fuisse constitutam. Jam quæ auctoritas in ea vigeat, et a quibus ministris exercenda concessa fuerit, vidimus. Societas vero supponit subjectos seu membra, quibus congregatio coalescit. Nunc igitur quærendum est quinam homines, his vinculis externis devinciantur ut sint veræ Ecclesiæ subjecti et membra. Homines autem qui super terram existunt sunt infideles, vel catholici, hæretici aut schismatici, prædestinati vel reprobi, justi vel peccatores. — Dicendum est modo generali, omnes catholicos, qui scilicet profitentur eamdem fidem, qui eorumdem sacramentorum sunt participes, qui sub regimine eorumdem legitimorum pastorum, et præsertim Romani Pontificis vitam degunt, esse subjectos et membra societatis ecclesiasticæ, et ad corpus Ecclesiæ pertinere. — Quomodo vero sese gerant circa Ecclesiam cæteri quo enumeravimus nunc inquirendum est. Solutio hujus præponendæ quæstionis pendet ex principiis quæ incipiente tractatu statuimus circa corpus et animam Ecclesiæ. In memoriam revocentur sequentia; videlicet ad animam Ecclesiæ pertinent omnes qui gratia Christi et Spiritu sancto vivificantur; ad corpus autem omnes, qui vinculis externis, fide, sacramentis, pastoribus submissione ad externam societatem catholicam rediguntur, quæ est vere Christi Ecclesia.

ARTICULUS PRIMUS.

DE INFIDELIBUS, CATECHUMENIS, ET APOSTATIS.

I. De infidelibus. — Infideles in genere sunt ii qui non sunt baptizati; quando sunt publici, certum est eos nullo modo ad Ecclesiam pertinere; si vero essent occulti, id est, si quis non baptizatus haberetur ut baptizatus, inter fideles versaretur, cum iis preces funderet, officiis publicis assisteret, sacramentis participaret, pertineretne ad corpus Ecclesiæ? Quidam affirmarunt, nam ille homo eis videbatur externis Ecclesiæ vinculis obstrictus; sed alii omnes hanc opinionem rejiciunt: baptismus enim est janua Ecclesiæ (conc. Trident, sess. 14, c, 2), et aliunde ille homo suffragiis Ecclesiæ neque directe neque indirecte participat: ergo nequaquam ipsius membrum dici potest.

II. De catechumenis.— Catechumeni illi sunt qui doctrina Christi imbuuntur et ad baptismum se præparant.

De corpore Ecclesiæ ipsi non sunt; nam, ut ait Apostolus, I Cor. xii, 13; *In uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus:* fideles baptizantur ut sint unum corpus in Christo: ergo catechumeni nondum sunt de corpore Christi seu de Ecclesia. Præterea baptismus est Ecclesiæ janua, ut observavimus: igitur catechumeni sunt velut concepti in sinu Ecclesiæ per signum crucis, S. Aug. tract. 12 in S. Joan.; sed quia per baptismum nondum sunt renati, filii Dei et Ecclesiæ membra dici nequeunt. Attamen, si fidem, spem et charitatem perfectam habeant, ad animam Ecclesiæ pertinent et justi sunt apud Deum.

III. De apostatis.—Apostatæ ii dicunter qui religionem christianam penitus abnegant, sive religionem falsam profiteantur, sive nullam aliam amplectantur. Si publice id fecerint, certum est eos amplius non esse membra Ecclesiæ; nam quæcumque exteriora illius vincula eo ipso dissolverunt.

At, qui religionem christianam occulte deserunt, ut

multi hisce temporibus increduli, non ideo cessant esse membra Ecclesiæ, licet mortua; externa enim unionis vincula nihilominus existunt : de iis eodem modo ac de peccatoribus ratiocinandum est; *quod videbimus infra.*

ARTICULUS SECUNDUS.

DE HÆRETICIS ET SCHISMATICIS.

I. De hæreticis. — Hæretici sunt illi qui, religionem christianam profitentes, unum aut plures articulos, a Deo revelatos et ab Ecclesia ut tales propositos, pertinaciter negant.

Sunt occulti, si heterodoxa eorum opinio in notitiam publicam non venerit; si, e contra, eorum opinio sufficienter innotuerit, dicuntur publici.

Publici sunt iterum vel tolerati, vel non tolerati : tolerati quidem, si in externa communione Ecclesiæ permaneant, ut erant Jansenistæ; non tolerati autem, si ab Ecclesia per positivam excommunicationis sententiam ejiciantur, vel si totam communionem ipsi solverint, altare contra altare erigendo et aliis pastoribus se subjiciendo.

Certum est 1° hæreticos occultos ad corpus Ecclesiæ pertinere, sicut apostatas occultos et propter eamdem rationem.

Certum est 2° hæreticos publicos et non toleratos, sive per sententiam fuerint separati, sive ipsi communionem solverint, Ecclesiæ non esse membra; nullo modo enim cum illa uniuntur neque interne per virtutes, neque externe per communionis vincula.

Certum est 3° hæreticos toleratos ad animam Ecclesiæ non pertinere, nisi forte ratione bonæ fidei excusentur a peccato : *id sequitur ex dictis ubi de natura Ecclesiæ.* Quidam theologi contendunt eos ad corpus Ecclesiæ pertinere, quia characterem baptismi, confirmationis et etiam ordinis, si sint clerici, retinent. Cæteri vero

generaliter docent eosdem nec etiam ad corpus Ecclesiæ pertinere.

Etenim — a) Illi ad corpus Ecclesiæ revera non pertinent qui essentialia non habent vincula quibus membra ejus uniuntur; atqui hæretici notorii essentialia non habent vincula quibus membra Ecclesiæ inter se uniuntur; nam ex probatis, hæc vincula sunt professio ejusdem doctrinæ, participatio iisdem sacramentis, subjectio iisdem pastoribus, et præsertim Romano Pontifici : quicumque ergo vel uno ex his vinculis caret, realiter membrum Ecclesiæ dici non potest, sicut qui unius peccati mortalis fit reus, jam Deo amicus dici nequit : porro hæretici notorii, licet tolerati, eamdem fidem non profitentur : ergo.

— b) Sententia nobis opposita admitti non potest, saltem ob rationem quam ejus defensores afferunt, scilicet ob characterem baptismi, confirmationis et ordinis; cum enim spiritualis ille character nunquam deleri valeat, inde sequeretur eos qui a religione christiana ad Judaismum, Mahumetismum et etiam paganismum transirent, nihilominus esse membra Ecclesiæ, quod absurdum est et ab omnibus rejicitur. Ergo.

Quæritur utrum hæretici notorii, sed tolerati, jurisdictionem retineant, si sint clerici, usque dum per sententiam ab Ecclesia ejiciantur, vel donec ab illa actu positivo seipsos separent.

Quæstio hæc gravis est momenti, ut patet.

Nonnulli affirmant hæreticos eo instanti quo heterodoxa eorum opinio fit notoria, omni jurisdictione destitui, sicque cunctos eorum actus a jurisdictione pendentes, prorsus esse nullos. Ita Bellarminus, de Pontifice Romano, l. 2, c. 30, et plures apud eum; ita etiam, apud *Régnier*, *Isambert* et *Duval*. Alii oppositum docent.

II. De schismaticis. — De schismaticis idem dicendum est ac de hæreticis.

ARTICULUS TERTIUS.

DE EXCOMMUNICATIS.

Excommunicatio major, de qua sola hic agitur, est censura qua homo externa fidelium communione seu usu omnium bonorum Ecclesiæ spiritualium cunctis fidelibus communium privatur.

Inter excommunicatos, alii sunt occulti et alii publici, alii denuntiati et alii tolerati.

Certum est 1° excommunicatos occultos ad corpus Ecclesiæ adhuc pertinere, externa quippe conservant unitatis vincula.

Certum est 2° excommunicatos publice denuntiatos de corpore Ecclesiæ jam non esse, nec ullam jurisdictionem ecclesiasticam retinere : id omnes fatentur propter rationes quas attulimus in articulo præcedenti, de hæreticis non toleratis tractando.

3° *Generaliter admittunt theologi* excommunicatos publicos, licet non denuntiatos, membra Ecclesiæ reipsa non esse : nam, ex verbis Christi, Matth. XVIII, 17, qui non audit Ecclesiam, habendus est sicut *ethnicus et publicanus :* porro qui propter contumaciam suam publice excommunicatus est, certe non audit Ecclesiam : ergo.

Insuper, excommunicatio in eo præcise consistit quod vincula unionis solvantur, et homo fidelis e sinu Ecclesiæ per auctoritatem legitimam ejiciatur : ergo, ubi hæc censura est notoria, externa unionis vincula non conservantur, proindeque homo sic excommunicatus ad corpus Ecclesiæ non pertinet.

ARTICULUS QUARTUS.

DE PRÆDESTINATIS ET REPROBIS.

De Prædestinatis et Reprobis quædam raptim tetigimus ubi de Ecclesia in genere. Certum est reprobos qui

ex hac vita decesserunt minime ad Ecclesiam pertinere. Quodlibet enim vinculum sive cum Christo, sive cum Ecclesia, jam ruptum est, et de novo religari impossibile est.

Quoad prædestinatos, docuerunt Wiclefus et Joannes Hus eis et ipsis solis coalescere Ecclesia. Contra quos sit

PROPOSITIO.

Nec omnes, nec soli prædestinati ad Ecclesiam pertinent.

Prob. 1° Non omnes prædestinati. Nam infideles, hæretici publici, schismatici et excommunicati ad Ecclesiam non pertinent; atqui tamen negare non licet aliquos ex eis esse prædestinatos; alioquin pronuntiandum foret omnes futuros esse reprobos, ac proinde turpiter erravissent sanctissimi viri qui conversionem hujusmodi hominum procurare tot modis et tantis laboribus tentaverunt et etiam tentant. Præterea de Ecclesia non erat B. Paulus, dum fideles persequebatur, nec S. Aug. ante baptismum suum, nec innumeri alii viri qui idolis servierunt, partes hæreticorum tenuerunt, etc., et quos veneramur ut sanctos : erant tamen prædestinati. Ergo.

2° Non soli prædestinati sunt de Ecclesia. Nam — A) in hujus Tractatus initio, probavimus veram Christi Ecclesiam essentialiter esse visibilem; atqui prædestinati soli Deo sunt noti.

— B) Ex probatis, quicumque sunt baptizati et externæ communionis vincula retinent, ad corpus Ecclesiæ pertinent : porro certum est inter eos multos futuros esse reprobos : Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1° I Petr. III, 20, Arca Noe fuit Ecclesiæ Christi figura : atqui eos solos continebat qui erant salvandi : ergo.

R. Dist. maj. Arca Noe fuit Ecclesiæ figura quoad ali-

qua, *conc.* : quoad omnia, *nego maj.* Itaque in duobus potissimum dici potest arcam Noe Ecclesiam Christi præfigurasse. — a) Quia sicut in ea concludebantur animalia cujuscumque generis, munda et immunda, ita et in Ecclesia includuntur homines diversorum gentium et morum, justi et peccatores, prædestinati et reprobi. — b) Sicut nullus extra arcam ab aquis diluvii salvari potuit, ita extra Ecclesiam nullus salvari potest : in eo præcipue consistit comparatio Apostoli inter arcam et Ecclesiam; comparationes autem nunquam urgeri debent ultra similitudinis punctum. Ergo.

Obj. 2° Christus caput est Ecclesiæ et illius salvator, Eph. v, 23; eam sibi exhibet *gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi*, etc., ibid. ỳ. 27 : atqui hæc omnia dici non possent de Ecclesia, si cum prædestinatis reprobos contineret : ergo.

R. Nego min. 1° Christus revera est caput Ecclesiæ et ipsius salvator, eo sensu quod ab ipso tota fluat auctoritas in Ecclesia existens, tota gratia, et per ipsum tantum salus obtineri possit.

2° Ex Ecclesia visibili prædestinatos et reprobos, justos et injustos nunc continenti, efformabit Christus Ecclesiam triumphantem quam sibi exhibebit gloriosam... sanctam et immaculatam; cum ea ineffabili fœdere copulabitur, et nuptiæ ejus in æternum celebrabuntur : merito igitur *corporis sui* mystici, id est Ecclesiæ, salvator esse dicitur, quamvis in ea nunc existant reprobi.

ARTICULUS QUINTUS.

DE PECCATORIBUS ET JUSTIS.

Juxta genuinam Catholicorum sententiam, peccatores, Catholici remanentes, ad corpus Ecclesiæ pertinere non desistunt, siquidem non fregerunt vincula externa quibus externa communio constat, scilicet Ecclesiæ visibile corpus. Justi vero non solum corpori Ecclesiæ adhærent,

sed etiam ad animam, vivificantur enim gratia Christi et Spiritu sancto; et membra sunt Ecclesiæ viva.

Ubi de visibilitate egimus, annumerati sunt hæretici qui ab Ecclesia notione et extensione peccatores arcere voluerunt, ut eamdem invisibilem, solis justis coalescentem, efficerent. Hic igitur sufficiat contra eos directe sequens

PROPOSITIO.

Peccatores etiam insignes et manifesti vere sunt de corpore Ecclesiæ.

Prob. 1° *ex Scriptura sacra.* Ecclesia comparatur agro in quo zizania igne comburenda in medio tritici crescunt, et *sagenæ missæ in mare et ex omni genere piscium congreganti*, Matth. XIII, 24 et 47 : atqui per zizania et malos pisces intelliguntur mali homines cum justis in Ecclesia commixti. His parabolis sæpe usi sunt SS. Patres contra Novatianos et Donatistas, ut legitur apud S. Aug., breviculo Collationis cum Donatistis, col. tertii diei, c. 8. Ergo.

Prob. 2° *ex SS. Patribus.* S. Hieronymus, Dial. adversus Luciferianos, sic habet : « Arca Noe Ecclesiæ typus » fuit... ut ibi pardus et hædi, lupus et agni ; ita et hic, » justi et peccatores, id est, vasa aurea et argentea,, » etc. S. Aug. lib. de unico Baptismo, cap. 16, n. 30 : « Intra » istam arcam (Ecclesiam) boni et mali esse possunt, » extra eam boni esse non possunt. » Et in tractatu 6 in Joannem, ℣. 2 : « Boni et mali sunt in Ecclesia Christi. » Ergo.

Prob. 3° *rationibus theologicis* — A) Ecclesia est visibilis : atqui societas ex solis justis composita non esset visibilis : siquidem justitia est qualitas interna et soli Deo perfecte nota. — B) Sacramentum pœnitentiæ non extra sed intra Ecclesiam administratur : atqui Christus non instituit illud sacramentum pro justis, sed pro peccatoribus. — C) Illi sunt de corpore Ecclesiæ qui omnia necessaria unitatis vincula retinent : atqui peccatores etiam

insignes et manifesti omnia essentiala unitatis vincula retinent; nempe eamdem profitentur fidem, ut supponitur, iisdem subjiciuntur pastoribus, jus immediatum habent ad pœnitentiæ sacramentum, et, eo mediante, ad alia Ecclesiæ sacramenta : ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1°. Qui sunt de Ecclesia, Deum habent patrem : atqui peccatores Deum non habent patrem, sed *ex patre diabolo* sunt, Joan. VIII, 44 : ergo.

R. Distinguo min. Deum non habent patrem eos ut tales generantem, seu ratione gratiæ sanctificantis quam non habent, *conc.;* ratione creationis, conservationis, doctrinæ, gratiæ sufficientis, sacramentorum aliorumque salutis mediorum ipsis oblatorum, *nego min.* Etenim Isaias, I, 2, peccatores vocat filios Dei : itaque iidem homines ad regnum Christi seu ad Ecclesiam pertinere possunt, quatenus fidem profitentur, pastores agnoscunt, jus habent ad sacramenta, etc., et sub hoc respectu Deum habent et vocare possunt patrem; verum qui charitate et gratia sanctificante destituuntur, filii sunt ingrati erga Deum et ad diabolum vere pertinent : ergo.

Obj. 2° Si pecatores ad Ecclesiam vere pertinerent, essent membra Christi : atqui repugnat Christum hujusmodi habere membra, tunc enim ipsius corpus esset monstrum, ait *Jurieu;* ergo.

R. Nego min. et ejus probationem. Non enim ibi agitur de corpore Christi naturali, sed de corpore mystico, seu de societate quæ sensu aliquo morali et allegorico corpus ejus dicitur : atqui non repugnat peccatores ad hujusmodi corpus Christi pertinere : nam, ut societas absque ulla indecentia corpus Christi mysticum dici possit, sufficit quod, in se spectata, sit bona, sancta et perfceta : atqui Ecclesia, licet peccatores contineat, est nihilominus societas bona, sancta et perfecta, ut ostendimus, de sanctitate ejus specialiter agendo : ergo non repugnat peccatores

membra illius esse, sed mortua, quia gratia sanctificante non vivificantur.

Plurimi objiciuntur textus SS. Patrum, præsertim S. Aug.; sed cum ille sanctus doctor aliique Patres doctrinam nostram tradant, ut supra vidimus, textus nobis objecti alio sensu necessario debent intelligi : et revera, si attente considerentur, intelliguntur vel de Ecclesia triumphante, vel de virtutibus internis quæ animam Ecclesiæ constituunt, sicque non probant peccatores etiam insignes membra corporis Ecclesiæ non esse.

FINIS TRACTATUS DE VERA ECCLESIA.

INDEX.

Pag.

THEOLOGIÆ PROLEGOMENA 1
De definitione et divisione Theologiæ . . . . . *ibid.*
I. Definitur Theologia . . . . . *ib.*
II. Dividitur Theologia . . . . . *ib.*
De necessitate et nobilitate Theologiæ 4
I. De necessitate Theologiæ . . . . . *ib.*
II. De nobilitate Theologiæ 6
De locis Theologicis 7
I. De scriptura sacra . . . . . *ib.*
II. De traditione 8
III. De praxi et consuetudine Ecclesiæ . . . . . *ib.*
IV. De decretis conciliorum 9
V. De Constitutionibus SS. Pontificum. . . . . *ib.*
VI. De auctoritate SS. Patrum . . . . . *ib.*
VII. Consensus Theologorum 10
VIII. De jure canonico seu ecclesiastico 11
IX. De ratione naturali . . . . . *ib.*
X. De Philosophia . . . . . *ib.*
XI. De Historia. . . . . *ib.*
De historia Theologiæ 12

TRACTATUS DE VERA RELIGIONE.

I. De religione notio generalis. 17
II. Tractatus distributio 18

PARS PRIMA.

DE RELIGIONE REVELATA IN GENERE.

De Revelatione notio generalis 19
CAPUT I. De revelationis possibilitate 20
Errores circa revelationis possibilitatem . . . . . *ib.*
ARTICULUS I. De possibilitate revelationis in genere . . 21
PROPOSITIO. Revelatio est possibilis. . . . . *ib.*
ART. II. De modo revelationis 23
De revelatione mediata aut immediata . . . . . *ib.*
PROP. Deus ex hypothesi quod aliquid revelare velit singulis hominibus loqui non tenetur, sed potest illud manifestare quibusdam electis, quorum ope alios doceat. 24

Pag.
ART. III. De possibilitate revelationis quoad objectum. . 26
I. De mysteriis notio genuina . . . . . *ib.*
II. Vindicatur mysteriorum et præceptorum supernaturalium possibilitas . . . . . *ib.*
PROP. I. Deus potest revelare veritates captum mentis nostræ superantes seu mysteria 27
PROP. II. Deus nova præcepta legi naturali addere potest. 33
CAP. II. De necessitate revelationis 34
I. Status quæstionis . . . . . *ib.*
II. Annumerantur impugnatores necessitatis revelationis . 35
III. Probatur necessitas revelationis. 36
PROP. Sine revelatione moraliter impossibile erat colligere et convenienter docere corpus religionis quo Deus debito modo honoraretur et mores recte instituerentur . 36
CAP. III. De methode adhibenda in inquisitione revelationis . 45
I. Status quæstionis . . . . . *ib.*
II. Methodus auctoritatis argumentis probatur. 46
PROP. In inquisitione revelationis rejicienda est methodus sensu Rationalistarum intellecta, et via auctoritatis, generatim loquendo, admittenda . . . . . *ib.*
CAP. IV. De characteribus quibus existentia revelationis certo constare potest 51
Quid et quotuplex nota revelationis. . . . . *ib.*
ART. I. De miraculis 52
§ I. De definitione et divisione miraculi. 53
I. De definitione miraculi . . . . . *ib.*
II. De divisione miraculi 56
§ II. De possibilitate miraculi . . . . . *ib.*
PROP. Miraculum est possibile . . . . . *ib.*
§ III. De noscibilitate seu certitudine miraculi 58
PROP. Miraculum certo cognosci potest. . . . . *ib.*
§ IV. De causa efficiente miraculorum 60
I. De Deo, causa efficiente miraculorum . . . . . *ib.*
II. De angelorum potestate circa miracula. . . . . *ib.*
III. De dæmonum potestate circa miracula 61
PROP. Dæmones patrare possunt miracula improprie dicta in gratiam erroris 62
IV. De notis divinorum miraculorum . . . . . *ib.*
§ V. De vi probante miraculorum 64
PROP. Miracula certe existentia vim habent probandi veram esse doctrinam in cujus gratiam patrantur . . . *ib.*
ART. II. De prophetiis 71
§ I. De notione prophetiæ . . . . . *ib.*
§ II. De possibilitate prophetiæ . . . . . *ib.*
PROP. Prophetia est possibilis 73
§ III. De certitudine prophetiæ 73
PROP. Prophetiarum existentia certo cognosci potest . . 73
§ IV. De causa efficiente prophetiarum. 74
I. De Deo, prophetiarum auctore. . . . . *ib.*
II. De potestate angelorum circa prophetias . . . . . *ib.*
III. De dæmonum potestate in edendis prophetiis. . . . *ib.*
PROP. Dæmones possunt edere prophetias impoprie dictas in gratiam erroris 75

Pag.
§ V. De vi probante prophetiæ 76
Prop. Prophetiæ vim habent probandi veram esse doctrinam in cujus confirmationem eduntur . . . . . *ib.*

PARS SECUNDA.

DE RELIGIONE JUDAICA.

Hujus partis objectum et distributio 78
CAP. I. De Religione primæva 79
I. De religione primæva philosophorum absona hypothesis . . . . . *ib.*
II. De religione primæva genuina assertio . . . . . *ib.*
Prop. I. Prima religio non fuit polytheismus, sed theismus . . . . . *ib.*
Prop. II. Deus ab initio hominem cognitionibus positivis instruxit et religionem ei revelavit 80
CAP. II. De fontibus religionis judaicæ 83
Art. I. De authenticitate Pentateuchi . . . . . *ib.*
I. Quid authenticitas . . . . . *ib.*
II. Annumerantur quidam authenticitatis adversarii . . 84
III. Vindicatur authenticitas Pentateuchi . . . . . *ib.*
Prop. Pentateuchus est genuinum opus Moysis, et eo tempore ad quod refertur fuit scriptus . . . . . *ib.*
Art. II. De integritate Pentateuchi 93
I. Quid integritas Pentateuchi . . . . . *ib.*
II. Integritas Pentateuchi asseritur et probatur 94
Prop. Pentateuchus nullam subiit mutationem essentialem sive in doctrina sive in factis 94
Art. III. De veritate Pentateuchi 101
Prop. I. Vera sunt facta quæ in Pentateuchi libris describuntur . . . . . *ib.*
Prop. II. Vera sunt facta quæ in Genesi narrantur . . . 107
I. Narratio Moysis constitutioni terræ a geologis recognitæ non adversatur 112
II. Diluvium in cap. VII Genesis descriptum novis geologorum observationibus non adversatur 114
III. Unitas speciei humanæ cum vera scientia conciliari potest 120
IV. Chronologiæ populorum, bene intellecte, narrationi Moysis non adversantur 123
Art. IV. De cæteris veteris Testamenti libris. 129
Prop. Cæteri libri Veteris Testamenti omni fide sunt digni. . . . . *ib.*
CAP. III. De divinitate religionis Judaicæ 131
Objectum et distributio hujus capitis. . . . . *ib.*
Art. I. De divinitate religionis judaicæ per notas externas probata 132
I. Quid notæ extrinsecæ. . . . . *ib.*
II. Probatio per notas extrinsecas . . . . . *ib.*
Prop. Divinitas religionis judaicæ notis externis confirmatur . . . . . *ib.*

Pag.

ART. II. De divinitate religionis judaicæ per notas internas probata 137
I. Quid notæ internæ. . . . . *ib.*
II. Religionis judaicæ descriptio . . . . . *ib.*
III. Probatio divinitatis religionis judaicæ per notas internas 140
PROP. Religionis judaicæ divinitas patet tunc ex ejus dogmatibus et præceptis moralibus, tum ex cæremoniis et legibus politicis . . . . . *ib.*
CAP. III. De duratione religionis mosaicæ 158
Capitis hujus objectum et distributio . . . . . *ib.*
ART. I. An religio mosaica abrogari debuerit . . . . . *ib.*
I. Quid in religione mutandum . . . . . *ib.*
II. Demonstratur abrogatio futura religionis mosaicæ. . 159
PROP. Religio mosaica non erat in perpetuum duratura, sed in ordine decretorum divinorum abrogari debuit . *ib.*
ART. II. An religio mosaica de facto abrogata sit . . . 163
§ I. De actuali Judæorum statu . . . . . *ib.*
I. Descriptio finalis cladis Judæorum, eorumque status hodierni. . . . . *ib.*
PROP. Jam dudum abrogatam esse religionem Mosaicam, ex ipso solo actuali Judæorum statu, evidenter demonstratur 164
§ II. De Prophetiis circa abrogationem religionis mosaicæ 165
De Prophetia Jacob 166
I. Prophetiæ textus . . . . . *ib.*
II. Ex textu demonstratio . . . . . *ib.*
PROP. Ex memorata Jacob prophetia clare probatur Messiam jam a multo tempore advenisse 166
De prophetia Danielis 171
I. Textus prophetiæ . . . . . *ib.*
II. Ex textu demonstratio . . . . . *ib.*
PROP. Ex prophetia Danielis demonstratur jam advenisse Messiam 172
De prophetia Aggæi et Malachiæ 174
I. Textus prohetiarum. . . . . *ib.*
II. Ex textu prophetiarum demonstratio 175
PROP. Ex duabus Aggæi et Malachiæ prophetiis constat præteritum esse tempus quo venire debuit Messias . *ib.*

PARS TERTIA.

DE RELIGIONE CHRISTIANA.

Hujus partis cum præcedenti connexio et distributio . . 177
CAP. I. De fontibus seu de variis libris e quibus eruuntur argumenta ad divinitatem religionis Christianæ probandam 178
Quinam sint fontes religionis Christianæ . . . . . *ib.*
ART. I. De librorum Novi Testamenti authenticitate . . 179
PROP. Libri Novi Testamenti ab eis scripti sunt auctori-

Pag.

bus quibus attribuuntur, et eo tempore ad quod referuntur 179
ART. II. De Librorum Novi Testamenti integritate. . . 184
PROP. Integritate essentiali præditi sunt libri Novi Testamenti 185
ART. III. De librorum Novi Testamenti veritate. . . . 191
PROP. Libri Novi Testamenti sunt veri. . . . . *ib.*
CAP. II. De divinitate religionis Christianæ. 201
Annumerantur adversarii contra quos instituitur præsens caput . . . . . *ib.*
ART. I. De divinitate religionis Christianæ adversus Judæos. 202
§ I. De oraculis prophetarum Veteris Testamenti . . . *ib.*
Sectio 1. De Prophetiis ad nativitatis Christi tempus spectantibus. . . . . *ib.*
De prophetia Jacob 203
De prophetia Danielis. 204
De Aggæi et Malachiæ prophetiis. 206
Sectio 2. De prophetiis quæ Messiæ originem et nativitatem respiciunt 207
Sectio 3. De prophetiis quæ ad vitam, passionem et mortem Messiæ spectant 209
Sectio 4. De prophetiis quæ Messiæ resurrectionem et triumphum prænuntiant 211
§ II. De mira connexione religionis Christianæ cum religione mosaica 213
I. Quid figura . . . . . *ib.*
II. Præcipuæ figuræ describuntur 214
§ III. De ultima clade Judæorum et præsenti eorum statu. 218
PROP. Ex ultima clade Judæorum et præsenti eorum statu probatur divinam esse religionem Christianam . . . *ib.*
ART. II. De divinitate religionis Christianæ adversus incredulos 223
Enumerantur argumenta quibus speciatim de divinitate religionis Christianæ convincuntur increduli . . . . *ib.*
§ I. De prophetiis Christi 224
PROP. Divinitas religionis Christianæ probatur ex prophetiis a Christo editis. . . . . *ib.*
§ II. De miraculis Christi. 227
PROP. Ex miraculis Christi invicte probatur religionem Christianam esse divinam . . . . . *ib.*
§ III. De charactere et virtutibus Christi 231
PROP. Ex charactere et virtutibus Christi probatur divinitas ejus religionis. 232
§ IV. De Christi resurrectione 236
PROP. Ex resurrectione Christi invicte demonstratur religionem Christianam esse divinam . . . . . *ib.*
§ V. De excellentia doctrinæ Christi 247
PROP. Ex præcellentia doctrinæ Christi demonstratur religionis ejus divinitas . . . . . *ib.*
§ VI. De mira religionis Christianæ propagatione. . . 251
PROP. Divinitas religionis Christianæ ex mira ejus propagatione invicte demonstratur . . . . . *ib.*

Pag.
§ VII. De numero et fortitudine martyrum 257
I. Quid martyr et martyrium . . . . . *ib.*
II. Argumentum ex numero et animo martyrum . . . *ib.*
PROP. Divinitas religionis Christianæ ex numero et fortitudine martyrum demonstratur. 258

TRACTATUS DE VERA ECCLESIA.

I. Hujus tractatus objectum et divisio 264
II. De argumentis in hoc tractatu adhibitis . . . . . *ib.*

PRIMA PARS.

DE NOTIONE ECCLESIÆ IN GENERE ET DE EJUS INQUISITIONE.

CAP. I. De notione Ecclesiæ in genere. 265
ART. I. De origine Ecclesiæ 266
De duplici Ecclesiæ originæ juxta duplicem ejus aspectum . . . . . *ib.*
§ I. De primæva origine Ecclesiæ Christi, et ejus vigore sub lege naturali et lege scripta 267
PROP. Ecclesia Christi seu cœtus fidelium in Christo credentium prima Christi redemptoris promissione incepit nec abhinc desinit existere . . . . . *ib.*
§ II. De Ecclesia quatenus a Christo oritur 271
PROP. I. Christus instituit Ecclesiam . . . . . *ib.*
PROP. II. Christus instituit Ecclesiam sub forma perfecta a qua non recedet in terra 273
ART. II. De natura Ecclesiæ 274
§ I. De diversis Ecclesiæ nominibus et typis. . . . . *ib.*
I. De genuino nomine Ecclesiæ . . . . . *ib.*
II. De aliis nominibus ad designandam Christi Ecclesiam assumptis 275
III. De præcipuis Ecclesiæ Typis. . . . . *ib.*
IV. De Parabolis Christi Ecclesiam repræsentantibus . . 276
§ II. De natura externa Ecclesiæ seu de ejus institutione sub forma societatis . . . . . *ib.*
I. Quid societas in genere . . . . . *ib.*
II. De Ecclesia sub ratione societatis instituta 277
PROP. Christus instituit Ecclesiam sub forma societatis . *ib.*
§ III. De natura interna simul et externa Ecclesiæ. . . 279
I. De Ecclesiæ capite. . . . . *ib.*
II. De anima Ecclesiæ 282
III. De corpore Ecclesiæ 284
§ IV. De definitione Ecclesiæ. 287
I. Definitiones hæreticorum pravæ . . . . . *ib.*
II. Definitiones catholicæ 288
ART. III. De necessitate adhærendi veræ Ecclesiæ. . . 290
I. Status quæstionis et maximi momenti prænotanda. . *ib.*

Pag.
II. Comprobatur axioma : « Extra Ecclesiam, nulla speranda est salus. » 291
Prop. Qui extra corpus et animam Ecclesiæ sive culpabiliter sive absque culpa morantur et decedunt salutem æternam obtinere nequeunt. 292
CAP. II. De notis veræ Ecclesiæ 296
Art. I. De visibilitate et notis Ecclesiæ in genere. . . 297
§ I. De visibilitate Ecclesiæ . . . . . *ib.*
I. Quid visibilitas Ecclesiæ. . . . . *ib.*
II. Errores circa Ecclesiæ visibilitatem. 298
III. Visibilitas Ecclesiæ vindicatur . . . . . *ib.*
Prop. Ecclesia est visibilis et cognitu facilis. . . . *ib.*
§ II. De notis Ecclesiæ in genere. 302
I. Conditiones requisitæ ut notæ ad veram Ecclesiam ducere valeant . . . . . *ib.*
II. Notæ falsæ a Protestantibus assignatæ. 303
Prop. Recta doctrinæ Christi prædicatio et legitima sacramentorum administratio immerito assignantur ut notæ Ecclesiæ . . . . . *ib.*
Art. De unitate Ecclesiæ 306
Quid et quotuplex sit unitas Ecclesiæ . . . . . *ib.*
§ I. De unitate Ecclesiæ in genere tum facti, tum juris . 307
Prop. Ecclesiæ Christi competit unitas tum facti, tum juris. . . . . *ib.*
§ II. De unitate fidei 309
I. Quid unitas fidei . . . . . *ib.*
II. Errores Protestantium expositi et debellati . . . *ib.*
Prop. Distinctio articulorum fundamentalium et non fundamentalium a Jurieu excogitata admitti non potest ac proinde ruit ipsius systema 310
III. Unitas fidei ad mentem Catholicorum. 314
Prop. I. Unitas fidei, veræ Ecclesiæ necessaria consistit in professione ex parte omnium ejusdem doctrinæ, scilicet totius doctrinæ Christi absque ulla exceptione. . *ib.*
Prop. II. Invariabilis est Ecclesia in fide sua 316
§ III. De unitate regiminis. 317
I. Quid unitas regiminis. . . . . *ib.*
II. Confirmatur unitatis regiminis necessitas . . . . *ib.*
Prop. Vera Christi Ecclesiæ ita est una ratione regiminis, ut a via salutis excludantur schismatici, etiamsi in doctrina non errent. . . . . *ib.*
§ IV. De unitate cultus 319
I. Quid unitas cultus . . . . . *ib.*
II. Necessitas hujus unitatis 320
Art. III. De sanctitate Ecclesiæ . . . . . *ib.*
I. Quid et quotuplex sanctitas in Ecclesia. . . . . *ib.*
II. De sanctitate prout est nota Ecclesiæ 321
Art. IV. De Catholicitate Ecclesiæ 322
I. Quid Catholicitas et quotuplex. . . . . *ib.*
II. Sententia Catholicorum circa catholicitatem. . . . *ib.*
§ I. De Catholicitate quoad locum considerata . . . . *ib.*
Prop. I. Vera Christi Ecclesia debet esse catholica seu universalis quoad locum. 323

Pag.

PROP. II. Ecclesia non tantum successive, sed simultane catholica esse debet. 325
PROP. III. Sufficit Ecclesiæ Catholicitas moralis, nec physica requiritur 326
PROP. IV. Necesse est ut vera Ecclesia cæteras societates Christianas diffusione sua vincat . . . . . *ib.*
§ II. De Catholicitate quoad tempus 327
I. Quid Catholicitas Ecclesiæ quoad tempus considerata. *ib.*
II. Errores circa Ecclesiæ catholicitatem 328
III. Sententia Catholicorum circa catholicitatem vindicata. *ib.*
PROP. Ecclesia debet esse perpetuo quoad tempus catholica seu indefectibilis 329
ART. V. De Apostolicitate Ecclesiæ 331
Quid Apostolicitas . . . . . *ib.*
§ I. De Apostolicitate doctrinæ . . . . . *ib.*
PROP. Vera Christi Ecclesia debet esse Apostolica ratione doctrinæ . . . . . *ib.*
§ II. De Apostolicitate ministerii. 332
Apostolicitatis ministerii conditiones. . . . . *ib.*
PROP. Vera Christi Ecclesia debet esse Apostolica ratione ministerii . . . . . *ib.*
CAP. III. De notarum veræ Ecclesiæ applicatione 335
ART. I. De applicatione notarum societatibus Protestantibus. 336
I. Sectarum Protestantium notitia . . . . . *ib.*
II. Demonstratur Protestantes sectas non esse veram Ecclesiam. 338
PROP. I. Protestantes non habent nec habere possunt unitatem veræ Ecclesiæ essentialem . . . . . *ib.*
PROP. II. Protestantium societates non habent sanctitatem veræ Ecclesiæ Christi essentialem 340
PROP. III. Protestantium societates non habent catholicitatem veræ Christi Ecclesiæ essentialem 342
PROP. IV. Protestantium societates non habent apostolicitatem veræ Christi Ecclesiæ essentialem. 343
ART. II. De applicatione notarum Ecclesiæ Græcæ . . 351
I. De Schismate Græco brevis notitia . . . . . *ib.*
II. Confutatio Græci schismatis 352
PROP. Ecclesia Græca non est vera Christi Ecclesia . . *ib.*
ATT. III. De applicatione notarum Ecclesiæ Romanæ. . 354
PROP. I. Ecclesia Romana habet unitatem veræ Ecclesiæ necessariam 355
PROP. II. Ecclesia Romana vere est sancta 357
PROP. III. Ecclesia Romana est catholica. 362
PROP. IV. Ecclesia Romana vere est apostolica ratione doctrinæ 365
PROP. V. Ecclesia Romana est Apostolica ratione ministerii 366
Corollarium 371

PARS SECUNDA.

DE CONSTITUTIONE VERÆ CHRISTI ECCLESIÆ.

Pag.

Hujus partis objectum et distributio. 373
CAP. I. De auctoritate in Ecclesia constituta 374
ART. I. De Ecclesiæ magisterio . . . . . *ib.*
§ I. De existentia magisterii in Ecclesia. 375
I. De necessitate magisterii in Ecclesia. . . . . *ib.*
PROP. In Ecclesia necessarium est Magisterium . . . . *ib.*
II. De dotibus quibus præditum esse necesse est Ecclesiæ magisterium 376
III. Quod magisterium a Protestantibus excogitatum sit mere illusorium 377
PROP. I. Scriptura sacra, sensu privato interpretata, non est verum magisterium, seu supremus judex controversiarum, nec tutissima et sufficiens fidei regula, ut volunt Protestantes 378
PROP. II. Spiritus privatus, quocumque donetur nomine, sive inspirationis sive illuminationis, sive gustus, non est verum Ecclesiæ magisterium, nec controversiarum judex ultimus, nec fidei regula tutissima, ad sensum Protestantium. 386
IV. Quod Christus in Ecclesia verum de facto instituerit magisterium 388
PROP. Christus in Ecclesia verum et infallibile instituit magisterium ab Apostolis eorumque successoribus exercendum. 389
§ II. De muneribus Magisterii in Ecclesia 399
I. Magisterium in Ecclesia servat fidei depositum . . . 400
II. Ad Magisterium Ecclesiæ pertinet docere doctrinam Christi 401
III. Ad magisterium Ecclesiæ pertinet fidem protegere. . 403
PROP. I. Vi promissionum Christi, Ecclesia in factis dogmaticis, seu in intelligendo et proponendo naturali librorum sensu, infallibiliter judicat. 406
PROP. II. Ecclesia infallibilis est in damnatione propositionum in globo 409
PROP. III. Ecclesia, vi sui magisterii, potest judicare et prohibere libros perniciosos. 412
ART. II. De Ecclesiæ imperio 413
§ I. De potestate legislativa in Ecclesia. . . . . *ib.*
I. Ecclesiæ inest potestas legislativa . . . . . *ib.*
PROP. Ecclesia potestatem habet ferendi leges. 414
II. De objecto seu de materia quæ legislativæ potestati Ecclesiæ subjicitur 415
III. De auctoritate qua Ecclesia prescribit circa mores et disciplinam. 417
PROP. I. Infallibilis est Ecclesia in morum toti Ecclesiæ decretis communium et ad salutem necessariorum . . *ib.*
PROP. II. Ecclesia errare non potest in statuenda disciplina generali. 419

Pag.
§ I. De potestate administratoria Ecclesiæ. 421
§ II. De potestate coactiva Ecclesiæ. 423
Prop. In Ecclesia constituitur potestas coercitiva . . . *ib.*
Art. III. De ecclesiastico sacerdotio. 426
I. Quid sacerdotium . . . . . *ib.*
II. Asseritur et comprobatur de sacerdotio ecclesiastico dogma Catholicum 428
Prop. Christus instituit sacerdotium quibusdam ministris commissum et in Ecclesia perseverandum . . . . . *ib.*
CAP. II. De iis in quibus residet potestas in Ecclesia constituta 432
Art. I. De iis quibus nullatenus competit auctoritas ecclesiastica 433
§ I. Quod plebi christianæ nullatenus competat ecclesiastica auctoritas. . . . . *ib.*
I. De duobus systematibus quæ immerito plebi christianæ auctoritatem ecclesiasticam attribuunt. . . . . *ib.*
II. Plebi christianæ nullatenus convenire ecclesiasticam auctoritatem asseritur et comprobatur 435
Prop. Ex institutione Christi potestas Ecclesiastica nec a plebe christiana exercetur, nec ab ea in ministros derivatur. . . . . *ib.*
§ II. Quod principi sæculari nulla competat auctoritas ecclesiastica 440
I. De modis quibus rei ecclesiasticæ se immiscere possunt principes . . . . . *ib.*
II. Probatur dogma Catholicum 442
Prop. Principi sæculari ex jure proprio nulla competit auctoritas nec in Ecclesiam nec in res ecclesiasticas. . *ib.*
III. De relationibus quæ in praxi inter potestatem ecclesiasticam et imperium sæculare intercedunt 447
Quæritur 1° quænam positio Ecclesiæ erga imperium sæculare sit præ omnibus anteponenda, et justitiæ rationive magis consentanea 448
Quæritur 2° quid sentiendum sit de libertate conscientiæ aut cultuum 450
Art. II. De iis in quibus residet potestas ecclesiastica. . 452
§ I. De institutione sacræ Hierarchiæ . . . . . *ib.*
I. Enumerantur varii sacræ hierarchiæ adversarii . . . *ib.*
II. Confirmatur dogma catholicum de institutione sacræ Hierarchiæ 453
Prop. Christus in Ecclesia instituit sacram Hierarchiam quæ constat Episcopis, Presbyteris et Diaconis . . . 454
§ II. De diversis Hierarchiæ speciebus et de distributione potestatis per diversos hierarchiæ gradus 456
I. De diversis Hierarchiæ gradibus . . . . . *ib.*
II. De distributione potestatis inter diversos hierarchiæ gradus 459
Prop. Presbyteri, jure proprio, potestatis magisterii et imperii non sunt participes 463
§ III. De transmissione potestatis in Ecclesia, et de lege successionis 472
I. De transmissione potestatis . . . . . *ib.*

Pag.
II. De lege successionis 473
Art. III. De eo qui in Ecclesiam universalem jurisdictionem habet seu de summo Pontifice 475
De primatu in Ecclesia . . . . . *ib.*
§ I. De transmissione summæ potestatis a Christo ad Romanum Pontificem 476
I. De primatu Petri. . . . . *ib.*
Prop. B. Petrus accepit a Christo præeminentiam auctoritatis seu primatum supra omnes apostolos. 477
II. De primatu Petri in perpetuum perduraturo. . . . 488
Prop. Primatus B. Petro concessus in Ecclesia perpetuo durabit 489
III. De primatu Rom. Pontificis, veluti B. Petri successoris. 491
Prop. I. B. Petrus sedem suam transtulit Romam, et ibi eam tenens mortuus est . . . . . *ib.*
Prop. II. Rom. Pontifex, tanquam B. Petri successor, primatum honoris et jurisdictionis habet jure divino in tota Ecclesia 494
§ II. De natura et extensione primatus Rom. Pontificis . 5
Sectio prima. — De magisterio in Rom. Pontifice considerato . . . . . *ib.*
I. Summus Pontifex potest condere decreta fidei, quæ obligent omnes fideles. . . . . *ib.*
Prop. Summus Pontifex, ratione sui primatus, habet potestatem edendi fidei decreta quæ cunctos obligent christianos 506
II. De infallibilitate Romani Pontificis 508
Prop. Infallibilis est Romanus Pontifex, ex cathedra aliquid de fide aut moribus definiens. 510
Sectio secunda. — De Rom. Pontifice quatenus habet jus imperii in Ecclesia 522
I. De potestate legislativa in Rom. Pontifice considerata . . . . . *ib.*
Prop. I. Rom. Pontifex habet potestatem condendi leges quæ cunctos obligent christianos 523
Prop. II. Summus Pontifex leges antea existentes et etiam conciliorum generalium abrogare potest . . . 524
II. De potestate administratoria 526
III. De potestate judiciaria 528
Prop. Summus Pontifex vi eminentis sui primatus, causas fidei et disciplinæ generalis ad se evocare et appellationes a quibusvis judiciis ecclesiasticis suscipere potest 529
Sectio tertia. — De Rom. Pontifice quatenus jus summum sacerdotale in Ecclesia habeat. 530
I. Ad Rom. Pontificem pertinet canonizatio Sanctorum. . *ib.*
Prop. Solemne Rom. Pontificis judicium circa sanctorum canonizationem est infallibile. 533
II. Rom. Pontifex sacræ Liturgiæ custos est et rector. . 536
Prop. Rom Pontifex sacræ Liturgiæ custos est et rector . 537
§ III. Consectaria et proprietates primatus sedi Romanæ annexi 538

Pag.
Sectio 1. Romanus Pontifex est centrum unitatis Ecclesiæ. 538
Prop. Romanus Pontifex est centrum totius unitatis Ecclesiæ. 539
Sectio 2. Summus Pontifex est fons totius jurisdictionis in Ecclesia. 541
I. Quæstio de origine jurisdictionis episcopalis . . . . *ib.*
II. Quæstio de institutione canonica. 542
Prop. I. Institutio canonica ab ecclesiastica auctoritate accepta est omnino necessaria 543
Prop. II. Solus Pontifex Romanus potest instituere episcopos per orbem universum. 544
Sectio 3. Romanus Pontifex jurisdictione gaudet immediate ad universa directa 555
Prop. Rom. Pontifex immediatam habet jurisdictionem per totum orbem christianum. . . . . *ib.*
Sectio 4 Potestas Romani Pontificis est suprema ita ut sit supra canones et ipsum concilium generale. 547
Sectio 5. Potestas Romani pontificis est universalis ita ut protendatur ad omnia spiritualia, et quodam sensu ad temporalia. 553
I. Romanus Pontifex directa et universa pollet jurisdictione in omnia spiritualia 554
II. Directa potestate in quædam temporalia gaudet R. Pontifex. 555
III. Rom. Pontifices directa potestate politica gaudere possunt in quædam temporalia. 556
IV. Rom. Pontifex saltem quadam indirecta auctoritate in temporalia regum instruitur 561
Art. IV. De Episcopis in quantum esse possunt participes publici Ecclesiæ regiminis 563
§ I. De episcopis Rom. Pontifici adjunctis in regimen Ecclesiæ. . . . . *ib.*
Prop. Episcopi Rom. Pontifici adjunguntur, salvo primatu in ministerium Ecclesiæ universalis 564
§ II. Quomodo Episcopi per orbem dispersi regimini publico Ecclesiæ participant. 566
Prop. Consensus episcopatus per orbem dispersi cum Romano pontifice expressus vel tacitus sufficit ad dirimendas infallibiliter circa fidem controversias 568
§ III. Quomodo Episcopi congregati in cætum regimini universæ Ecclesiæ participant 572
Sectio prima. — De natura et diversis conciliorum speciebus. . . . . *ib.*
Sectio secunda. — De jure quo instituuntur concilia. . . 573
Sectio tertia. — De conciliorum utilitate vel necessitate . 574
Sectio quarta. — De regulis in conciliis servandis . . . 575
I. Quoad convocationem. . . . . *ib.*
Prop. Jure proprio ad solum pontificem Romanum pertinet convocare concilium generale . . . . . *ib.*
II. Quoad celebrationem 577
III. Quoad exitum. . . . . *ib.*
Prop. Concilium generale vim irrefragabilem non habet nisi auctoritas summi pontificis ei accedat. 578

Pag.
Sectio quinta. — De auctoritate conciliorum generalium. 580
Prop. Concilia generalia infallibiliter de fide et moribus decernunt, et summa potestate utuntur in regenda Ecclesia. 581
Sectio sexta. — De conciliis particularibus 587
I. De iis qui sedent in conciliis particularibus. . . . . *ib.*
II. De eorum approbatione . . . . . *ib.*
III. De eorum auctoritate 588
IV. De eorum necessitate vel utilitate . . . . . *ib.*
CAP. III. De subjectis seu membris Ecclesiæ 589
Art. I. De infidelibus, Catechumenis et Apostatis . . . 590
I. De infidelibus. . . . . *ib.*
II. De catechumenis . . . . . *ib.*
III. De Apostolis . . . . . *ib.*
Art. II. De hæreticis et schismaticis 591
Art. III. De excommicatis 593
Art. IV. De Predestinatis et Reprobis . . . . . *ib.*
Prop. Nec omnes nec soli prædestinati ad Ecclesiam pertinent 594
Art. V. De Peccatoribus et Justis. 595
Prop. Peccatores etiam insignes et manifesti vere sunt de corpore Ecclesiæ 596

EXPLICIT TOMUS PRIMUS.

Besançon, — Imprimerie d'Outhenin Chalandre fils.

208.9
B 669 #791
BOUVIER
AUTHOR
Institutiones Theol. I
TITLE
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER

791

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY CA 94709